COMMENTARIUM

DE IUREPATRONATUS

CAROLI GAGLIARDI

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITIONIBUS

IOSEPHI ROMANI

COMMENTARIUM

DE

IUREPATRONATUS

CAROLI GAGLIARDI

OLIM IN REGIO NEAPOLITANO ARCHI-GYMNASIO IURIS CANONICI
PROFESSORIS IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPI MURANI

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITAMENTIS

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

Editio altera auctior et emendatior

TOMUS UNICUS

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCHORÆ
MDCCCL

COMMENTARIUM

DE

IUREPATRONATUS

CAROLI GAGLIARDI

OLIM IN REGIO NEAPOLITANO ARCHI-GYMNASIO IURIS CANONICI
PROFESSORIS IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPI MURANI

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITAMENTIS

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

Editio altera auctior et emendatior

TOMUS UNICUS

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCHORÆ

MDCCCL

AD STUDIOSAM SACRORUM CANONUM IUVENTUTEM

Iosephus Romanus

Quod consilium olim Chriss. Auctori fuit, ut ad penitiorem sacrorum Canonum intelligentiam hoc Commentarium typis mandaret, idem me quoque impulit, ut illud ad publicam Iurisprudentiae utilitatem opportunis additionibus auctum recudendum curarem. Quotus enim quisque est, quem fugiat vim, potestatemque legum dumtaxat tenere qui Reipublicae formam, et inductas subinde mutationes accurate perpenderit? Certe quiden exploratum est omnibus eum venerandos Ecclesiae canones penitus assequi, qui in lustrandis antiquorum Patrum sententiis, Pontificum, ac Conciliorum sanctionibus, Ecclesiae denique fastis enucleandis, eiusque veteris disciplinae adytis penetrandis totus incumbat. Quamobrem singulari utriusque Iuris doctrina Noster apprime subactus e re litteraria maxime fore existimavit Ecclesiasticae Iuventuti Rem Canonicam addiscenti ad animum sanioribus regulis imbuendum adiumenta abunde suppetere, ne ad gravissima controversiarum momenta rite examinanda impar evaderet. Hinc ad Iuris Pontificii Cathedram in Puteolano Seminario, deinde in Regia Neapolitana Academia evectus, antequam ad Muranensem Episcopatum promoveretur, permulta edidit volumina, non sine virorum doctissimorum adprobatione, ac suffragio. Et profecto *Iuris Ecclesiastici institutiones* quatuor voluminibus ipse complectitur: opus sane egregium, ac tanta selectissimarum rerum copia, eruditione, perspicuitate, et methodo elaboratum, ut quum primum in lucem editum fuit, summo, uti par erat, plausu ab Eruditis fuerit exceptum. Dein tractatus contexuit typis quoque excusos de *beneficiis ecclesiasticis*, *de iure dotium*, de *iure congrui*, de *pignoribus*, *et hypothecis*, de *fideicommissis*, de *iure accrescendi*, de *cessione iurium*, et de *feudis:* quibus singulis res per se difficiles, atque arduae ita evolvuntur, ut vel mediocribus ingeniis pateant. Denique Commentarium istud evulgavit, quo non degustavit modo, verum omnia, quae ad Iuspatro-

*

natus pertinent, ea plane canonum, disciphae ecclesiasticae, civilisque scientiae eruditione exhausit, ut recentioribus Scriptoribus facem praetulerit, antiquioribus autem palmam fortasse praeripuerit. Quare factum, ut praestantissimum opus mie sese litteratorum centuriis commendaverit, eiusque editio isthaec a pluribus Neapoli conquisita, omnium suffragiis tandem prodiverit.

Quae quum ita se habeant, Ecclesiasticae Iuventuti consilium nostrum probatum iri haud temere confidimus, si Commentarium istud, quod sane Iurisprudentiam non ieiunam exhibet, nec e forensium lacunis derivatam, sed purissimis Legum fontibus haustam, perpurgatum prioris editionis mendis seorsum edendum curaverimus: tum ecclesiastico foro, tum etiam Pastoribus in quaestionibus enodandis commodo non mediocri futurum. Quaedam etiam hinc, atque inde decerpta, eodem tamen pertinentia, et quae ad peculiarem huiusce Regni Neapolitani Politiam spectant, in additionibus persequi propemodum necessarium duximus. Quae omnia, si studiosa sacrorum Canonum Iuventus aequi, bonique fecerit, et me suscepti consilii numquam poenitebit, et fructum de meis laboribus satis uberem percepisse arbitrabor.

DE

IUREPATRONATUS

Scitissimum sane Iureconsultis tam civilibus, quam canonicis hocce *patronatus* vocabulum est, diversa tamen significatione. Civilibus enim accipitur pro illo profano iure, quod post manumissionem domino superest supra liberti personam ob datae libertatis beneficium: praesertim obsequii, operarum, bonorum possessionis, successionis, alimentorum, gratitudinis praestandae, et veniae impetrandae ante in ius vocationem: ut affatim liquet ex rubricis Digestorum, et Codicis *de iurepatronatus, de obsequiis parentibus, et patronis praestandis, de operis libertorum, de libertis, et eorum liberis, de successione libertorum,* aliisque concordantibus, de quibus heic plura verba facere supervacaneum est. Canonistae vero *iuspatronatus* appellant, quod Ecclesiarum, locorumque piorum fundatoribus, eorumque posteris, et heredibus, ceterisque per illos designatis personis, vel familiis competit, atque introductum est alliciendi, et provocandi gratia fideles ad eas aedificandas, dotandasque: quod praesertim forma fundationis, et voluntas fundatoris observetur in redditibus administrandis, piis operibus explendis, et servientibus clericis adscribendis. De hoc pro viribus Deo dante disserturi, trademus originem in primis, et progressum, deindeque appellationes varias, definitionem, divisiones, quae ad propositam materiam evidentiorem praestabunt intellectum. Tum adquirendi, ac transferendi modos: nominandi, et praesentandi ius, tempus, et quasi possessionem: institutionem praesentatorum, derogationem: atque ad extremum amittendi modos.

CAP. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSU PATRONATUS.

I. *Vocabulum sacri iurispatronatus recens, at praerogativae antiquissimae.*
II. *Quae originem duxisse videntur e Gentilium moribus, et legibus.*
III. *Voluntati enim piorum disponentium religiose parebant Gentiles.*
IV. *Ex Hebraeorum institutis autem nullum iurispatronatus vestigium processit.*
V. *Inter Christianos moribus primum, deinde constitutionibus introductum.*
VI. *In eligendis enim sacris ministris consensus populi, qui necessaria Ecclesiis suppeditabat, adhibitus est ab Ecclesiae incunabulis.*
VII. *Nomina eorum, qui donaria offerebant Ecclesiis recitabantur publice.*
VIII. *Lapsisque illa offerentibus poenitentiae relaxabantur.*
IX. *Tum fundatores titulum sibi placitum novis Ecclesiis inscribere, vel de sui ipsorum nomine, vel alicuius Sancti consueverunt.*
X. *Et sensim obtinuere sepulturam intra Ecclesiam.*
XI. *Ius etiam ordinandi Clericos Episcopis fundatoribus indultum in Ecclesiis in aliena Dioecesi constructis.*
XII. *Exindeque omnibus fundatoribus ius praesentandi concessum.*
XIII. *Itemque praescribendi leges fundationis.*
XIV. *In Oratoriis ruralibus maxime firmatum utrumque ius praesentandi, et conditiones volitas praescribendi.*
XV. *At exeunte quinto saeculo Sedes Apostolica ius processionis solum fundatoribus concessit.*
XVI. *Hoc est religiosum, et publicum ad Ecclesiam aditum.*
XVII. *Sexto saeculo ius offerendi, et praesentandi clericos, et apponendi conditiones in limine fundationis invaluit indulgentia Sedis Apostolicae.*
XVIII. *Itemque per leges Iustiniani.*
XIX. *At Divus Gregorius M. privatis fundatoribus ius nominandi fere denegavit.*
XX. *Solamque processionis gratiam indulsit.*
XXI. *Regibus tamen largiebatur nominationem.*
XXII. *Septimo saeculo irrita habebatur ordinatio Clericorum,*

quae spretis fundatoribus fiebat in Ecclesiis per eos aedificatis.

XXIII. Et petitio alimentorum in casu inopiae.

XXIV. Invigilandi cura, ut observentur leges fundationis, et onera impleantur fundatoribus, eorumque successoribus demandata.

XXV. At prohibita semper iis administratio, et potestas super rebus Ecclesiae.

XXVI. Divisionem Ecclesiarum inter heredes fundatoris octavo saeculo canones damnare coeperunt.

XXVII. Et laicales rerum ecclesiasticarum usurpationes, una et investituras Ecclesiarum, Abbatiarumque nedum ecclesiasticis, verum laicis etiam concessas.

XXVIII. Nono, et sequentibus saeculis ius praesentandi laicis concessum, damnatis laicalibus investituris, et simoniae labibus.

XXIX. Onorifica item iura patronis dilargita.

XXX. Verum administratio bonorum eis prorsus vetita.

XXXI. Decimo, et undecimo saeculo laicales collationes iterum reprobatae, secus quam patronorum praerogativae.

XXXII. Praesertim sub Alexandro III.

XXXIII. Qui novam disciplinam Ecclesiae feliciter instituit.

XXXIV. Hoc in Regno Carolus I., et II. Andegavenses omnia expoliatis Ecclesiis reintegranda iusserunt.

XXXV. In decretalibus, et canonibus novae disciplinae usurpatum patronatus vocabulum.

XXXVI. Illudque derivatum e patrocinio Ecclesiae, quod fundatorum, heredumque iuribus adnexum est.

XXXVII. Advocati enim Ecclesiarum praesentare clericos consueverunt ad illas, et ius suum in alios transferre.

I. Tametsi vocabulum *iurispatronatus* recentissime usurpatum in pontificiis decretalibus, et sacrorum canonum collectionibus nemo inficiatur, qui Iurisprudentiam canonicam vel summis labiis attigerit, et patebit ex infra dicendis (1): praerogativas nihilominus istiusmodi iuris, quod aliis nominibus olim nuncupabatur, antiquissimas fuisse, easque maiores, quam vulgus opinatur, compertum est. Nam eae origiuem habuisse videntur ex Gentium moribus, atque institutis.

II. Pagani quippe conditores sacrarum aedium leges, et conditiones sibi placitas in earum dedicatione praescribere consueverunt, ac pronunciare nomina deorum, titulos, ritus, formas, et tempora peragendorum sacrorum: uti ex veterum templorum inscriptionibus abunde pa-

(1) Num. XXVI. XXXV., et seq.

tet apud Barnabam Brissonium de *formulis*. Hinc opera cuiusque *manentibus titulis* restituit Augustus, quemadmodum testatur Swetonius Tranquillus (1). Pariterque Hadrianus Romae instauravit Pantheum, septa, basilicam Neptuni, *sacras* aedes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippae: eaque omnia propriis, et veteribus *nominibus* consecravit, ut tradit Spartianus *cap. XIX.* Ad morem eiusmodi reflexit poetarum princeps, dum cecinit:

In medio mihi Caesar erit, postemque tenebit.

III. Concordi enim consensione iureconsulti, ac legislatores respondebant, mandabantque parendum piae, religiosaeque hominum voluntati, ubi conditores nomina sua inscribere in aedibus sacris, vel deorum imaginibus, vel statuis, aut sui ipsorum nominibus nuncupare certamina, aliave opera in honorem idolorum instituta legassent. Insigne ad id testimonium exhibet iureconsultus Scaevola (2), qui signum argenteum ponendum esse respondit iuxta voluntatem Seiae, quae testamento suo ita caverat: *Si mihi per conditionem humanam contigerit, ipsa faciam: sin autem, ab heredibus meis fieri volo, iubeoque signum Dei ex libris centum in illa sacra aede, et in patria statui sub subscriptione nominis mei.* Utque idem iurisconsultus testatur, Attia fideicommissum his verbis reliquit: *Quisquis mihi heres erit, fidei eius committo, uti det ex reddilu coenaculi mei, et horrei post obitum sacerdoti, et hierophylaco, et libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem die nundinarum, quas ibi posui* (3). Haud absimile est Modestini testimonium (4): qui respondit servandam esse formam, et voluntatem Septiciae, quae ludos quadriennales in honorem Iani, aut Agonii Dei, unde *Agonalia* dicti fuere, patriae suae pollicita erat, ut praesiderent vir suus, eiusque filii. Ea enim ita caverat hisce conditionibus: *Largior, et dedico agonem quatriennalem ex triginta millibus, sortis ipsa penes me retinens pecuniam, et cavens apud decem primos idonee super pendendis a me solitis triginta millium usuris, agonotheta, et praeside futuro viro meo, et deinceps liberis ex me nasciluris. Cedent autem hae usurae in proemia thymelicorum:* (gesticulatorum videlicet, qui personam ex fabula non habentes ante scenam in orchestra saltabant, et scenae subserviebant) *prout in unoquoque certamine curia determinabit.* Praeterea qui statuarum honore afficiebantur, in earum dedicatione saepe sportulas, divisiones, aut epulum dabant, darive iubebant: idque titulis statuarum, inscriptionibusque declarabatur. Cuius rei multa sunt in antiquis lapidibus monumenta. Brissonius (5) refert Perusii extare inscriptionem statuae Antonino positae, quae hoc de Egnatio Festo elogium continet: *Cum ei plebs urbana ludos publicos edenti, ad statuam ponendam, pecuniam obtulisset, is honore contentus impensam remisit, et impetrata ve-*

(1) In Augusto cap. 39. — (2) In L. Titia 38. §. ult. D. *de auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste, vel vestimentis* et *statuis legatis.* —
(3) L. annua 20. §. 1. D. de *annuis legatis, et fideic.*
(4) In L. *Septicia* 10. D. de *pollicitationibus.*
(5) Lib. VIII. *de formulis.*

nia ab ordine Perusinorum optimo maximoque Principi de sua pecunia posuit, cuius ob dedicationem dari iussit ab herede suo decurionibus sing. HS. IIII. N. Plebi, HS. II. N. L. D. D. D. hoc est, Locus datus decreto Decurionum. In inscriptione Hispaniensi: *Pietati Aug. L. Lucretius Fulcianus Flamen Col. Immunium Provinciae Pontif. Perpetuus Domus Augustae T. P. I. ex Arg. P. ob honorem Pontificatus Lucretia L. F. Campana Flam. Perp. Domus Aug. editis ad dedicationem scenicis ludis per quatriduum, et Circensibus, et epulo diviso posuit. Huic dono Lucretia Campana amplius nomine suo coronam auream adiunxit.*

IV. E Synagoga Hebraeorum in Ecclesiam Christi nil derivari potest, quod iuspatronatus spectet: nulla enim facultas fuit Iudaeis praeligendi, vel designandi, eoque minus fundandi loca, et aras holocaustorum, nec addendi aliquid, vel minuendi coeremoniis religiosis per legem institutis. Praecepit quippe Dominus Iudaeis, ut dissiparent aras idolorum, constringerent statuas, lucosque igne comburerent: neque in ipso Deo colendo gentes imitarentur, nec offerrent ei holocausta in omni loco, sed in eo, quem ipsemet elegerat in una tribuum per manus Levitarum, utque id tantum facerent, quod is praeceperat, nec adderent quidquam, nec minuerent (1). Potestas vero, qua Reges Israel, et Iuda usi sunt in Pontifices eligendos, in Levitas, resque divinas, in custodiam, et translationem Arcae foederis, eiusque tabernaculi, et cultum Templi, potius referenda est ad regiam praecellentiam, quam iuspatronatus sacrum. Petrus de Marca (2) pluribus probare studet ex privilegio regiae unctionis profectum esse, quod Reges Hebraeorum non solum res civicas domi, militiaeque procurarint, sed etiam ea tempestate religiones, ceremoniasque constituerint, vel restauraverint. Quod infra opportunius dicendum erit in explicando regio iurepatronatus.

V. Quod ethnicis templorum conditoribus leges Romanae, moresque gentium indulgebant, sensim usuvenit, irrepsitque inter veri Dei cultores post Evangelii promulgationem moribus primum, deinde Pontificum indulgentia, et voluntate Principum, postremo sacrorum canonum concessionibus.

VI. In ipsis Ecclesiae incunabulis Martyrum sanguine decoratis Apostoli, eorumque proximi successores in sacrorum ministrorum delectu praesertim, qui super omnia fundatorum et patronorum iura spectabilior est, non quidem respuisse videntur, sed immo adhibuisse, et secundasse voluntatem, consensum, bonumque testimonium fidelis populi, divitias, et bona temporalia profusissime largientis in alimoniam pauperum, et sacrorum ministrorum: ut patet ex paucis, quae supersunt monumentis disciplinae illius aevi obscurissimi. *Quoniam ipsa plebs* (teste Divo Cypriano Episcopo Carthaginiensi) *maxime habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur, et dignus, atque idoneus pu-*

(1) Deuteron. cap. XIII. — (2) Concord. Sac. et Imper. cap. IV.

blico iudicio , ac testimonio comprobetur (1). *Requiritur enim in ordinando sacerdote , et praesentia populi , ut sciant omnes, et certi sint , quia qui praestantior est ex omni populo , qui doctior , qui sanctior , qui in omni virtute eminentior , ille eligitur ad Sacerdotium, et hoc adstante populo : ne postmodum retractatio cuiquam , ne quis scrupulus resideret* (2).

VII. Vetustissimus item usus offerendi, seu recitandi nomina eorum, qui offerebant donaria in Ecclesiis per diacoonum, et commendata eiusmodi oblationum laus viam maxime stravit iuripatronatus. *Ut fratres nostros,* scripsit S. Cyprianus ad Episcopos Numidiae (3), *ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium prompte, ac libenter operati sunt, ut semper operentur, in mente habeatis in orationibus vestris , et eis vicem boni operis in sacrificiis , et precibus repraesentetis, subdidi* nomina singulorum: *sed et collegarum quoque, et consacerdotum nostrorum , qui et ipsi quum praesentes essent , et suo , et plebis suae nomine quaedam pro viribus contulerunt* , nomina *addidi, et praeter quantitatem propriam nostram eorum quoque summulas significavi , et misi : quorum omnium , secundum quod fides , et charitas exigit , in orationibus , et precibus meminisse debetis.*

VIII. Cuiusmodi donariis indulgentiam, relaxationemque poenitentiae captare lapsi fideles , et usque adeo expiscare studebant, ut in eos merito excandesceret sanctus Cyprianus (4). *Ad communicationem* (ait) *admittuntur* , et offertur nomen *eorum nondum poenitentia acta , nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo, et Clero imposita , Eucharistia illis datur.* Parilique zelo Divus Hieronymus reprehendit ostentationem, vanamque gloriam eorum, qui fraudationes, furta , et oppressiones pauperum sibi ad laudem vertebant per eiusmodi oblationes. *Multos conspicimus,* ait (5), *qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur, publiceque diaconus in Ecclesia recitet offerentium* nomina : *tantum offert ille , tantum ille pollicitus est: placentque sibi ad plausum populi, torquente conscientia.* Idemque in Hieremiam (6): *Nunc publice recitantur offerentium nomina , et redemptio peccatorum mutatur in laudem: nec meminerunt viduae illius in Evangelio, quae in gazophylacium duo aera mittendo, omnium divitum vicit donaria.* Necessitas nihilominus consulendi pauperum , et ecclesiasticorum indigentiis in caussa fuit, ut oblationes fidelium commendarentur, eos excitandi gratia ad largitiones prosequendas. Quare sic Innocentius Papa ad Decentium Episcopum Eugubii (7) : *Prius ergo oblationes sunt commendandae , ac tunc eorum* nomina, *quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria* nominen-

(1) Cap. XII. *de elect.* in prima collect. Decretal. Bernardi Papiensis Praepositi penes Antonium Augustinum.
(2) S. Hieronymus a Gratiano relatus in can. *licet ergo* VIII. qu. I.
(3) Epist. LX; alias LXII. — (4) Epist. IX; alias XVI. — (5). Comment. *in Ezech.* 18. pag. 537. — (6) XI. pag. 354.
(7) Epist. I. cap. 2.

tur, *non inter alia, quae ante praemittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Id explicatius apud Rigaltium (1).

Quin Divus Chrysostomus magnates, virosque opulentos hortari, et excitare ad Oratoria, et Capellas fundandum in domibus, villisque suis studuit multis quidem argumentis, et hoc speciatim, quod nomen fundatoris inter Missarum solemnia e diptychis sacris recitaretur. *Ora, et supplico* (ait Chrysostomus (2)), *et gratiam peto, immo et legem pono, ut nullus, qui habet villam, appareat carere Ecclesia... Educa magistrum, educa diaconum, et sacerdotalem ordinem: quasi ducta uxore dotem adscribe. Quid non erit illic bonorum? Parumne est, ara, torcular benedici? Deum ex omnibus frugibus partem, et primitias accipere? Simul prudentem habere Sacerdotem, simul habere conversantem? parumne est in sanctis oblationibus* nomen *tuum semper referri?*

IX. Exinde post pacem Ecclesiae redditam mos inolevit nuncupandi sacras Basilicas nedum de Sanctorum, verum etiam fundatorum nominibus, titulumque Ecclesiarum inscribendi ad placitum ipsorum. Quandoquidem Constantinus Magnus Basilicam Costantinianam, et gradatim alii conditores titulum, seu Ecclesiam Damasi, titulum Equitii, titulum Pastoris, titulum Vestinae, titulum Eudoxiae, titulum Lucinae, et Fasciolae denominarunt inter Romanas Basilicas, titulosque de suo ipsorum fundatorum nomine. Et S. Augustinus ad rem hanc ait (3): *Honorastis Episcopum vestrum Florentium, ut hanc Basilicam Florentiam vacare velitis.* Primitivi ergo fideles honorem istum suo nomine intitulandi novas Ecclesias maximi faciebant, eumque solum tunc temporis indultum fundatoribus multi opinantur, arguendo ex paucis illius antiquissimi aevi monimentis recentem fuisse usum, et concessionem aliarum patronatus praerogativarum. Ut enim scribit Emmanuel Gonzalez (4), primis Ecclesiae saeculis, quibus Ecclesiae, Basilicaeque primum constructae sunt, ea erat episcopalis gradus auctoritas, eaque Episcoporum prudentia, ut in commune saepius de rebus Ecclesiae, et ordinationibus clericorum consulerent: ea totius populi christiani pietas, et humilitas, ut nemo aliquid in Ecclesia vellet habere peculiare, nemo specialem ullam, nisi eminentioris virtutis praerogativam quaereret. Ideoque nec patronorum Ecclesiarum, nec fundatorum ambitio privilegia extorquebat, nec ad Ecclesiarum constructionem, dotationemve privatis honoribus necesse erat excitare fideles. Num vero isthaec opinio Gonzalesii vera undequaque sit, nec ne, ex hactenus dictis facili negotio colligi potest.

X. Sepulturae ius in atrio, vel intra ambitum Ecclesiae Regibus, et Episcopis intuitu fundationis tributum agnoscimus cum Valesio, qui Costantinum Magnum ideo in Basilica Apostolorum sepultum esse dicit, quod eam extruxisset (5). Eusebius testatur (6) Constantinum Impera-

(1) In not. ad Cypr. ep. 60., et Card. Bona lib. 2. *rer. liturgic.* cap. 8. num. 7.— (2) Hom. XVIII. In Act.— (3) Serm. XXXVII.—(4) In cap. IV. *de iure patronatus* n. 4.— (5) Bingham. orig. Eccles. tom. X. cap. I. § 8.
(6) In vita *Constantini* lib. IV. cap. 71.

torem iuxta Apostolus sepeliri voluisse eorumque memoriam, Ecclesiam nominibus eorum appellatam aedificando, honorasse. Et Chrysostomus (1): *Constantinopoli* (inquit) *Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiuntque piscatorum ostiarii Reges.* Circa saeculum VI. nedum Regibus, et Episcopis, sed privatis etiam Ecclesiarum conditoribus, eorumque familiae per leges quasdam concessus intra Ecclesiam locus sepulturae. Et Sozomenus refert uxorem cuiusdam Caesarii sepultam in Ecclesia per virum aedificata circa ambonem, quod est suggestum lectorum (2).

XI. Ius nominandi, et praesentandi clericos ordinandos, vel ordinatos deligendi ad ministerium Ecclesiarum citius in orientalibus quam occidentalibus Ecclesiis introductum fuisse videtur ex usu extruendi Capellas in praediis divitum, et alendi sacerdotes inibi, quem tantopere sategit invehere Chrysostomus, et suadere, ut supra dictum est *num. VIII.* Quo sensu a Theodoro lectore dicta est Pulcheria Teodosii II. soror *possedisse* oratorias domos multas, scilicet Blacheranensium, Chalcopratiorum, Hodegorum, et S. Laurentii martyris, quia res omnes suas legavit Ecclesiis. Et Eudoxia eiusdem Imperatoris coniux quum plures Basilicas in Palaestina construxisset, earum administratio iis commissa est, quos ipsa praelegit (3). Praetereaque Sozomenus (4) refert, quod Rufinus Toranius patria Aquileiensis exeunte saeculo quarto Basilicam regio acre construxisset in suburbio Chalcedoniae sub invocatione Ss. Petri, et Pauli, *et monachos in vicino* collocasset, *qui Clerum Ecclesiae supplerent.* Unde coniicere licet tam capellanos a magnatibus Oratoria fundantibus, quam monachos a Rufino delectos, et nominatos Episcopo loci fuisse ad obtinendam facultatem sacra misteria obeundi. B. Euthymius quum amplissime dotasset Ecclesiam S. Stephani, eius curam contulit Gabrieli monacho, quem Sacerdotio ante initiari curaverat, ut testatur Cyrillus eius vitae auctor (5). Similiter nobilis, et pia matrona Bassa Andream Pastorem effecit, et Praefectum monasterii, quod ab ea fuerat aedificatum, sicuti refert idem Baronius (6).

Ius nominandi et praesentandi clericos saeculo quinto Episcopis fundatoribus primum ex gratia, privilegioque videtur fuisse concessum in Concilio Arausicano I. (anno 441. coacto) *can. X.* Episcopus (verba sunt Concilii), *qui in alienae Civitatis territorio Ecclesiam aedificare disponit, permissa licentia aedificandi, quia prohibere hoc votum nefas, non praesumat dedicationem, quae illi omnimode reservatur, in cuius territorio Ecclesia assurgit, reservata aedificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cuius territorium est, vel si ordinati iam sint ipsi, habere adquiescat. Et omnis Ecclesiae ipsius gubernatio ad eum*,

(1) Tom. V. cap. VIII. in lib. *quod Christus sit Deus.*
(2) Lib. IX. cap. 2.
(3) Thomass. tom. II. lib. 1. cap. 92. n. 9. — (4) Lib. VIII. cap. 17.
(5) Apud Baronium ad an. 455, n. 22. — (6) Ad annum. 460, num. 24.

in cuius civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit. Consonat Concilium Aurelianense II. habitum anno 452. *can. XXXVI.*

XII. Exemplum hoc Episcopi fundatoris paulatim usurpatum fuit, extensumque ad reliquos omnes fundatores tam clericos, quam laicos, quatenus suadente legum, et aequitatis ratione, primum offerent Episcopo Diocesano clericos ordinandos in titulum Ecclesiarum per ipsos extructarum, quoadusque simultanea fuit collatio Ordinum, et Ecclesiarum collatio: deindeque beneficiarios nominarent, et praesentarent, postquam Ordines ecclesiastici separatim a collatione beneficiorum conferri coeperunt: et quidquid sibi placuerit (XIII.) praescriberent fundatores etiam in limine fundationis. Eodem saeculo quinto Zeno Imperator Orientis (electus anno 475.) constituit eos, qui aliquid donaverint pro aedificando Oratorio Martyris, aut Prophetae, aut Angeli, vel xenodochiis, et nosocomiis, et ptochiis, cogendos fore ad perficiendum opus, atque implendam donationem. *His vero adimpletis,* ait Zeno (1), *administratio secundum ea, quae his, qui liberalitatem exercuerunt, visa fuerint, et secundum praescriptos fines fiat.*

XIV. Interea divites, et magnates Oratoria in castris, fundis, domibusque suis construendo ad familiae commoditatem propter dissitas, remotasque Parochias, ab Episcopis facultatem facile obtinebant presbyteros, seu capellanos eligendi, simul et alendi, qui sacra facerent in eisdem Ecclesiis ruralibus, dummodo solemnioribus anni festivitatibus ad paroecialem Ecclesiam convenirent. Cumque mos ille invaluisset, canones idcirco eadem de re prodire coeperunt saeculo VI, et sequentibus saepius. In Concilio enim Agathensi I. anni 506. *can. XXI.* sic legitur constitum: *Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiae iusta ordinatione permittimus. Pascha vero, Natale Domini, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, et Natale S. Ioannis Baptistae, et si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in Civitatibus, aut in Parochiis teneant. Clerici vero si qui in festivitatibus, quas supra diximus, in Oratoriis (nisi iubente, aut permittente Episcopo) Missas facere, aut tenere voluerit, a communione pellantur* (2). In Gallia tamen videntur sexto saeculo ius deligendi presbyteros in Oratoriis ministraturos iam sibi arrogasse domini fundorum, non modo dioecesanos, et concives, verum etiam peregrinos, dummodo adsensus Episcopi accederet In Concilio enim Aurelianensi IV. (ann. 541.) *can. VII.* decretum fuit, *ut in Oratoriis domini praediorum minime contra votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio Pontificis observari praecepit.* Et *can. XXXV.* eiusdem Concilii facultas generatim laicis praediorum dominis data deputandi clericos in Ecclesiis e-

(1) In l. *si quis donaverit* 15. Cod. de sacros Eccles.

(2) Hunc Canonem refert Gratianus in can. *si quis etiam* dist. 1. *de consecr.*

tiam parochialibus, quas in agro suo fundarent: *Si quis in agro aut habet, aut postulat habere Dioecesin* (puta Parochiam, attenta illius aevi loquendi forma) *primum et terras ei deputet sufficienter, et clericos, qui ibidem suum officium impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Eos puta clericos, qui fuissent a proprio Episcopo vel ordinati in titulum novae parochialis Ecclesiae, vel de illa Ecclesia, cui fuerant in ipsorum ordinatione addicti, ad istam missi novam Parochiam. Quod declarasse videtur Synodus Cabilonensis I. (anno 650) *can. IV.*, ubi constituit, *ut in potestate sit Episcopi et de ordinatione clericorum. et de facultate ibidem collata, qualiter od ipsa Oratoria, et officium divinum possit impleri, et sacra libamina consecrari.*

At vero summi Pontifices Romani largis eiusmodi facultatibus adversabantur, tuendi studio liberiorem, amplioremque Episcoporum potestatem in deputatione presbyterorum, qui sacra mysteria peragerent in Ecclesiis, et Oratoriis magnatum, aliorumque laicorum. Namque Pipino Regi a Zacharia PP. circa medietatem saeculi octavi sciscitanti de iure administrandi Oratoria, et Ecclesias in privatorum domibus, et agris aedificatas, Pontifex inter alia rescripsit: *Si Missas facere voluerit* dominus fundi, ab Episcopo *noverit presbyterum postulandum* (1). Quandoquidem secundum Nicaenos canones XV, et XVI (2), sine licentia Episcopi sui nullus omnino clericorum, seu presbyterorum sese a nexu Ecclesiae, cui inserviendo incardinatus fuerat in ordinatione sua, solvere poterat, ac transire ad serviendum cuivis alteri Ecclesiae, vel Oratorio, ut dixi *in tract. de benefic. cap. 1. num. XV.*

Procedentibus autem temporibus Oratoria privata pro commoditate nobilium, earumque familiarum extructa formam acceperunt beneficiorum tam simplicium, quam parochialium, ut luculenter probat multis testimoniis Thomasinus (3). Exindeque factum est, ut aedificatores Ecclesiarum consentientibus Episcopis sibi adiudicarent ius deputandi beneficiarios, et presbyteros servientes, et pia opera in fundatione praescribendi: sicque fideles allicerentur magis ad loca pia construenda, et dotanda.

XV. At vero Gelasius I. qui ab anno 492. sedit annos quatuor, Senecioni Episcopo rescripsit (4): *ut praeter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil sibi fundatores Iulius, et Frigentius* vindicarent, nihilque ibidem proprii iuris haberent in Ecclesia S. Viti, et Basilica SS. Michaelis, et Martini, per eosdem fundatis, quas Episcopus Senecio, solemni benedictione dedicare deberet. Idemque Pontifex (5) detestatur pravum abusum, qui irrepserat, in quocumque nomine defunctorum, et quandoque non omnino fide-

(1) Part. II. lib. 1. cap. 31. n. 12. — (2) Gratianus illos refert in can. *non oportet*, et can. *si qui vero* 23. Caus. IX. quest. 1.
(3) Thomassinus cit. par. 11. lib. 1. cap. 33.
(4) In can. *piae mentis* 26. et can. *Frigentius* 27. caus. 16. quest. 7.
(5) In epist. ad *Episcopos Lucaniae.*

lium, constructiones aedificatas sacris processionibus audacter instituendi.

XVI. Ius autem processionis nihil aliud significat, quam facultatem conveniendi publice, et communicandi in Ecclesia, competentem cuilibet Christiano in solemnibus populi conventibus, et ingrediendi Ecclesiam religioso aditu ad participationem orationum, sacrorumque mysteriorum. Processiones pariter erant supplicationes solemnes cum hymnis, et canticis apud S. Gregorium (1): honorem potius *processionis*, seu praerogativae in procedendo, et sedendo, quam *processionis* indultum patronis post clericos in religiosis conventibus agnoscit. Cuiusmodi opinio recentiori disciplinae congruit, et decretali Clementis III. (2), ubi inter alias praerogativas *honor processionis fundatori servatur*. At vero verba epistolarum Gelasii, quemadmodum et divi Gregorii Magni aperte ostendunt commune, et aequale cum omnibus fidelibus obtinuisse fundatores ius processionis in vetustioribus Ecclesiae sacculis.

Et quoniam religiosus processionum aditus, et conventus nonnisi in Ecclesiis rite consecratis, et dedicatis fieri permittebatur, et maxime in Parochiis, in quibus habetur legitimus, et ordinarius conventus fidelium, ut ait Concilium Agathense (3), canones idcirco veteres *Missas publicas in Coenobiis*, *et Oratoriis privatis fieri* probibebant: *ne in servorum Dei recessibus, et in eorum receptaculis ulla popularis conventus praeberetur occasio*, ut loquitur Textus (4). Id maxime liquet etiam ex Novella 123. *cap.* 32., ubi Iustinianus *omnibus laicis interdixit Lythanias facere sine sanctis Episcopis, et qui sub eis sunt, reverendissimis clericis. Qualis enim est* (ait) *Lythania: in qua sacerdotes non inveniuntur, et solemnes orationes faciunt? Sed et ipsas honorandas Cruces* (*cum quibus et in Lythaniis ingrediuntur*) *non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi: et si quando opus vocaverit ad Lythanias celebrandas, tum solum ipsas Cruces accipere eos, qui consuete eas portare solent, et cum Episcopo, et clericis Lythanias celebrare: hoc custodientibus sanctissimis locorum Episcopis, aut etiam eorum clericis, et per loca iudicibus.* Gelasius ideo gratia processionis tantum concedere voluit fundatoribus, quamlibet aliam auctoritatem in electione clericorum, in dispensatione, et perceptione redditum generaliter reservando soli Episcopo dioecesano ad normam sacrorum canonum (5). Hinc Apostolica Sedes Romana minime probasse videtur praelaudatam legem Zenonianam, nec canones localium synodorum commemoratos.

XVII. Pelagius I., qui sedere coepit anno 555., rescribens Mellito subdiacono (6), *Abbatem in monasterio illum* voluit *ordinari*, *quem sibi de sua congregatione*, *et monachorum electio*, *et possessionis do-*

(1) Lib. 2. epist. *Germonius* ad paratitl. de iurepat. — (2) In cap. *nobis fuit* 25. de iurepat. — (3) In cit. can. *si quis etiam.*
(4) In cap. *luminoso* 6. caus. XVIII. quaest. 2. — (5) Gratianus illos refert cit. caus. XVI. quaest. 7. — (6) In can. *Abbatem* XVIII. quaest. 2.

minus poposcerit ordinari. Idemquo Pontifex (1) praecepit conditiones tempore, quo dedicatum est monasterium, inter fundatricem, et Episcopum conventas fore servandas, quae mater erat Eleutherii Episcopi, et Oratorium construxerat in castello, ibidemque monachos constituerat.

XVIII. Canonibus istis consonant leges a Iustiniano promulgatae eodem aevo, ut fundationum leges, et placita sacris canonibus non adversa vim suam obtinereut. Et in primis (2) usque modo cavetur de aedificationibus Ecclesiarum, monasterium, xenotrophiorum, aliorumque piorum locorum, *quatenus testatores si certas personas praeposuerint administrationi, illis procul dubio Episcopus permittere debeat administrationem, ita tamen, ut inspectio eidem Episcopo competat, tamquam alieni actus observatori. Si nominatim testatores suorum heredum arbitrio reliquerint praeponendos administratores, ea iura pertinere ad heredes, cum hac tamen cautione, ut si negligentius versantur, Episcopus admonere eos possit, vel si in desidia permaneant, alios idoneos praeficere.* Praeterea idem Imperator (3) declaravit personas idoneas vel a fundatoribus Ecclesiarum, vel expendentibus alimenta Clericorum in illis ministrantium nominari debere, easque Episcopi iudicio, et examine fore adprobandas. Et alibi (4) sic praecepit: *Si quis Oratorii domum fabricaverit, et voluerit in ea clericos ordinare, aut ipse, aut eius heredes; si expensas ipsis clericis ministrant, et dignos denominant, denominatos ordinari. Si vero qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent sacrae regulae ordinari, tunc sanctissimus Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinari procuret.*

XIX. Tum exeunte saeculo VII. divus Gregorius M. Secundino Episcopo Tauromitano in Sicilia scribens praecipit in Ecclesiis, vel monasteriis conditiones, legesque fundatoribus placitas fore, observandas, dummodo ordinariae Episcoporum iurisdictioni, ac potestati non derogaretur, ut patet ex fragmento epistolae (5): *Quia rationis ordo non patitur* (ita Gregorius), *ut monasterium ipsum, et maxime contra voluntatem fundatorum ab eorum dispositione ad arbitrium suum praesertim laica persona subducat, aut aliquod sibi in id ius debeat vindicare.* Idemque Pontifex ad Neapolitanum Episcopum rescribens (6) probavit fundationem monasterii monialium in hac Civitate Neapolitana, *in quo* fundatrix *Gratiosam Abbatissam praeesse disposuerat:* mandavitque, ut Ecclesiam, seu Oratorium monialium Episcopus dedicaret, sed nequaquam institueret inibi presbyteros, quos vel fundatrix, vel Abbatissa praesentasset. Insuper Ariminensi Episcopo praecepit (7), ut Oratorium a quadam matrona aedificatum dedicaret, sine ulla tamen institutione presbyteri titularis, seu beneficiarii perpetui, in quo

(1) In seq. can. *Eleutherius* 30. ead. C., et quaest. — (2) L. *Sancimus* 46. C. de Episc., et Cler.
(3) Nov. LVII. — (4) Nov. CXXIII. cap. 18.
(5) Gratianus illud refert in can. *rationis* XVI. qu. 9. — (6) Epist. 59. lib. 2. — (7) Epist. IX. lib. 2.

Missas celebrare deberet Sacerdos ad libitum ipsius Episcopi deputandus. *Nec presbyterum* (ait) *constituas cardinalem*; *et si Missas forte malueril fieri sibi* , *a dilectione tua presbyterum noverit postulandum.* Liquet exinde proprios , et fixos clericos, ac presbyteros Capellarum , et Oratoriorum in Italia fere non fuisse aevo divi Gregorii: sed eos arbitrio Episcopi, quum necessitas postularet, e Clero Ecclesiae Cathedralis deputatos, missosque fuisse ad sacra inibi peragenda.

XX. Praetereaque scripsit Gregorius Episcopo Mamertinae in Sicilia , ut fundationi Ecclesiae Ss. martyrum a quodam subdiacono illius urbis incoeptae adsensum suum accomodaret , *enunciaturus ex more nihil illic conditoris iuri ulterius iam deberi*, *nisi processionis gratiam* , *quae christianis omnibus in commune debetur* : quemadmodum jamdiu rescripserat Gelasius.

XXI. Verumtamen Regibus , et Principibus idem Gregorius M. indulgentior minime denegavit ius nominandi , et praesentandi. Speciatim porro indulsit Regi Galliae nominationem Abbatis monasterii Augustodunensis , in quo xenodochium Regina Brunechildes fundaverat, assentiente Siagrio Episcopo Augustodunensi. *Constituimus* , inquit Gregorius (1), *ut abeunte Abbate*, *atque presbytero suprascripti xenodochii* , *atque monasterii* , *non alius ibi ordinetur* , *nisi quem Rex eiusdem Provinciae cum consensu monachorum secundum timorem Dei legerit* , *ac providerit ordinandum.*

XXII. At sequenti saeculo septimo ius praesentationis usque adeo invaluit , praesertim inter Hispanos , ut irrita haberetur ordinatio clericorum , quam attentassent Episcopi invitis , spretisve fundatoribus, ac patronis in titulum Ecclesiarum , quas isti aedificassent , ac dotassent. Nam Concilium Toletanum IX. ann. 655, decrevit (2): *ut quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint*, *pro iisdem locis curam permittantur habere sollicitam* , *atque rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi* offerant *Episcopis* Ordinandos. *Quod si tales forsitan non inveniantur ab eis* , *tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos* , *sacris cultibus instituat cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem praesumpserit Episcopus ordinare* , *et ordinationem suam irritam noverit esse* , *et ad verecundiam suam alios in eodem loco* , *quos iidem ipsi fundatores condignos* elegerint , *ordinari.*

XXIII. Ius praeterea alimentorum fundatoribus , eorumque filiis ad inopiam vergentibus competere declararunt Patres Hispani anno 934. in Concilio Toletano IV (3): *Quicumque fidelium aliquid de facultatibus suis Ecclesiis contulerit*, *si forte ipsi* , *aut eorum filii ad inopiam redacti fuerint*, *ab eadem Ecclesia suffragium vitae accipiant. Si enim clericis* , *seu monachis* , *vel peregrinis quamlibet necessitatem sustinentibus* , *pro solo religionis intuitu in usum res ecclesiasticae largiuntur* ; *quanto magis consulendum est*, *quibus retributio iusta debetur*, *quibus restituenda est retributio*, *et vicissitudo.*

(1) Epist. X. lib. II. — (2) Relatum in can. *decernimus* XVI. q. 7.
(3) In can. *quicumque* dict. caus. XVI. q. 7.

XXIV. Fundatoribus item, eorumque successoribus eiusdem Concilii Toletani Patres (1) attributam agnovere facultatem, curamque prospiciendi, atque invigilandi, utrum ab institutis clericis rite secundum canones, et fundatoris voluntatem sacra peragantur mysteria: neve quid detrimenti Ecclesia in temporalibus, et spiritualibus patiatur: *Filiis, vel nepotibus, ac honestioribus propinquis eius, qui construxit, vel ditavit Ecclasiam, licitum sit hanc bonae intentionis solertiam habere, ut si sacerdotem, vel ministrum aliquid ex collatis rebus praeviderint defraudare, aut commonitionis honestae conventione compescant, aut Episcopo, vel iudici corrigenda denuncient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitam eius haec insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia agat* (XXV). *Regis haec auribus intimare non differant* (2): *Noverint autem conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt nullam potestatem habere, sed iuxta cononum instituta sicut Ecclesiam, ita et dotem ad ordinationem Episcopi pertinere* (3).

XXVI. Inter maximas deinde corruptelas morum, quae saeculo octavo, et sequentibus ecclesiasticam disciplinam labefactavere nimis, heredes fundatorum, ac defensores Ecclesiarum suis praerogativis, ac iuribus abutentes tam Ecclesias, quam Ecclesiarum bona sibi vindicabant, dividebantque, perinde ac profanas hereditates per quotas hereditarias: adeout unius altaris quatuor partes fierent, et singulae partes singulos haberent presbyteros, singulique heredum singulos investirent in una Ecclesia beneficiarios. Quamobrem Synodus Cabilolensis II. Carolo M. impersnte celebrata anno 813., *can.* 26. prohibere censuit huiuscemodi Ecclesiae divisionem inter heredes sub poena interdicti, ad vitandas simultates (4). Quod inscriptum perpersm est in Sexta Gregoriana compilatione Decretalium ex Concilio Mediolanensi. Tum Synodus Triburiensis an. 895. canonem Cabilonensem confirmavit (5). In ambobus istis canonibus Cabilonensi, ac Triburiensi, quos genuinos, et interruptos habemus apud Labbaeum, Antonium Augustinum (6), et Emm. Gonzalez, nullimode invenitur vocabulum *patroni*, quod S. Raymundus interaddidit ad faciliorem rei intellectum (7), attenta sui aevi loquela: istud profecto Patribus Cabilonensibus, ac Triburiensibus adhuc fuerat ignotum, atque insuetum.

XXVII. Violentas interea manus iniecerunt laici non modo in praedia, et bona Ecclesiarum temporalia: verum etiam in Ecclesias ipsas, et Abbatias pinguiores, quas per annulum, et virgam irrequisitis omnino Episcopis concedebant clericis plerumque simoniacis, atque indignis: et per sacrilegam investituram laicis etiam personis, et praecipue militibus Reges conferebant ad expensas belli potissimum ferendas. Clarissimus Muratorius omnigena sapientia praeditus (8) luculentissima

(1) Can. 1., et 11. (2) Can. *filiis* 31. ead. C., et quaest. — (3) Idem Conc. Tolet. IV. in Can. *noverint*. X. 9. 1.

(4) Cap. 1. de *iurepat*. — (5) Relata in cap. 2. eod. tit.— (6) In 1. compil. decretal. — (7) In cit. cap. 1., et 2. *de iurep.* — (8) Tom. VI. *antiqu. Ital.* diss. 73.

prodit monumenta monasteriorum in beneficium laicis concessorum per pravam consuetudinem a Regibus Francis invectam, ut magnatum, et militum animos in sua fide confirmarent, eosque incenderent ad maiores in bello sustinendos labores: Reges Longobardos tali scelere purgat. Et Carolum Martellum avum Caroli Magni, primum omnium hanc pessimam consuetudinem invexisse apud Francos ob Reipublicae necessitatem affirmat. Carolum quoque Magnum inclytum Imperatorem huiusmodi morbo laborasse, veteribus monumentis comprobari contendit. Eiusque in hoc improbo studio aemulatorem fuisse Pipinum filium, Italiae quoque Regem, ut probat Muratorius Pistorensi charta anni 812, prolata per semetipsum (1). Tum etiam Ludovicum Pium illius fratrem, Lotharium I. eiusdem Ludovici filium, Ludovicum II, et Carlomannum, ceterosque. Saepissimae hinc Sanctorum Patrum querelae, obsecrationes, increpationes, anathemata in privatis, aeque ac synodalibus scriptis. Tantum malum in ortu suo eliminare, et iura Ecclesiae in pristinum revocare studuit Carolus Calvus (an. 868) (2). *Missi nostri* (ait) *diligenter investigent per singulas Parochias simul cum Episcopo de monasteriis, quae Deum timentes in suis proprietatibus aedificaverunt, et ne ab heredibus eorum dividerentur, parentibus, et praedecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt: et postea in alodem sunt data, ut describant quae sint, et a quo, vel quibus in proprietatem data sunt, et nobis renunciare procurent, ut cum Episcopis, et ceteris fidelibus nostris consideremus, et qualiter inde secundum Dei voluntatem, et nostram salutem agere debeamus.*

XXVIII. Quumque nono saeculo sub imperio Caroli M. ius praesentationis plus aequo inter privatos etiam extensum esset, Patres extirpare studuerunt oborta mala, et praecipue simoniacam labem. Quandoquidem in Concilio Arelatensi VI. an. 813. cautum est, *ut laici presbyteros absque iudicio proprii Episcopi non ejciant de Ecclesiis, nec alios immittere praesumant: atque laici omnino presbyteris non audeant munera exigere propter* commendationem *Ecclesiae: quia plerumque propter cupiditatem a laicis dantur talibus presbyteris Ecclesiae, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni.* Meritoque iure Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus (qui eodem saeculo floruit) ad Comitem Theodulphum ita scripsit: *Si vis ibi* (in Parochia) *habere presbyterum, adduc mihi talem clericum, qui aptus sit sacro ministerio, et ego illum inquiram, et illi Ecclesiam dabo: et tunc illum ordinabo, si mihi talis clericus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donaverit. Et si tu ita facere nolueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, usque dum ibi ordinem presbyterum* (3). Abusum ergo, non usum praesentandi reformare sategerunt Patres saeculo IX., qui patronatus iura potius firmasse, quam deminuisse videntur. Romana etiam Synodus sub Eugenio II, coacta ann. 826., et sub Leone IV. ann. 853. *can. XXI.*,

(1) In diss. 70. *de Cleri immunitate.*
(2) Capitular. cap. II. — (3) Flodoardus in *hist. Rhemens.* lib. III. cap. 26.

decrevit: *ut monasterium, vel Oratorium canonice constructum a dominio constructoris, eo invito non auferatur; liceatque illi presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius Dioecesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare* (1).

XXIX. Honorifica insuper iura patronis eodem aevo attributa inveniuntur imperiali simul, et pontificali auctoritate. Namque (2) cautum est, *ut Episcopi provideant, quem* honorem *presbyteri pro Ecclesiis suis tribuant* senioribus, *puta patronis*, dominisque vicorum, in quibus fundatae essent Parochiae. Duces, Marchiones, Comites titulo *seniorum* nuncupatos tradit Muratorius (3), quibus nobiles famuli, et vassalli obsequium ac servitium praestabant: atque inde ortum habuisse censet Italicam vocem *Signore*. Atque in Italia non solum a vassallis, sed a colonis liberis appellatos esse *seniores* dominos, uti videre est etiam in chartis monasterii Vulturnensis (4). Exploratissima vero res est Capitularia Regum Francorum, praesertim vero Caroli M., Ludovici Pii, et Lotharii a Leone PP. IX. probata fuisse, qui ea irrefragabiliter in aevum observaturum Lothario spopondit (5).

XXX. Verum disponendi potestas de rebus, et proventibus ecclesiasticis vetita etiam est ipsis quoque fundatoribus in Photiana Synodo Constantinopolitana an. 861., quam Graeci primam, et secundam Synodum appellant, et Nicolaus Papa *latrocinalem*, nuncupavit. Sic enim decretum fuit (6): *Nonnulli suis copiis, et facultatibus nomen monasterii imponentes, et eas Deo sanctificare profitentes se eorum, quae sunt consecrata, dominos esse inscribunt, et sola appellatione Deo dedicare machinantur . . . nullo modo potestatem habeat, qui consecrat Deo res suas, se ipsum praefectum, vel pro se alium constituere.* Quod etiam declaravere Toletani Patres supra laudati *n. XXV.*

XXXI. In sequentibus saeculis, praesertim XI, et XII. laicales, Ecclesiarum collationes saepenumero damnatae sunt, sartis tectis fundatorum iuribus. Romanum Concilium sub Nicolao II. (an. 1059) (7): sancivit, *ut per laicos nullo modo quilibet clericus, aut presbyter Ecclesiam obtineat nec gratis, nec pretio.* Concilium Turonense (an. 1060) (8), *ut nullus Ecclesiam magnam, vel parvam deinceps sine consensu Episcopi a laicis praesumat accipere quolibet modo: sed neque a clerico, vel monacho, seu laico sub pretii alicuius venalitate.* Romanum sub D. Gregorio VII. (an. 1074) (9), *ne aliquis clericus, vel monachus a laicis Ecclesias recipiat dono, vel pretio, nisi ab Episcopo.* Melphitanum sub Urbano II. an. 1090. (10), interdixit, *ut nullus in clericali ordine constitutus, nullusque monachus Episcopatus, aut Abbatiae, aut cuiuslibet ecclesiasticae dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat. Quod si praesumpserit, depositione mulctetur.* Concilium Lateranense I. sub Callisto II. (an.

(1) Can. *monasterium* 33. caus. XVI. q. 7.
(2) In Capitular. *Caroli* M. lib. 5. cap. 148.— (3) Lib. I. *antiq. med. aevi* dissert. XI. pag. 548. — (4) Par. II. tom. I. — (5) Can. *de Capitulis* 9. dist. 9. — (6) In Can. I.
(7) Can. III. — (8) Can. IV. — (9) Can. I.— (10) Can. VIII.

1123) ius patronatus tam laicorum, quam ecclesiasticorum minime deminuit, licet damnatas, et sacrilegas laicorum investituras, et Episcopo attribuisset ordinariam collationem, institutionemque beneficiorum, atque omnimodam rerum Ecclesiae dispositionem (1).

XXXII. Lateranense III. sub Alexandro III. (an. 1179) (2), pariter damnavit abusum patronatus, legitimo eiusdem usu probato, retentoque, et praesertim divisiones Ecclesiarum, et altarium hereditarias. *Quoniam* (ait) *in quibusdam locis fundatores Ecclesiarum, aut heredes eorum potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit abutuntur, et quod una Ecclesia unius debeat esse rectoris, pro sua dissensione plurimos repraesentant: praesenti decreto statuimus, ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille praeficiatur Ecclesiae, qui maioribus iuvatur meritis, et plurimorum eligitur, et adprobatur assensu* (3). *Et quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, et Episcoporum auctoritate neglecta clericos instituant in Ecclesiis, et removeant quum voluerint: possessionem quoque, atque alia ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque distribuant, ipsos anathemate feriendos* (4).

XXXIII. In isto Alexandri pontificio aeram novae disciplinae ecclesiasticae Doctores constituunt. Alexandro enim datum desuper fuit hostes Ecclesiae, Sedisque Apostolicae potentissimos debellare, sacrilegas, et violentas laicorum in praedia ecclesiastica manus comprimere, morum sane corruptissimorum post quatuor, et ultra saecula tandem aliquando felici omine reformationem inchoare, patronatuum iura ad sacrorum canonum adamussim definire, et libertatem ecclesiasticam redimere, velificantibus quoque piis saeculi Principibus.

XXXIV. Sequenti XIII. saeculo Carolus I. Andegavensis (ut externorum Regnorum exempla reticeam) *in cap.* quod incipit *universis Ecclesiis* sub *titulo de restitutione ecclesiasticae libertatis*, abolevit usurpationes, et gravamina Ecclesiis illata per antecedentes tyrannos, puta Principes Swevos. Et Carolus II. Andegavensis (5) paternam pietatem aemulatus est. Omnia vero expoliatis huiusce Regni Ecclesiis reapse redintegrata fuisse sub eisdem Regibus Andegavensibus, liquet ex publicis monumentis Archivorum, et praecipue Regiae Siclae regestis eiusmodi reintegrationum.

XXXV. Iactis ad firmam structuram fundamentis novae disciplinae usurpari coepit vox *patronatus* praesertim a divo Raymundo Pennafortio in Gregoriani Decratalium voluminis compilatione, in quo titulum peculiarem posuit *de Iurepatronatus* (6), et vocabula *patroni*, et *patronatus* interpolavit in antiquis per ipsum congestis, et transcriptis canonibus, ut supra indicatum est *num. XXVI.* Ex eo fortasse motus, quod fundatoribus, eorumque successoribus onus incumberet illas tuendi (XXXVI), ac patrocinandi. Quandoquidem advocati, ac de-

(1) Can. IV., et VII. — (2) Can. XVII. — (3) Cap. *quoniam* III. de iurep.
(4) Idem Conc. *relatum* in Cap. IV. eod. tit.
(5) In cap. *item statuimus* 12. Tit. *quod possessiones Ecclesiae non auferantur, nec turbentur per Curiam.* — (6) Lib. III. tit. 38.

fensores Ecclesiarum vel iura, et munera fundatorum usurpabant vel e contrario fundatores, eorumque successores sibi vindicabant defensionem, et ius tuendi Ecclesias, perinde atque advocati: adeout sensim ab eiusmodi patrocinio inoleverit appellatio patroni (1). Quemadmodum apud Quirites *patroni* dicebantur patricii a plebeis ad patrocinium, auxiliumque sibi electi (2).

Concilii Chalcedonensis temporibus iam inde vigebant in Ecclesia defensores, qui per uniuscuiusque Civitatis incolas eligebantur (3). In Ecclesiis tamen per privatos constructis saepius assumebantur fundatores ipsi, eorumque successores, qui modo in iudiciis forensibus per seipsos earum iura tuebantur, modo eligebant suadente necessitate advocatum ex ordino causidicorum *Principi* confirmandum. Quod licet *intelligere ex Lege a solis* (4), ubi sic Constantinus Imperator. *A solis praecipimus advocatis, eorumque consortio dari Provinciae sacerdotem, nec aliquis arbitretur ita esse advocationis necessitatem impositam Sacerdotio, ut et ab eo munerum oppidaneorum functio secernatur. Nullum igitur advocatum a Curia (cui tenetur obnoxius) putamus excusari: videlicet si civico nomine, aut vinculo incolatus oppidanea necessitas eum detinet obligatum. Itaque apud alios etiam iudices operam dantes negotiis perorandis, obnoxios esse decernimus Sacerdotio: sic videlicet, ut intra eam Provinciam huiusmodi honoribus mancipentur, ubi eos necessitas curialis detinet obligatos.* Cuius rei meminerunt etiam Imperatores Arcadius, Honorius, et Theodosius (5). Constitutum pariter fuit (6), *ut pro Ecclesiarum caussis, ac necessitatibus eorum, atque servorum Dei executores, vel advocati, seu defensores, quoties necessitas ingruerit, a Principe postulentur.* Itidem *lib. II. legum Longobardarum* (7) *omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino praecipitur vicedominos, praepositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non crudeles, nec cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, et in omnibus iustitiam facientes, vel diligentes... Quia Episcopi, et universi Sacerdotes ad solam laudem Dei, et bonorum operum actionem constituuntur.*

XXXVII. Quod autem una cum patrocinio eiusmodi fere obtinuerit advocati, ac defensores Ecclesiarum praerogativas fundatorum; satis ostendit Alexander III. in decretali ad Exoniensem Episcopum: *Quia clerici quidam* (ait) *advocatias Ecclesiarum comparant, vel quocumque modo possunt, adquirunt, ut postmodum eorum filii, vel nepotes ad easdem Ecclesias praesententur* (8). Tum Lucius III. agnovit in advocato ius quoque praesentandi clericum idoneum Episcopo (9). Quoniam vero advocati Ecclesiarum ius *advocationis* in alios transferre

(1) Ion. Ciron. *ad paratitl. de iurep.* — (2) Rosinus lib. I. *antiq.* cap. 16., et Revard. in L. 12. D. *de reg. iur.* — (3) Balsam. ad can. 78. Concil. Carthag.
(4) L. 46. C. Theod. de *d curionibus* — (5) In L. *privilegia* 38. C. Theod. de *Episcopis* et *Clericis*. — (6) Lib. VII. Capitular. Franc. cap. 397. — (7) Tit. 47. de *advocatis* et *vicedominis* cap. V., et IX. — (8) Cap. quia *Clerici VI. de iure pat.* — (9) In cap. *cum autem* 24. eod. tit.

praesumebant, ab Ecclesiis extorquentes tanquam a propriis rusticis *fodrum*, h. e. collectam, sive certam frumenti, vel pecuniae quantitatem, perinde ac militarem annonam pro alendis militibus, et equis praestari consuetam: *albergarias*, seu expensas pro comestionibus: *regium*, seu regaliam, puta fructuum perceptionem vacante beneficio: cetera id genus; idemmet Lucius Papa sanxit eosdem, *sive* advocati, *sive* patroni, *vel vicedomini*, *sive custodes*, *vel guardias habentes*, *seu quocumque alio nomine censeantur, a gravaminibus cessare omnino debere* (1).

Hucusque satis ad dignoscendam originem, et progressum vetustissimorum iurium fundantibus Ecclesias concessorum, et quonam pacto patronatus nomine tenus recens in ecclesiasticis beneficiis altas egerit radices, quantasque subiverit vicissitudines in veteri Ecclesiae disciplina, quae lucem effundent praefulgentem canonibus, institutis, inolitisque moribus novae disciplinae mox edisserendis. Sed naturam antea patronatus universam paucis generatim definire oportet, ne vagari, et errare cogatur oratio: utque intelligatur initio, quid, et quale illud sit, de quo disputandum est.

ADDITAMENTA.

Nimirum hoc illud erat, quod primis Aerae Christianae saeculis omnes ubique fideles magis habebant in votis, ut in qualibet civitate, oppido, ac municipio Ecclesias aedificarent (2). Hinc Christi Sponsa, in qua *nec est ruga*, *nec macula*, ut perpetuum monumentum, ac quasi aliquam remunerationem fundatoribus relinqueret, Iuspatronatus constituit. Quod sane ius labentibus saeculis (ut erudissime Noster demonstrat) sanctionibus tum ecclesiasticis, tum civilibus sartum, tectumque fuit servatum.

Quum autem in Neapolitano Regno sub Militari Regimine illud fuerit eversum, et pientissimi Regis Ferdinandi I. reditu in nostras Ditiones penitus redintegratum, hinc brevitate, qua par est, nonnulla heic subnectere propemodum necessarium duximus.

Et principio leges civiles sub Militari Regimine latae fuerunt, quibus uti plures ecclesiasticae sanctiones pessumdatae, ita eae, quae ad Iuspatronatus pertinebant omnino conculcari videbantur.

Et sane lege lata die XVIII. Iulii 1807. fuit praescriptum bona, quae simplicibus erant Iurispatronatus obnoxia beneficiis, cum Titulares e vita excesserint, patronis esse restituenda: quibus tamen obligatio incumberet onera patronatui adnexa adimplendi. Rursus alia lege die XXII. Decemb. 1808. decretum beneficia curata Iurispatronatus, ut cetera liberae collationis, ab Episcopis, extincto penitus patronatu, praevio concursu esse conferenda. Denique lege die XXII. Iulii 1813. fuit constitutum, quod bona a patronis relicta pro Canonicatibus, Dignitatibus, Praebendis in Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegialibus erectis,

(1) Cap. *praeterea* 23. eod. tit. — (2) L. 16, Cod. Theod. *de Episcop.* Gratianus in Can. *in qualibet* 23. q. 8.

nullo iure fundatoribus servato, iisdem Ecclesiis pro illis titulis libere cederent.

Verum pientissimus Rex noster Ferdinandus I. in suo reditu an. 1815. Maiorum suorum vestigia premens, in id studiose animum intendit, ut Ecclesiae iuribus redintegratis, Pastorum libera in Christi gregem iurisdictione servata, Religiosis Domibus restitutis, Sacerdotium, et Imperium maximo Reipublicae bono amice conspirarent. Hinc permulta cum Summo Pontifice Pio VII. Conventione inita an. 1818. constituta fuerunt, a quibus dumtaxat pauca hausimus, quae ad rem nostram faciunt, quaeque hic recensere minime pigeat.

Et sane in art. V., qui dispositiones exhibet de Canonicatibus, et Capituli Dignitatibus, expresse cautum illas in Canonicatus Iurispatronatus regii, ecclesiastici, et laicalis haud respicere.

Adhaec art. VII., quo decretum de idonea Paroeciarum congrua, Tituli Curati excipiuntur, quibus Iuspatronatus inhaeret, illud oneris patronis relinquendo.

Quamobrem veluti huiusce Conventionis consectarium fuit Regium Diploma latum sub die XX. Iul. an. 1818, quo sancitum:

1. Dispositiones legis an. 1807. latae, ac reg. diplomat. anno 1808, et 1813., quae ad Iurispatronatus extinctionem spectabant, omnino abrogari.

2. Quaevis Iurapatronatus tum ecclesiastica, tum laicalia, licet curata, in patronorum iura redintegrentur iuxta canonicas sanctiones cum omnibus iuribus, quae utilia, onerosa, et honorifica dicuntur.

Praeterea exorta controversia an redditus privati Iurispatronatus a die vocationis ad Dioecesanam spectarent Administrationem, a Supremis Concordati Executoribus fuit declaratum: *cuiusvis beneficii redditus sive iurispatronatus*, sive liberae collationis sub eodem respectu esse existimandos, adeoque praedia iis titulis adnexa, utpote Deo dicata, eorumque fructus, vacante beneficio, Dioecesanae Administrationi tribuendos esse. Excipiantur vero legata pia, necnon patronatus, quibus conditio inhaereat vel in ipsa erectione, vel posteriori instrumento, qua diserte praescribitur vacantis beneficii fructus in *certos usus esse erogandos*. Hanc declarationem confirmavit Pius VII. ann. 1818.

Huc pertinent quoque Regia Rescripta lata sub die 11, Ianuar. 1819, et IV. Aug. 1821., quorum altero statutum declarationem, quam exposuimus in utriusque Siciliae Regno executioni mandari, altero provvisum, quod Episcopi ex aequo, et bono controversias, quae inter partes de beneficiorum redditibus exorirentur, dirimerent. Additum etiam fuit quod si Episcopali auctoritati litigantes non parerent, Iudex laicus quod opus esset, expleret.

CAP. II.

DE NATURA QUALITATE AC PRAEROGATIVIS PATRONATUS.

I. Quid sit patronatus.
II. Est ius temporale.
III. Spirituali adnexum.
IV. Ecclesiastico iudicio definiendum.
V. Nisi agatur de universitate bonorum, vel de regiis, aut feudalibus patronatibus saeculari iudicio subiectis.
VI. Vel de patronatu laicalium capellaniarum, locorumque piorum.
VII. Ius quoque honorificum, onerosum, utile est patronatus.
VIII. Honorificum ius permultas continet praerogativas, et praecellentias.
IX. Onerosum attribuit patrono solicitudinem; et patrocinium.
X. Et vigilantiam, non vero administrationem, nec visitationem.
XI. Et reaedificandi, ac redotandi obligationem.
XII. Utile vero ius petitionem alimentorum defert descendentibus de sanguine fundatoris.
XIII. Et annuas praestationes in limine fundationis reservatas.
XIV. Et regaliam, seu perceptionem fructuum vacantis Ecclesiae.
XV. Quae solis Regibus reservari potest.
XVI. Nam regius patronatus amplioribus decoratur praerogativis.

I. Patronatus esse describitur ***ius temporale***, ***honorificum***, ***onerosum***, ***utile***, ***quod super Ecclesiis, vel beneficiis, piisve locis alicui competit vel fundationis***, ***ac dotationis intuitu, vel ex privilegio.***

II. Incorporea patronatus natura non utique spiritualis, sed temporalis primum ostenditur, quum esse dicatur ***ius temporale***. Pertransit enim ad laicos fere heredes cum profana bonorum temporalium universitate, perque laicos possidetur, qui iurium mere spiritualium sunt omnino incapaces (1).

III. Nihilominus ***adnexum spirituali*** (puta canonicae institutioni beneficiatorum, et ecclesiasticis beneficiorum titulis) patronatum pronunciavit Alexander III (2). Idem ad Regem Angliae Henricum II. rescripsit caussam iuris patronatus ita coniunctam esse, et connexam spiritualibus caussis, ut nonnisi ecclesiastico iudicio valeat definiri. Quoniam,

(1) Cap. *Sacrosancta* 51. §. *attendentes* de elect: et can. *illud autem* 22. dist 93. — (2) In Cap. de *iure* 16. de *Iurepatr.*, et cap. *quanto* 3. de *iudiciis.*

quae religiosis adhaerent, religiosa sunt, ait Paullus (1): *et accesorium naturam sequi congruit principalis* (2) (*), nuperis propterea Concordatis an. 1741. (*cap. VI. art. 4*) et pontificia, et regia potestate constitutum (IV) ad ecclesiasticam privative iurisdictionem pertinere caussas beneficiales etiam inter laicos de pertinentia, vel quasi possessione praesentandi contendentes, dummodo in laicalis patronatus caussa non agatur, vel de universitate bonorum, puta de (V) universa defuncti hereditate pro fundando beneficio de iurepatronatus relicta, seu de existentia patronatus noviter in profana hereditate aliqua instituti: vel de regiis, aut feudalibus Baronum patronatibus, in quibus principalis quaestio sit, utrum iuspatronatus sit, nec ne feudo adnexum. Altera enim quaestio universitatis bonorum cum omnibus incidentibus, et emergentibus ad iudicium M. Curiae Vicariae pertinet in Regno, quae vices gerit Magistri census Romanorum cum iurisdictione insinuandi supremas defunctorum voluntates, eorumque heredes declarandi (3). Altera de regio, et baronali patronatu discuti solet vel in Regia Curia Capellani Maioris, vel in Regali Camera S. Clarae, quemadmodum olim in Regio Collaterali Consilio, ut refert Chioccarell. *to. 6. Archiv.*

Connexio tamen ista iuris temporalis cum spirituali locum obtinet in patronatu Ecclesiarum, Capellarumque rite ab Episcopis Deo dedicatarum; aut beneficiorum mere ecclesiasticorum. (VI). Secus vero dicendum, si profana fuerint beneficia, quemadmodum sunt legata pia Missarum, et capellaniae laicales, sive ad nutum amovibiles, sive perpetuae, quae in titulum ecclesiastici beneficii episcopali auctoritate haud erectae sint, ac sine ulla Episcopi institutione a patronis conferantur:

(1) In L. quae *religiosa* 43. D. de *rei vindicat.* — (2) Cap. 42. de *reg. Iur.* in VI.

(*) Quemadmodum Iure Civili res dispesci solent in *corporales*, quae tangi possunt, et *incorporales*, quae intellectu percipiuntur, ita Iure Canonico res dividuntur in *spirituales*, quae, ut docet Anselmus (epist. 1. ad Cor. cap. 9.) *a Spiritu Sancto datae spiritum vivificant*, *et temporales*, quae vel cultui divino peragendo, vel Clericorum alimentis sunt destinatae. Bona autem ecclesiasticis beneficiis addicta improprie vel *spiritualia* dicuntur, quippe quae iuxta Canones spiritualibus inserviunt, atque pro illis instituta sunt, veluti pro Sacramentorum administratione, celebratione divini officii, aliisque id genus.

Praeterea ius patronatus temporale adfirmat' Alexander III, eoquod ex re temporali, scilicet a praediis, quae Deo dicantur, ortum ducit. Hoc autem ius spirituali, dicitur adnexum ob quandam societatem, quam illud cum re spirituali, idest eum Ecclesia inire videtur, ut opinatur Panormitanus: vel per *antecedentiam*, quia praesentatio antecedit exercitum spiritualis officii, quod Clericus Ecclesiae praestare debet, ut tradit de Marca (Lib. VIII. de Concor. Sacerd., et Imper. cap. 24.): vel denique quia ordinatur ad spiritualia, nempe ad praesentationem Clerici, ut in beneficio instituatur, ut docet S. Thomas (1. 2. quaest. 100. art. 4.).

Denique Canonistae Ius Patronatus etiam spirituale dicunt, quia in christiana communione illud fundamentum habet, necnon in commercium sine labe simoniaca venire non potest, et Patroni in poenam admissi alicuius gravioris criminis eodem iure ecclesiastica lege privari possunt.

(3) L. *Consulta divalia* 23. C. *de testam.*, et L. repetita 37. C. de *Episcopis*, *et Clericis*.

namque istarum patronatus quum rei spirituali non sit adnexus, ad iudicium non pertinet ecclesiasticum: deque eo laicus magistratus cognoscit passim, et iudicat. Cuiusmodi etiam est patronatus extauritarum, piorumque locorum laicalium, quae pietas fidelium extruxerit sine auctoritate Episcopi: puta hospitalia, et xenodochia pro excipiendis peregrinis hospitibus, nosocomia pro languentibus, et aegrotis, brephotrophia pro educandis infantibus recenter a partu expositis, orphanotrophia ad pueros parentibus orbatos alendum, ptochotrophia pro pauperibus, gerontocomia, pro senibus valetudinariis, vel asceteria, in quibus personae devotae sacris vacent meditationibus, de quibus omnibus loquitur Iustinianus (1). Quum enim Episcopi nil aliud iuris in hoc praesertim Regno obtineant in istis religiosis domibus, piisque locis, quam ea visitandi quod ad spiritualia tantum, ac delegandi ecclesiasticum deputatum pro videndis administratorum computis, ex iure Concordatorum (2); consequens est, ut quaestiones super electione administratorum, ceterisve patronatus iuribus fundatori, aliisque ad eius placitum concessis vel reservatis, in foro saeculari diiudicentur, ac definiantur.

VII. Triformem insuper naturam inesse patronatui innuitur, quum in eo describendo dictum sit ius *honorificum*, *onerosum*, *utile*, contra eos, qui patronatum simpliciter definiunt esse potestatem nominandi, et praesentandi clericum in vacanti beneficio instituendum. Praesentatio enim beneficiariorum unum est ex multifariis patronorum iuribus, quae ad tria summa capita reducuntur commodissime. Quandoquidem, ut glossa tradit (3):

Patrono debetur honor, onus, utilitasque,
Praesens ut praesit, defendat, alatur egenus,

VIII. Ad *honorificum* ius pertinet in primis facultas inscribendi titulum Ecclesiae, aut beneficii nomenclaturam, et praescribendi placitas leges in limine fundationis. Insignia item, ac stemmata familiae, atque inscriptiones delineandi, et imponendi. Secundo nominatio, et praesentatio clericorum. Tertio praecessio in sessionibus, et supplicationibus, ceterisque id genus religiosis. Ecclesiae functionibus. Patronus porro sedere post clericos debet in loco digniori inter laicos, omnibusque laicis antecellere in processionibus (4). Franciscus le Roye (5) refert nonnullis patronis laicis honorabilem sedem in choro concessam. Quod contestatur Matthias Mareschal (6). Ecclesiasticis etiam patronis honorifica iura deberi liquet ex decretali Alexandri III (7), ubi rescriptum, ut in Ecclesia filiali ex proventibus veteris Ecclesiae aedificata,

(1) In L. *Sancimus* 46. *totoque tit. de Episcopis, et Clericis, et orphanotrophis, et xenodochis brephotrophis, et ascetriis, et monachis, et privilegiis eorum.* — (2) Cap. V. art. 1. et 2. — (3) In cap. *nobis* 25. *de iurepat.*
(4) Lambertin. *de iurepat.* lib. 3. q. 1. princ. n. 12: Roch. ver. *honorificum.* qu. 93. — (5) Lib. 1. de *iuribus honorificis* cap. 10. — (6) In tract. Gallico *de iuribus honorificis.* — (7) In cap. 3. *de aedif. Eccl.*

competens honor pro facultate loci Ecclesiae matrici servetur. Praeterea thurificationem, et pacis instrumentum ante omnes etiam laicos osculandum accipit patronus, ut Rota decidit (1): mulieribus tamen exceptis, quibus nec thus, neque pacem inter Missarum solemnia dari declaravit eadem S. Congregatio. Tametsi Innocentius Cironius (2) ostendere studet incensi thuris suffitum ad honoris symbolum non esse referendum, sed ad populum excitandum, ut mentem in Deum elevaret. Insuper candelam in die Purificationis Beatae Mariae Virginis praeaccipere solet patronus, ut testatur Preses de Franchis (3). Necnon palmae ramum in Dominica palmarum, sacrum cinerem in die cinerum, aquam, carbonesque in Sabatho sancto (4). Qui etiam tenet beneficiarios clericos patronum ad Missae sacrificium, divinumque officium advocare, et expectare debere: eique advenienti assurgere, biretoque manibus tento eum salutare. Quin si Princeps supremus, aut Rex fuerit patronus Ecclesiae, obstringuntur ei occurrere omnes inibi ministrantes clerici, et presbyteri ad ianuam usque extrinsecus (5). Ad extremum dignus est patronus, qui sepulcrum in loco intra Ecclesiam honoratiori ab Episcopo obtineat, quoties fundator illud sibi, posterisque suis reservare omiserit (6). Quamvis enim quilibet fidelis ecclesiasticam sepulturam valeat sibi ad libitum eligere ex novae discipliuae canonibus: attamen sepulcrum novum intra Ecclesiam effodere, nisi permittente Episcopo fas est nemini, nec etiam Ecclesiae patrono, ubi nil cautum desuper fuerit in limine fundationis, ut pluribus Rotae Romanae decisionibus, et Doctorum sententiis probat laudatus Episcopus Ventriglia (7), et Innocentius Cironius (8). *Reddite ergo omnibus debita: cui honorem, honorem* inquam cum Apostolo ad Romanos (9).

IX. Ius *onerosum* patrono primum attribuit tutelam, et patrocinium Ecclesiae ex canonibus laudatis (10), quatenus nil ea detrimenti patiatur in rebus qua spiritualibus, qua temporalibus: alienationes perperam factae revocentur, et quae fieri velint citra evidentem Ecclesiae utilitatem, impediantur. Quapropter ad vitandas bonorum dilapidationes poterit a competenti iudice id postulare, quod Ecclesiae interesse putaverint (11). Tum etiam inquirendi facultatem, utrum leges fundationis, et onera Ecclesiae, muniaque inservientium clericorum adamussim impleantur, ut supradictum est (12). Verum Tridentina Synodus (X) cavit (13): *ut patroni beneficiorum cuiuscunque ordinis, ac dignitatis, etiamsi communitates, universitates, collegia quaecumque clericorum, vel laicorum existant in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de iurepatronatus*

(1) Apud Mantic. Dec. 244., et S. Congr. Rit: apud Barbos in sum. apostolicar. decis. ver. *thurificatio*.

(2) In cap. 8. de *caus. poss. et propr.*, in quinta collect., et lib. 3. observ. cap. 6 — (3) Dec. 85. — (4) Lambertin. ibid. — (5) Ventriglia in prax. par. 11. adnot. 1. §. 4. n. 9.

(6) Glos. in cap. 1. *de iurep.* in VI. ver. *item istud*. — (7) Loc. cit n. 13, et seq. — (8) In paratitl. de sepult. — (9) Cap. XIII. v. 7. — (10) In cap. I. n. 36. — (11) Lambert. ibid. qu. 2. princ. 2. — (12) Cap. I. num. XXIV.

(13) Sess. XXV. cap. 9.

ipsorum ex fundatione, et dotatione essent, nullatenus, nullave causa, vel occasione se ingerant: sed illos libere rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant. Et alibi (1) sanxit, *ut patroni in iis, quae Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere: neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi haec faciant, et fabricarum redditus in usus Ecclesiae necessarios, et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curet.* (XI) Inter patroni onrra debet recenseri obligatio dirutam Ecclesiam raedificandi, et novam constituendi dotem, ubi adsignata dos fuerit evicta, vel defecerit (2). Antiquus enim patronus iacturam facit iuris sui, quoties Ecclesiam dirutam, vel inopem patiatur, ut alius reaedificet, vel redotet ex integro, sicque patronatum nova constructione, vel dotatione in se transmoveat, atque adquirat: (3). Et ubi dos casu etiam deperiverit, patronus Ecclesiam redotare cogitur, nisi malit patronatum amittere et iuri suo cedere (4). Hinc periculum dotis semel traditae ad Ecclesiam, non ad dotantem pertinere Rota definivit. *Si quis* enim *opus*, quod perfecit, adsignavit, deinde id fortuito casu aliquid passum sit periculum ad eum, qui fecit, non pertinere Imperator rescripsit, testante Ulpiano (5). Quemadmodum qui Ecclesiam sine dote construxerit tenetur ei sufficientia bona donare arbitrio Episcopi taxanda, si patronatum intendat obtinere (6). Quive non sufficientem praefixerit dotem, ad congruum supplementum cogendus est (7). Quum enim nemo ad Ecclesiam aedificandum admitti debet, nisi ante praefiniverit, quae ad luminaria, et custodiam, et stipendia clericorum sufficiant, atque instrumentum dotationis ostenderit, ex Conciliis Aurelianensi (8), et Bracarensi II (9), et Iustiniani (10), ut dictum est *in tractatu de beneficiis* (11), consequens est, ut aedificator Ecclesiae suppeditare dotem congruam cogatur, quam ante omiserit adsignare; coeptamque constructionem, et materialiter quod ad fabricam, et formaliter quod ad necessariam dotationem consummare (12). Incorptum enim opus caussa Reipublicae, obligatus est qui coepit, perficere (13). Iure hinc merito Honorius III. Reginaldo Regi Mannae in Anglia scribens eum hortatus est ad dotandum Ecclesias iam dotatas: *Quaedam* (ait Pontifex) *Ecclesiae regni tui, quarum omnium es patronus, quum non habere terram liberam*

(1) Sess. XXIV. cap. 3. de ref.
(2) Lambertin. *par. 1.* lib. 8. *qu. 5. princ.* Paul. de Cittadinis *de iurep. p. 3. qu. 17.* Genuens. *practicabil. Eccl. qu. 343.*, et Lotter. *de re beneficiar.* lib. 2. qu. 31. — (3) Rota dec. 405. coram Ludovisio, qui fuit Greg. XV., et Roch. de Curte *de iurep. ver. construxit qu 8. num. 13.* Vivian. *lib. 10 cap. 1.* — (4) Lotter. loc. cit. et Rot. dec. 230. par. 1. div. num. 5. — (5) In L. 1. §. ult. D. *de pollicitationibus.* — (6) Lotter. lib. 1. qu. 41. — (7) Lambert. loc. cit. qu. 5. art. 13. — (8) In *Can. nemo Ecclesiam 9. de consecr. dist. 1.* — (9) In *Can. placuit* 1. qu 3. — (10) Nov. LXVII. cap. 2. — (11) Cap. III. num. 12. — (12) Vivian. lib. 2. de iurep. par. 1. cap. 3., et Abb par. 2. cons 89. — (13) Cit. l. 1. §. 2. D. *de pollicit.*

asserantur, *Serenitatem tuam rogamus*, *monemus*, *et hortamur attente*, *quatenus quum indecens modis omnibus videatur*, *ut Ecclesiae memoratae competenti dote penitus sint expertes*, *ipsarum cuilibet saltem triginta passus terrae iuxta canonicas sanctiones in liberam eleemosynam extra coemeterium a parte qualibet earundem ad domos clericorum faciendos ibidem liberaliter largiaris*, *ut iidem pro te teneantur Dei misericordiam implorare* (1).

XII. Ius *utile* tandem versatur in alimentis potissimum, quae praestari oportet fundatoribus, eorumque filiis, et descendentibus de sanguine in casu inopiae, ex iustitia retributionis, et autidorali obligatione, iuxta canonem Concilii Toletani, transcriptum (2), et iuxta decretalem Clementis III. (3): *Si ad inopiam vergat ab Ecclesia illi modeste* (puta frugaliter, atque moderate) *succurritur*, *sicut in sacris est canonibus constitutum.* Habito scilicet respectu ad facultates Ecclesiae, et qualitatem personae (4). Probanda tamen est qualitas sanguinis, et descendentia a fundatore per inopem patronum, qui subsidia vitae obtinere velit ex redditibus Ecclesiae (5). Nam licet alia patronatus iura ad heredes etiam extraneos transeant, ut inferius edisseretur; ius tamen postulandi, percipiendique alimenta, tanquam personale, et inhaerens ossibus fundatoris, eiusque filiorum in infinitum nec cedi aliis, nec transferri potest, praeterquam successoribus de sanguine (6). Qui praeterea tenet alimenta egenis fundatoris descendentibus ex aequitate saltem deberi, etiamsi patronatu extincto Ecclesia libertatem esset adepta, vel patronatus ad extraneas personas transivisset. Si enim partem proventuum ecclesiasticorum, quos administrant clerici, debet alendis pauperibus distribuere, ob quadripartitam eorundem fructuum divisionem quinto abhinc saeculo praescriptam, expositamque *in tractatu de beneficiis* (7), cur filios fundatoris ad inopiam redactos alere contemnant beneficiarii, et necare negatis alimentis audeant, *quum in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii*, *a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse* (8). Ceterum in decernendis, taxandisque alimentis, vel denegandis multum praevaleat prudens iudicis arbitrium, qui varias casuum circumstantias perpendet: num scilicet patronus inops aliunde valeat iustius, et facilius alimenta consequi: num fructus Ecclesiae sustentando clerico beneficiario insufficientes, an superflui sint: num dos Ecclesiae patroni culpa deperiverit, an fortuito, num ingratus in Ecclesiam patronus fuerit, nec resipuerit unquam. Siquidem petitio alimentorum eiusmodi potius ab officio iudicis pendet, quam abs jure actionis, ut contendit Lotterius (9) contra Lambertinum (10). Ad vitandas vero dubitationes satius erit in limine fundatio-

(1) Cap. *ad hoc rex regnum 2. de iurep.* in quinta compil. decretal. penes Ian. Cironium. — (2) Cap. 1. n. 23. — (3) In cap. *nobis fuit* XXV. de iurep.—
(4) Glossa *in eod.* cap. ver. *modeste*: Aloysius Ric. in prax. eccl. part. 1. resol. 164. — (5) Rota par. 2. rec. dec. 454. n. 2. — (6) Lambertin. lib. 3. qu. 3. princ. art. 13.
(7) Cap. 1. n. 17. et 18. — (8) Cap. *cum in officiis 7. de testamentis* —
(9) *De re beneficiaria* lib. II. qu. 5. — (10) Lib. III. q. 3. princ. art. 7.

nis portionem aliquam praefinire patronis ad egestatem vergentibus, et separatam dotis partem isti alimentorum oneri subjcere, reliquam beneficiario relinquere ad semetipsum sustentandum, sartamque tectam habendam Ecclesiam.

XIII. Quin potest secluso alimentorum iure annua praestatio, et fructuum portio reservari patronis in actu fundationis cum Episcopi consensu (1). Lucius III. constituit, quod advocati, sive patroni Ecclesiarum *nihil in ipsis, praeter antiquos, et moderatos redditus a locorum Episcopis institutis exigere possint.* Et Innocentius III. (2) rescripsit Abbati, et conventui Bellaevillae Dioecesis Lugdunensis, ab ipso domus eorum primordio processisse, *ut fratribus S. Irenaei procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberet.* Insuper Glossa (3) opinatur posse hac in fundatione legem apponi, quod fructus Ecclesiae vacantis patrono cederent.

XIV. Tali ex reservatione vel expressa, vel praesumpta ortum habuisse videtur in regiis patronatibus utilitas *regalia*, seu regium ius, quo Reges praesertim Galli potiuntur, percipiendi fructus vacantium Ecclesiarum tam cathedralium, quam inferiorum, cuius meminit Lucius III, (4). Illudque non improbavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. (5). Ibi cautum, ut qui ab Ecclesiarum *fundatione*, vel ex antiqua consuetudine iura sibi regaliorum vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, ut et ea, quae non pertinent ad fructus vacationis tempore provenientes, non usurpent: nec bona cetera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant: sed in bono statu conservent. Hoc tamen in Regno ius regaliorum perdiu exulavit omnino, quum Carolus I. Andegavensis inter alias suae invèstiturae leges pactus fuisset regalia nequaquam sibi vindicaturum, ut dictum est *in tract. de beneficiis cap.* XVIII. *n.* 46.

XV. Solis Regibus, praetereaque nemini regalia posse competere, ac reservari vox ipsa regaliorum iudicat. Ivo Carnotensis (6) refellit quosdam Galliae Duces, et Comites ius regaliorum praesumentes. Profecto patronatui Regum, et Principum supremorum eae conceduntur praerogativae, quae quibusvis aliis denegantur, ut declaravit Synodus Tridentina (7). Quarum una istiusmodi est collatio beneficiorum sine ulla Dioecesani, vel summi Pontificis institutione, exposita *in tract. de beneficiis cap.* VII. de indultariis collatoribus *n. VI. et seq.* Altera est nominatio Abbatis in Ecclesia conventuali, et collegiali. Nam Clemens III. (8) in conventuali Ecclesia non electioni Praelati faciendae, sed iam factae honestius postulari adsensum rescripsit, *nisi aliter* (ait) *de sua iurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandae.* (XVI) Clausulam hanc lanus Acosta (9) animad-

(1) Can. *Eleutherius* pen. XVIII. q. 2., et cap. *praeterea* 23. *de iurepat.*
(2) In cap. *quanto* 16. *de censibus.* — (3) In Cap. XIII. de elect. in VI. ver. *fundatione.*
(4) In Cap. *praeterea* 23. de *iurep.*— (5) In Cap. *generali* XIII. de *electione* in VI. — (6) Epist. XCIV. — (7) Sess. XXV. Cap. 9. — (8) In Cap. *nobis fuit* 25. de iurepat. — (9) In Cap. I. *de sent., et re iudic.*

vertit provide additam fuisse ob christianos Reges, et Principes, qui pleniori gaudent patronatu. Honorius III. Mariae viduae Isaaci Angeli Imperatoris Constantinopolitani rescripsit, ut super patronatu monasterii Pacinaciensis Graecarum monialium de propriis bonis reaedificati, ac dotati nemo eam auderet molestiis afficere (1). Marchio Brandeburgensis etiam in Collegiali Ecclesia, quam fundaverat, ius praesentandi sibi reservavit, et exemptionem ab ordinaria Episcopi iurisdictione (2). *Qui debeat per eum praesentari*, *et per Romanum Pontificem confirmari*. Carolus II. Andegavensis an. 1306. quum adsignasset Regiae Ecclesiae divi Nicolai civitatis Barii (per Rugerium Apuliae, et Calabriae Ducem fundatae an. 1089.) pro augmento dotis duo feuda nobilia Rutiliani, et S. Nicandri, omnino franca sibi, suisque successoribus ius reservavit obtinendi stallum canonicale in choro, et percipiendi quotidianam distributionem, quoties choro interesset, aeque ac eiusdem Ecclesiae Canonici, ut liquet ex diplomate apud Chioccarellum (3). Quapropter Rex Ferdinandus I. de Aragonia quum voluisset interesse divinis in dicta Ecclesia, portionem unius Canonici accepit, ac pauperibus distribuit (4). Cuiusmodi exemplum sequuta est S. R. Maiestas piissimi Regis Caroli Borbonii quum Barium adiit visendi studio Sanctuarium tam celebre, et mirifica Divi ossa, fontem incorrupto manna perenniter scatens.

ADDITIONES.

Quum beneficia ecclesiastica sint iuxta canones ipsa sacra ministeria, quibus Ecclesiae redditus perpetuo sunt adnexi, exploratissima in Iure res est caussas beneficiarias spiritualibus accenseri, ac proinde ad Episcopale forum pertinere. Nulla enim sacrae disciplinae ratio patitur Clericos in perpetuum aliquod obire in Altaris ministerio officium, eiusque redditibus sustentari, nisi a Praelatis sint delecti, et canonice instituti (5). Unde controversiae omnes, quae vel de illorum collatione, vel de qualitatibus beneficiariorum, vel de ipsius beneficii privatione, vel de excitandis, coniungendis, vel partiendis beneficiis oriri possunt, in foro dumtaxat ecclesiastico rite definiuntur.

Praeterea licet ius patronatus sit temporale, quatenus per dotationem, aut Ecclesiae fundationem adquiritur, et cum bonis in heredes transfertur, officio tamen sacro, rei nempe spirituali illud cohaeret. Vis enim patronatus in Clerici idonei praesentatione consistit, atque adeo a patrono designatus in titulo ecclesiastico instituendus est.

Quamobrem iuxta canones quae spiritualibus sunt adnexa eodem iure existimantur, ac ipsa spiritualia (6): quum res magis digna, nempe

(1) Cap. I. *de iurepat. in quinta Compilat. Decretal.* apud Ciron.
(2) Innoc. III. epist. 58. Lib. XIV. — (3) Tom. VII. Archiv. — (4) Vinc. Maxilla *in consuet. Barens.* tit. de sacros. Eccles. §. venerabilis n. 6.
(5) Can. *omnes Basilicae* 10. C. XVI. q. 7: Alex. III. in Cap. *ex frequentibus* 3. de inst. Bonif. VIII. Cap. 1. de *reg. Iur.* in VI.
(6) Cap. V. ex. *de rer. permut.*

spiritualis ad se trahat minus dignam, et accessoriam, idest temporalem (1).

Enimvero Alexander III. beneficiis privandos eos statuit (2), qui non requisita Episcopi Audientia occasione laicae recognitionis illa in Anglia obtinebant. Et S. Gregorius VII. in Synodo Romae habita ann. 1074. cap. I. statuit: *ne aliquis Clericus, vel Monachus a laicis Ecclesias recipiat dono, vel pretio, nisi ab Episcopo*. Ad rem quoque facere videtur Urbanus II. qui in Concilio Melphitano ann. 1089, cui etiam Rogerius Apuliae Dux adfuit, can. VIII. decrevit: *ut nullus in clericali ordine constitutus, nullusque Monachus Episcopatus, aut Abbatiae, aut cuiuslibet ecclesiasticae dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat: quod si praesumpserit, depositione mulctetur*.

Porro hanc Episcoporum iurisdictionem agnovit etiam Iustinianus, qui Nov. LVII. verbis usus Prophetae Ezechielis *ne profanentur sancta Dei*, aperte adfirmat Ecclesiae ministros a fundatoribus praesentatos a dioecesani Episcopi iudicio probandos esse.

Quae quum ita se habeant, Conventione inita inter Benedictum XIV. Summum Pontificem, et Carolum III. utriusque Siciliae Regem ann. 1741, cap. VI. art. IV. (quem Noster etiam indicavit) diserte cautum: *caussas beneficiarias ad episcopale forum pertinere, dummodo non agatur de iure patronatus regio, aut feudali in iis tantum caussis, quarum decisio ex eo pendet articulo, utrum sit patronatus feudo adnexus, an non, aut de universitate bonorum in aliis beneficiis laicalibus iuripatronatus obnoxiis*. Quamobrem exorta controversia inter patronos simplicis beneficii in quadam Ecclesia Aversanae Dioecesis erecti, Regio rescripto sub die IX. Ian. an. 1770. fuit provisum quod eiusdem Ecclesiae Episcopus illam definiret.

Postremo Concordatorum lege an. 1818. art. XX. sancitum, quod Episcopi *caussas ecclesiasticas in eorum Foro cognoscerent, atque de illis sententiam ferrent*.

Illud autem hic observandum restat, quod in caussis beneficiariis de patronatu ecclesiastico, et laicali regiis quoque Rescriptis episcopalis iurisdictio apertissime agnita fuit. Sane cum quaestio promoveretur de Primiceriatu huiusce Metropolitanae Ecclesiae iuripatronatus obnoxio inter agnatos, et cognatos ex familia de Ianuario descendentes (quae lis adhuc sub iudice est), Regio Rescripto sub die IX. Nov. 1819. illam ecclesiastico iudicio definiendam esse expresse decretum. Idem quoque recentioribus Rescriptis constitutum legimus in similibus caussis de Primiceriatu Cavensis Ecclesiae, aliisque.

(1) Cap. VII. ex. *de transact.*—(2) In Cap. *relatum est* 21. ex de iurepat.

CAP. III.

DE VARIIS PATRONATUS SPECIEBUS.

I. Dividitur patronatus in ecclesiasticum, laicalem, et mixtum.
II. Quid ecclesiasticus?
III. Quid laicalis?
IV. Quid mixtus?
V. Ecclesiastici species constituitur vel a bonis ecclesiasticis, vel a personis.
VI. Intuitu bonorum patronatus ecclesiasticus rarissime datur.
VII. Intuitu vero personarum est frequentior.
VIII. In dubio praesumitur laicalis.
IX. Laicalis non subjicitur pontificiis affectionibus, reservationibus, vel Cancellariae regulis, secus quam ecclesiasticus.
X. In mixto patronatu iura qualitatis, vel ecclesiasticae, vel laicalis, quae patrono magis favent, attenduntur.
XI. Rursus dividitur patronatus in realem, et personalem.
XII. Realis autem subdivitur in regium, feudalem, ac privatum.
XIII. Regius supremis Principibus competens modo amplior cum iure collationis, modo simplex cum iure nominationis, vel praesentationis.
XIV. Feudalis feudo adnexus praerogativas regii patronatus retinet, et praecipue exemptionem a iudicio episcopali.
XV. Quibus praerogativis caret patronatus privatorum.
XVI. Dividitur item patronatus in hereditarium, gentilitium, familiarem, et mixtum.
XVII. Hereditarius ad heredes etiam extraneos pertinet.
XVIII. Gentilitius ad personas certi generis, vel stirpis.
XIX. Familiaris ad unam, pluresve familias.
XX. Mixtus ad descendentes certi generis, certaeve familiae, qui sint etiam heredes bonorum.
XXI. Ad primogenituram, vel maioratum quandoque restringitur gentilitius, vel familiaris.
XXII. Et modo agnatitius pro agnatis, modo cognatitius pro cognatis instituitur.
XXIII. Pro familia vel effectiva, vel contentiva.
XXIV. Dividitur tandem patronatus in activum, et passivum.

I. Post agnitam patronatus naturam in eius definitione, ordo postulat, ut variae eiusdem species in suis divisionibus disquirantur. In primis vero operae pretium est triplicem patronatum dispicere, scilicet ecclesiasticum, laicalem, et mixtum.

II. *Ecclesiasticus* dicitur, quoties pertinet ad ecclesiasticos non simpliciter, sed ratione Ecclesiae, monasterii, vel dignitatis, vel beneficii, cui adnexum sit iuspatronatus, vel quia reservatum in limine fundationis ipsis ecclesiasticis: vel quia translatum alio quovis titulo ad eos a patronis etiam laicis. Namque nullimode refert originem habuisse de bonis saecularibus, vel de fundatione per laicos peracta, dummodo ad ecclesiasticos translatum sit testamento, vel donatione, vel quovis alio titulo (1).

III. *Laicalis* vero patronatus appellatur, ubi nedum laicis, verum ecclesiasticis etiam personis competit, non quidem intuitu Ecclesiae, vel beneficii, sed ratione profani patrimonii, vel iure fundationis, vel successionis, vel iure sanguinis. Itemque laicalis putatur, qui confraternitatibus laicorum competit, uti post Felinum sentit Covarruvius (2).

IV. *Mixtus* denique dicitur, qui ex utroque constat: vel qui pertinet ad laicos promiscue, et ecclesiasticos ratione tam patrimonii, quam Ecclesiae: vel qui fundatus est de bonis partim profanis, partim ecclesiasticis. Non semel quippe contingit in praxi, ut in uno, eodemque beneficio duo adsint patroni, ecclesiasticus alter, et alter laicus.

V. Qualitas igitur ecclesiastica dupliciter emergit, vel a *bonis* ecclesiasticis, quibus fundatio, aut dotatio facta sit: vel a *personis* ecclesiasticis, intuitu Ecclesiae, et beneficii obtinentibus patronatum. Hanc distinctionem in primis adhibuit Concilium Oecumenicum III., seu Concilium Constantinopolitanum I. an. 869.) (3) his verbis: *Si Episcopus convictus fuerit construxisse monasterium de redditibus ecclesiasticis, tradat ipsum idem Ecclesiae Monasterium: si vero de propriis rebus, aut aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundum propriam potestatem, et voluntatem omni vita sua, et post finem vitae dimittat, et conferat hoc quibuscumque voluerit, non tamen saeculare diversorium fiat.* Isti constitutioni consonant hodierni etiam mores. Si enim quaelibet ecclesiastica persona construat, vel dotet beneficium de patrimonialibus, profanisque bonis, iuspatronatus censebitur laicale. Si autem bona fuerint ecclesiastica, vel intuitu Ecclesiao quaesita, in quibus Ecclesiam heredem haberet ipso iure, tunc iuspatronatus erit ecclesiasticum.

VI. Nihilominus rarissima est isthaec patronatus ecclesiastici ratione *bonorum* species: quoniam ex transactionibus inter Cameram Apostolicam, et Capitula Cathedralium initis, quas exposui *in tract. de beneficiis* (4), vel ex indulto speciali Sedis Apostolicae solent, ac possunt beneficiarii de bonis intuitu Ecclesiae quaesitis disponere, ac testari, ut animadvertit doctissimus Emmanuel Gonzalez (5): *Nec inte-*

(1) Cap. VIII. XI., et XVII. de iurep., et cap. un. hoc cod. tit. in VI.
(2) *Pract. quaest.* cap. 36 num. 8.—(3) Can. XV. — (4) Cap. XVIII. *de spolio* n. 27. — (5) Ad Cap. V. *de iurepat.* num. 3.

rest, *quod patrimonium illud adquisitum sit intuitu Ecclesiae; quia cum ex generali consuetudine* ait Gonzalez, (sed rectius dixisset ex frequentibus pontificiis indultis) *clerici de talibus bonis testari possint*, *et in illis ab intestato eisdem succedatur*, *sicuti in patrimonialibus*, *videtur clericus dotans*, *vel extruens Ecclesiam sibi*, *suisque heredibus*, *vel consanguineis iuspatronatus ratione patrimonii reservasse*, *et ita laicale iudicatur*.

VII. Frequentius tamen occurrit iuspatronatus ecclesiasticum ratione *personarum* illud possidentium, vel ex primitiva fundationis lege, vel ex accidentali patronatus ipsius de saecularibus ad ecclesiasticas personas transitu. Quum in S. Pancratii Ecclesia presbyteri saeculares ministerium suum negligerent, adeo ut sacrificia populus diebus etiam dominicis desideraret, divus Gregorius V. in ea monachos cum Abbate constituit cum iure accersendi presbyterum, quem vellent, inibi sacrificaturum, et congruum ei adsignandi stipendium. *Praecipimus* (1), *ut peregrinum illic debeas habere presbyterum*, *qui sacra Missarum possit solemnia celebrare: quem tamen et in monasterio tuo habitare*, *et exinde vitae subsidia habere necesse est*. En perspicuum patronatus ecclesiastici exemplum respectu personarum in veteri disciplina. Qui frequentissimus fuit circa Alexandri III. tempora. Quum enim laici quamplures bona ecclesiastica usurpassent, atque a Principibus Ecclesias, et monasteria in feudum, et alodem accepissent, seq. dominos, et patronos earum nuncuparent cum facultate instituendi, et destituendi clericos servientes poenitentia postmodum adducti in monasteria, et Capitula Cathedralium usurpata transtulerunt, unde factum est ut monachi, et presbyteri praesentarent clericos iisdem Ecclesiis servientes : sicque inoleret iuspatronatus ecclesiasticum ratione personarum, quod origine inspecta fuerat laicale.

VIII. In dubio autem potius laicale, quam ecclesiasticum esse praesumitur, quia secundum regulas canonum transitorium est ad filios, et heredes, ut docet Franciscus le Roye (2): et quia, ut plurimum laici sunt Ecclesiarum fundatores, ut opinatur Guilielmus de Benedictis (3).

IX. Istiusmodi distinctio nedum utilis, verum etiam necessaria est ad intelligendos notabiles, variosque effectus ab alterutra patronatus specie promanantes. Praesertim vero, quod laicale Sedis Apostolicae affectionibus, reservationibus, derogationibus, et Cancellariae regulis minime subiacet facultatemque cumulandi plures praesentatos tribuit (4), ecclesiasticum vero secus : ut alia discrimina omittam suis in locis inferius explananda. Per simplicem sane collationem pontificiam censetur patronatui ecclesiastico derogatum, quamvis nulla derogationis, vel ipsius patronatus mentio fiat, quum maxime afficiatur apostolicis reservationibus, et contineat implicitam derogationem (5).

(1) Epist. XXVIII. lib. 3.— (2) In *prolegomenis* ad tit. *de iurep*. cap. 6.
(3) Ad cap. *Rainutius ver*, *et uxorem nomine Adelasiam* dec. 1. n. 24., Wanespen par. 2. tit. 25. *de iurep*. n. 9., et 10.— (4) Card. de Luca disc. 65. de iurep. n. 24. — (5) Gonzalez ad reg. 8. gl. 18. n. 6., et 7: Garzia par. 5. cap. 1. n. 552 : Card. de Luca disc. 65. de *iurep*. n. 18.

X. Et quoniam in mixto patronatu dubitari solet, utra qualitas praevaleat, debeatque attendi ad eosdem effectus modo proficuos, modo adversos; Cardinalis de Luca hanc tradit regulam (1): ut scilicet, si mixtura qualitatum ecclesiasticae, et laicalis fuerit *aequalis*, semper attendenda sit qualitas patrono favorabilior, quatenus unus, idemque patronatus diverso iure censeatur, modo scilicet ecclesiasticus, et modo laicalis, prout patronus sibi magis expedire putabit. Ubi vero mixtura qualitatum sit *inaequalis*, quia scilicet maior pars sit laicorum, quam ecclesiasticorum, et e contrario; alii tenent attendendam esse partem praeponderantem (2). Sed probabilius alii docent favorabiliorem adhuc partem attendi debere, post Vivianum (3). Iisdem utique rationibus, propter quas privilegiatus unus suum privilegium pluribus collegiis communicat, ut notat Cardinalis de Luca disc. 59.: Glossa (4): vel propter individuitatem patronatus, qui residet penes singulos, itant aliis praesentare negligentibus, vel indignum nulliter nominantibus unus patronus idoneum praesentans totum ius exerceat. Similiter loca pia ab administratoribus mixtim laicis, et ecclesiasticis gubernata merito subiecta esse legi Concordatorum, aeque ac mere laicalia, pluries sensit Tribunal Mixtum, praesertim vero in caussa pro Civitate Fundorum die XI. Aprilis, et pro Terra Traiecti Dioecesis Caietae die 2. Maii 1742.

Quamobrem rectissime docet Fagnanus (5), si agatur de praescriptione patronatus mixti, in qua Ecclesia maiori potitur privilegio, quam laicus, censetur patronatus totus ecclesiasticus, ut requiratur ad eius praescriptionem idem tempus, quod requiritur contra Ecclesiam. Similiter cum patronus laicus habeat ad praesentandum quadrimestre, ecclesiasticus semestre; si mixtus sit patronatus, uterque patronus habebit semestre: quia hoc casu melior est conditio patronatus ecclesiastici, quam laicalis. E contrario, si versamur in materia, in qua patronatus laicorum sit firmior, et amplior, quam ecclesiasticus patronatus mixtus ex utroque totus censetur laicalis. Et ideo, quod ad praerogativas patronorum laicorum, iuspatronatus mixtum censetur laicale, tametsi multo plures essent ecclesiastici patroni, quam laici: quoniam in mixtis praevalere qualitatem magis faventem sentiunt DD. communiter, per quam ius alterius non laeditur in communione, etiamsi qualitates contrariae sint numero plures.

XI. Secundo dividitur iuspatronatus in *reale*, et *personale*. *Reale* appellatur, quod adnexum est alicui fundo, vel castro, vel praedio, vel feudo, et competit possidentibus tale fundum, vel castrum, vel feudum (6): ibi definitur iuspatronatus Ecclesiae fundatae in quadam

(1) Card. de Luca *in summ. iurisp. n. 47.* — (2) Gonzalez gl. 18. n. 15. Lotter. qu. 10. n. 67. — (3) Lib. VII. *de iurep.* cap. 1. n. 10: Barbos. *de pot. Episc.* alleg. 72. n. 131: Rota dec. 250. n. 13., et seq. part. 12. rec: Card. de Luca disc. 59. de *iurep.* n. 23., et disc. 64. num. 4. — (4) In Cap. un. *de iurepat.* in VI. — (5) In Cap. *cum propter de iurep.* n. 28., et seq.

(6) Cap. *ex litteris* 7. de iurep., et cap. cum *Bertoldus* 18. *de sent., et re iudic.*

villa, et curia transiisse ad conductorem ad firmam eiusdem villae, atque ad pignoratarium eiusdem curiae cum universitate illius rei temporalis, cui adhaerebat iuspatronatus. Photius (1) leges imperiales recensuit sancientes, ne quis Catholicorum Iudaeo, pagano haeretico, Samaritano venderet, locaret, oppignoraret, in emphyteusim concederet praedia sua, in quibus Ecclesiae fuissent constructae, alias ea Ecclesiae parochiali adiudicarentur, quoniam in Ecclesiis orientalibus (ut coniicere licet) domini agrorum patronatus iura obtinebant in Ecclesiis inibi aedificatis. *Personale* autem competit personis independenter ab aliqua re quovis alio titulo, nullique praedio, vel fundo inhaeret.

XII. Tertio. *Reale* itidem subdividitur in *regium*, *feudale*, et *privatum*.

XIII. *Regium* dicitur, *quod ad Imperatorem, et Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes iura Imperii in dominiis suis habentes, pertinet* (2): modo cum plenario collationis iure, modoque simpliciter quod ad nominationem, et praesentationem. Primo casu comprehendit liberam, plenamque *collationem* Ecclesiae, et beneficii sine ulla Episcoporum institutione, vel auctoritate, quae in decretalibus appellari solet *donatio*, quatenus titulo collativo Rex absolute donet, et conferat, facultatemque capiendi possessionem tribuat (3). Ibi Honorius III. rescripsit Episcopo, et Praeposito Cameracensi, *quod dilecta in Christo filia Comitissa Flandrensis fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus ius obtinet patronatus, et* donationes *eorum in manibus posuerit alienis* (4). Et Innocentius III. (5) memorat *caussam, quae inter Ariensem Praepositum, et Comitissam Flandrensem super donatione sex praebendarum sacerdotalium agitabatur.* Idemque Pontifex (6) rescripsit, *quod Rex Angliae, et Progenitores conferebant, Dioecesano Episcopo etiam inconsulto, Decanatum, et Praebendas Ecclesiae S. Petri de Curia Cenomanensi.* Thomassinus (7) meminit a Bonifacio VIII. indultum fuisse Philippo Pulcro Regi Galliae, *quod ad suum beneplacitum in qualibet Ecclesia Cathedrali, et Collegiata Regni sui una idonea persona poneretur.* B. Chioccarellus (8) recenset collationes Ecclesiae Archipresbyteralis Civitatis Altamurae in hoc Regno factas ab Imperatore Friderico II. an. 1232. a Carolo I. Andegavensi anno 1269; aliisque sequentibus Principibus. Itidem *tit. 2. eiusdem tomi* collationes Prioratus, et Canonicatuum, aliorumque beneficiorum, et capellaniarum Ecclesiae S. Nicolai Baren. auctoritate Bonifacii Papae VIII. incoeptas a Carolo II. Andegavensi., qui eamdem Ecclesiam fundavit, ac dotavit. In *seq. tit. III.* in primis refert novam Cathedralis Ecclesiae Lucerinae dotationem confectam an. 1302.

(1) In *Nomocanone* tit. 10. cap. 8.
(2) Trident. Sess. XXV. de refor. cap. 9.
(3) Cap. fin. *de necess. praeb.* —(4) In Cap. *dilecto filio* 40. *de testibus.*
(5) In Cap. *cum olim* v. de consuet. in tertia Compilat. penes Anton. August. — (6) Fragmentum huius epist. refertur in Cap. *cum olim* 6. de *consuet.* —(7) Par. IV. lib. 2. cap. 21.—(8) Tom. VII. arch. tit. 2. per totum.

ab eodem Carolo II. cum expressa reservatione conferendi canonicatus pro medietate, salva Episcopo facultate conferendi reliquos pro altera medietate. Alia insuper beneficia tam simplicia, quam curata confert Rex noster vel iure fundationis, vel consuetudinis immemorabilis, vel privilegii apostolici, quemadmodum quotidiana docet experientia diplomatum regiorum, quae in Regia Camera S. Clarae expediuntur super collationibus beneficiorum ad regiam collationem pertinentium.

Alia vero beneficia, et Ecclesiae sunt de regio patronatu simplici, sine iure collationis, in quibus Rex nominationem, et praesentationem, praeter alia iura honorifica obtinet per Episcopos locorum Ordinarios, vel Summum Pontificem explendam, quatenus auctoritate ecclesiastica instituatur praesentatus, vel nominatus per Regem, et possessionem accipiat canonicam, quoties inveniatur idoneus.

XIV. Feudale iuspatronatus appellatur, quod feudo, reique feudali adnexum est, et feudatario competit ratione investiturae feudalis, vel universae feudi possessionis, non vero intuitu personae: ideoque ad feudi possessorem transit cum universitate illius (1). Et quoniam directum feudi dominium ad Regem infeudantem pertinet, atque ad Regem ipsum non semel devolvitur ob deficientes feudatarii successores, personasve in investitura comprehensas, vel ob infidelitatem, laesamque Principis Maiestatem, patronatus feudalis retinet semper intrinsecas patronatus regii qualitates, et praerogativas, de quibus inferius. Eamque ob rem Concordata novissima an. 1741. (2) ab ordinaria Episcoporum iurisdictione eximunt caussas patronatus regii, vel feudalis, quoties controvertitur, utrum feudo sit adnexus, necne, tamquam pertinentes ad regium Magistratum.

XV. Privatum denique nuncupatur, ubi non propter feudum, vel investituram feudalem, sed alio quovis titulo possidetur nedum a personis privatis, sed etiam a feudatariis, tamquam allodiale, seu burgensaticum.

XVI. 4. Dividitur item in *hereditarium*, *gentilitium*, *familiare*, *et mixtum*.

XVII. *Hereditarium* cum universa hereditate fundatoris, vel patroni ad quoscunque transit heredes tam extraneos, quam de sanguine, sive ab intestato, sive ex testamento tanquam pars accessoria, et membrum hereditatis (3), ex qua regulam desumunt Doctores unanimiter, quod iuspatronatus in dubio praesumatur hereditarium, nisi aliam qualitatem aperte fundator voluerit.

XVIII. *Gentilitium* peculiari notione dicitur, quod uni, vel pluribus personarum generibus, vel stirpibus reservatum est sine ullo agnationis, vel cognationis discrimine, quatenus istae licet qualitatem hereditariam non habentes, praesentare, et munia patroni obire valeant.

XIX. *Familiare* autem, quod uni, vel pluribus familiis, aut agnationibus sine qualitate hereditaria reservatum est, cognatis exclusis. Pa-

(1) Cap. *cum saeculum* 13. de *iurep.* — (2) Cap. VI. art. 4. — (3) Cap. 1., et Cap. *cum saeculum* de iurep., et Clementina *plures* de iurep.

riter *familiaria sepulcra dicuntur*, *quae quis sibi, familiaeque suae constituit : hereditaria autem, quae sibi, heredibusque suis constituit*, ait Caius (1). Nihilo tamen minus gentilitium pro familiari promiscue, sed perperam usurpari solet (2). Nam familia strictim accepta heic seriem omnium agnatorum, qui ex eadem domo, ac gente propagati sunt, unoque designatur cognomine, continet. Gens vero universum genus in plures familias proditum, ac distinctum, ut puta Gens Iulia, quae alteram Iuliorum familiam, alteramque Caesarum complectebatur, ab *ingenuis* oriundam, iisque clarissimis. *Gentiles* quippe ab *ingenuorum antiquitate* dicti videntur. Verba testatoris reservantis pro illis de domo, vel *cippo*, vel *trunco*, vel *sanguine*, vel *parentela*, vel *familia* solent qualitatem indicare gentilitiam, et familiarem, quae aliquando agnatos tantum, aliquando cognatos quoque complectuntur (3). Idquo circumstantiis casuum peculiaribus, et adminiculis definiendum est hoc sane pacto, ut ubi qualitas patronatus per fundatorem clare sit praescripta, omnis dubitatio evanescat. Ubi vero fundatio non habeatur, vel ambigua fuerit, tunc observantiae nimium deferatur, atque interpretationibus, et adminiculis.

XX. *Mixtum* ex familiari, seu ex gentilitio, et hereditario heic appellatur, quod competit personis obtinentibus utramque qualitatem hereditariam, sanguinis videlicet, seu generis, seu familiae, seu descendentiae, et rei familiaris : illis puta, qui e sanguine fundatoris, vel patronorum propagati, hereditatem quoque bonorum consequuntur.

XXI. Et ubi fundator maluerit patronatum primogenitis, vel natu maioribus certae familiae, vel generis reservare, tunc solent vocabulo *primogeniturae*, vel *maioratus* pragmatici praesignare huiusmodi patronatum, non aliter, quam fideicommissum.

XXII. Praetereaque *agnatitium* patronatum vocitant, si agnatos tantum, et descendentes masculorum exclusis foeminarum stirpibus fundator vocaverit : et *cognatitium* e converso, ubi lineas tam masculinas, quam foemineas comprehenderit. Et ubi ad masculos tantum plurium linearum de cognatione exclusis foeminis pertineat, patronatus dicitur *saltatorius*, quia saltatim de una ad aliam lineam, in qua sit masculus, pertransit.

XXIII. In familiari insuper patronatu distinguunt familiam *effectivam* fundatoris, quae ad eius descendentes tantum refertur, a familia *contentiva*, quae collaterales etiam fundatoris, eorumque descendentes unius, eiusdemque progeniei complectitur.

Quemadmodum in *gentilitio* distinguunt patronatum *lineale*, *a gentilitio-familiari*. Primus reservatur liberis, descendentibus, lineis, progeniebus, seu generationibus per collectivam vocationem plurium personarum, et graduum, a distinctis stipitibus, et lineis descendentium.

(1) In L. *familiaria* 5. D. *de religiosis*, et *sumptibus funerum*.
(2) Card. de Luca in *summ. iurisp.* n. 29., et disc. 61. n. 30. — (3) Lotter. quaest. 11. lib. 2 : Vivian. dec. 71 : Card. de Luca disc. 60. de *iurep.* n. 31.

Secundus vero competit agnatis, et cognatis omnibus unius, eiusdemque familiae sine ulla stirpium, et linearum distinctione (1).

XXIV. Ad extremum modo *activum*, modo *passivum* iuspatronatus dicitur. *Activum*, ubi facultatem nominandi, et praesentandi clericum idoneum in vacanti Ecclesia, vel beneficio patronus obtineat. *Passivum*, quoties aliquis de certo genere, vel sanguine ius habet in fundatione praescriptum, ut nominetur, ac praesentetur a patronis ad vacantem Ecclesiam, vel Capellam: iisque praesentare negligentibus, aut nolentibus, institutionem ab Ordinario Loci, et possessionem beneficii canonicam adipiscatur, tanquam ab ipso fundatore praesentatus.

Quonam iure *competat* patronatus, mox dicendum est in *cap. IV, et seqq.*

ADDITIONES.

Quum ius patronatus sit temporale spirituali adnexum, in vulgarem abiit opinionem illud, veluti quamdam servitutem Ecclesiae impositam censeri, quasi in bisce beneficiis neo Ecclesia ipsa, nec patronatus libertate potiantur. At quum sit dispar utriusque iuris ratio, comparationem inter patronatum, et servitutem non recte institutam luculentissime patet.

Nimirum Iuspatronatus ab Ecclesia fuit concessum, ut suam gratitudinem piis fundatoribus ostenderet, aliosque fideles ad beneficia instituenda excitaret: uti passim eruitur ex pluribus sacris sanctionibus (2). Ad rem quoque Gregorius M. ad Ecclesiae fundatorem diserte scripsit (3): *et ut intelligas qualem tibi, et heredibus tuis honorem, et commoditatem exhibet Ecclesias, scias, ut gratitudinem ipsam ad fundatores ostendit, quod a S. Patribus statutum* etc. Quare ex canonum indulgentia incitamentum, non detrimentum, gratitudinis monumentum, non servitutis onus Ecclesiae impositum colligere datur.

Praeterea servitutes stricte acceptae, uti sanxere leges, imponi nequeunt loco sacro, sancto, et religioso, quippe quae res sunt extra hominum commercium (4). At in illis utique iuspatronatus constituitur. Rursus servitutes adquiruntur pactis, stipulationibus, ultimis voluntatibus (5). Verum ius patronatus Ecclesiae fundatoribus inesse ipso iure nullaque interveniente stipulatione, nemini impervium (6).

Porro ipsam beneficiorum collationem patronis baud competere explorata res est. Hi enim dumtaxat Ecclesiam iuvant, eique favent iuxta Canones, dum idoneos Clericos quaerunt, quos Episcopi in illis instituunt. Hinc Gratianus aperte testatur (7): *fundatores Ecclesiarum habere tantum ius providendi, consulendi, inveniendi Sacerdotem.* At

(1) Piton. *de controv. patron.* alleg. 10. n. 10.
(2) Can. 37. IV. Conc. Tolet: Greg. M. in Lib. Sacrament. pag. 154.
(3) In Pontif. Rom. *de Eccl. dedicat.*, *et consecrat.* pag. 250. — (4) L. *servit.* 14. in fin. — (5) L. 16. D. comm. praed. §. 4. Inst. h. t. — (6) Clemens III. in Cap. XXV. de *iurepat.* Innocentius III. in Cap. XII. de *testibus.*
(7) Post can. *quicumque* 16. q. 7.

manus auxiliatrices in beneficiorum collatione Ecclesiae libertatem infringere quis inde colligere audet?

Certe quidem non ignoramus beneficia iuripatronatus obnoxia omnino libera haud censeri: id vero improprie intelligendum est, quod scilicet Episcopi iuxta canones Clericorum idoneam presentationem a patronis fieri sinant, ac isto sensu ea liberae collationis non existimari.

Quamquam autem Ecclesia in veteri disciplina sanxerit dignitates, et ecclesiastica munera minime conferenda esse, priusquam populi vota postularentur (1), haud inde inferas illa in quamdam populi servitutem fuisse aliquando redacta. Huc quoque referas, si lubet, plures Decretalium sanctiones, quibus cautum Clericos nec institui, nec degradari posse ab Episcopis, nisi consentiente Canonicorum Collegio. At inde ne colligas beneficia esse in Capituli servitutem deducta.

Non negaverim fuisse honores, et iura, quae passim Ecclesia, publica suadente utilitate, tribuit: at vel explorati iuris est illa a servitutis constitutione longe distare. Quamobrem in Iurepatronatus cum Episcopi ad patroni praesentationem ecclesiastica conferunt beneficia, nemini serviunt, nec aliena potestate Clericos in illis instituunt, sed suo proprioque iure utuntur.

Ex his igitur, quae hactenus edisserui, apertissime liquet nullam Ecclesiae servitutem in iurispatronatus institutione fuisse impositam.

CAP. IV.

DE ADQUIRENDO PATRONATU.

I. Communi iure adquiritur patronatus iustitiae.
II. Speciali autem adquiritur patronatus gratiae.
III. Patronatus iustitiae competit ex fundatione, vel constructione, dotatione, et praescriptione.
IV. Cuius praerogativae multiformes per conniventiam Ecclesiae sensim moribus, et constitutionibus inductae.
V. Patribus abusum patronatus, non usum ligitimum damnantibus.
VI. Patronatus vero gratiosus competit ex privilegio pontificio.

I. Duplici iure generatim adquiritur patronatus, vel *communi* scilicet, ac publico, vel *speciali*, ac privato. E Iure communi profluunt onerosi iustitiae tituli *fundationis*, ac *dotationis*, itemque *praescriptionis*

II. E speciali autem titulus *privilegii* gratiosus, et lucrativus.

III. Quivis Ecclesiam, vel Capellam fundaverit, construxerit, dotaverit, eo ipso nunc patronatum adquirere, compertissima res est ex

(1) Conc. Constant. I. *epist. ad Damasum*: Leo M. *epist.* X. cap. 6.

decretali Clementis III. (1): Patresque Tridentini titulum patronatus nedum ex fundatione, vel dotatione, sed ex multiplicatis quoque praesentationibus per tempus immemorabile, aliasve secundum Iuris dispositionem apertissime comprobarunt (2). Quibus Romanae Sedis, et Oecumenicae Synodi canonibus factum est, ut fundatores Ecclesiarum in nova Ecclesiae disciplina patronatum iustitiae nequaquam e gratia speciali, seu privato iure, sed communi, ac publico agnoscant, quod etiam Rota Romana fassa est (3).

IV. Utrum vero in veteri disciplina, saeculisque ante compilationes Decretalium decursis patronatus iura titulo speciali, et arbitraria Episcoporum concessione indulgerentur, et citra iniuriam denegarentur aliquando, investigari, ac definiri valet ex traditis (4). Quae enim relatae inibi sunt, servato temporum ordine Synodorum constitutiones, Patrum sententiae, Summorum Pontificum epistolae, una cum placitis laicorum Principum satis, superque ostendunt in prioribus Ecclesiae saeculis perantiqua, et multiformia fundatorum iura sensim moribus, et constitutionibus inducta conniventibus Pontificum, et Patrum oculis, quibus alioquin, et impium videbatur gratiam piis erga Ecclesiam hominibus non habere, nec bona retribuere, et grande peccatum retrahere fideles a sacrificio Domini, et oblationibus, quod fecerant filii Heli (5), quin et necessarium pios homines variis praerogativis ad Ecclesias dotandas, et construendas allicere. Tametsi pro ratione temporum, et locorum, et personarum Pontifices maximi eiusmodi praerogativas modo largiri, modo coarctare, modoque penitus denegare consuerunt.

V. Utque rem ingenue fatear veritati litandi studio, Patres fere damnasse videntur abusum, non vero legitimum usum praerogativarum, fundantibus Ecclesias, eorumque successoribus concessarum, quoties eae ultra modum, finesque constitutos extenderentur per laicos potestatem spiritualem temere simul, et sacrilege usurpantes (6). Istoque sensu Ecclesia *sustinuisse* patronos in potestate, qua abutebantur, dicta est a Patribus praesertim Lateranensibus sub Alexandro III. congregatis. Quo igitur pacto probari poterit eorum sententia, qui asserunt patronatus iura indiscriminatim ex arbitraria indulgentia, et privilegio contra regulas Patrum inducta? Quis recte affirmaverit hodiernam patronorum potestatem veteribus constitutionibus omnino adversari, eamque a canonibus exorbitare?

VI. E *communi* ergo Iure tam veteri, quam recentiori promanasse patronatus praerogativas agnoscere oportet, et cum Patribus Tridentinis (7) *legitima* patronorum iura distinguere ab exorbitantibus; titulosque adquirendi patronatus communes, et inviolabiles a speciali, et privato privilegii apostolici, quod gratiose conceditur aliquando sine ullo fundationis, vel dotationis merito. De quibus edisserendum est sigillatim.

(1) In cap. *nobis fuit* 25. de iurep. — (2) Sess. XXV. cap. 9. de ref., et sess. XIV. de ref. cap. 12. — (3) Part. VIII. rec. dec. 221. n. 13., et in Salernitana alimentorum 20. Iunii 1712. coram Scotto §. *absque eo* — (4) Ex traditis supra Cap. 1. *de orig., et progres. patr.* — (5) Lib. 1. Reg. cap. 2. ver. 17. (6) Cap. 1. n. 28., et seq. ut sup. — (7) Sess. XXV. de ref. cap. 9.

ADDITIONES.

In illis, quae ex Iuris sanctione proficiscuntur, hominis voluntate non opus esse, nemo unus ignorat. Quod enim competit beneficio legum, ipso iure competit. Quare cum Ecclesiae canones, et Pontificum Constitutiones fundatoribus Iuspatronatus concesserint, aperto colligitur illud ipso iure ad eos spectare.

Et sane interrogatus Clemens III., an aliquis efficiatur sola constructione patronus, idest sine expressa reservatione iurispatronatus, aperte rescripsit: *quod si aliquis Ecclesiam cum adsensu Dioecesani Episcopi construxerit, ex eo*, idest ex ipsa erectione Ecclesiae, *Iuspatronatus adquirit* (1). Quasi diceret, ut egregie observat Franciscus le Roy, solam dotationem sufficere, nec requiri specialem iuris illius reservationem (2). Unde Glossa diserte tradit: *fundatori iuspatronatus ipso iure debetur, etiam si non petat, vel in pactum deducat* (3).

Nec alia reor Innocentio III. mens fuit, quippe qui ad rem sanxit: cum *constat aliquem fundasse Ecclesiam, satis probatur eum esse illius patronum, et expressa renunciatione opus esse, ut ab eo iure submoveatur* (4). Et idem Pontifex cum aliqui fundatores vellent Ecclesiam patronatui minime fore obnoxiam, ac proinde huic iuri expresse renunciaverint, praescripsit, ut renunciatio isthaec in publico instrumento redigeretur (5). Quod sane inutile foret, si fundatoribus probandi onus incumberet iuspatronatus ab initio sibi esse reservatum.

Praeterea si iuspatronatus ex mera gratia duntaxat fundatoribus foret concessum, nullo pacto ad heredes transmitti posset, quippe quod in iure huiusmodi privilegia personas non egrediuntur (6). Atvero in heredes etiam iuspatronatus transferri explorata res est (7), atque adeo illud Ecclesia tuetur, ut patronis dissidentibus, velit potius cessare divinum officium, quam ius illud everti, aut huic derogari (8). Igitur ex canonum indulgentia patronatus fundatoribus, et ex iis caussam habentibus ipso iure competit.

Quamobrem sicut Iure Civili qui ad rem reficiendam pecuniam credidit, licet in ea privilegium sibi stipulatus non fuerit, ipso tamen iure illud adquirit (9): ita Iure Canonico qui Ecclesiam fundavit, etsi patronatum sibi minime reservarit, ex ipsa tamen fundatione eodem potiri ex praemissis luculentissime patet.

(1) In Cap. *nobis* XXV. ex hoc tit.— (2) Commentar. *de iure pat.* cap. XV.
(3) Ad cap. IX. *de consecrat.* dist. 1.
(4) In Cap. *significavit* 41. ex. *de testibus*. —(5) Ibidem. — (6) L. *privilegia* 196. D. de reg. Iur.— (7) Can. *Considerandum est* 35., et can. *si plures* heredes 36. XVI. q. 7. Cap. I., et seq., et Clementina II. eod. tit.—(8) Cap. I., II., et III. ex h. t. — (9) L. 5. D. *qui potior. in pig.*

CAP. V.

DE FUNDATIONE AC DOTATIONE.

I. Fundare idem, quod in fundo aedem stabiliter collocare.
II. Fundus tamen a solo, areave distinguitur, non secus, ac totum a parte.
III. Fundus Ecclesiae apud auctores medii aevi dictus est mansus, et mensura.
IV. Fundatio hinc pro constructione, ac dotatione Ecclesiae passim accepta.
V. Tam ex fundatione, quam ex dotatione adquiritur patronatus iustitiae.
VI. Secus ex nuda vilis areae datione.
VII. Nisi aream una cum aedificatore, ac dotatore per actum simultaneum qui contulerit.
VIII. Tunc enim omnes in solidum obtinent patronatum iustitiae, qui aream, aedificationem, dotatione, vel copulative, vel simultanee contribuunt.
IX. Difficultates ex antiquis canonibus erutae diluuntur.
X. Ob simultaneum eiusmodi concursum dominus tam utilis, quam directus fundi, et soli valent patronatum sibi adquirere in solidum.
XI. Dummodo fundum libere sine ulla servitute relaxent.
XII. Etiamsi constructionem Ecclesiae se inscio factam dominus soli ratificaverit.
XIII. Eo tamen invito solum aedificio cedit cum onere pretii persolvendi.
XIV. Capellae intra Ecclesiam fundatae Rector Ecclesiae ob patientiam praestitam non adipiscitur patronatum, secus si extra Ecclesiam in solo ipsius.
XV. Quemadmodum nec patronus eiusdem Ecclesiae.
XVI. Episcopus quippe in Ecclesia etiam de iurepatronatus potest aliis permittere fundationem, ac dotationem Capellarum, et beneficiorum.
XVII. Dummodo iura non laedantur fundationis, nec Sacristiae.
XVIII. Aedificatio sola, aeque ac areae concessio sine concursu dotantis, et fundatoris non tribuit solidum patronatum.
XIX. Sed sola dotatio patronatum ipso iure producit integrum, et privativum, vel in solidum cum eo, qui Ecclesiam ante construxerat.

XX. Quidquid aliter Pitonius senserit, qui dotatori vix tertiam patronatus partem in Ecclesia libere constructa indulget.
XXI. Pitonii argumenta dissolvuntur.
XXII. Pluribus simul etiam dotantibus patronatus ius debetur in solidum, secus vero exercitium.
XXIII. Congruae dotis quantitas arbitrio Episcopi fore definienda.
XXIV. Quae pro Cathedralibus Ecclesiis ducatos mille, pro parochialibus centum redditura est.
XXV. Pro regularibus vero, et collegialibus annua duodecim personarum alimenta.
XXVI. Pro simplicibus tandem ducatos viginti circiter.
XXVII. Semel admissa per Episcopum dos congrua praesumitur, etiam post deteriorationem.
XXVIII. Reaedificationis, et redotationis titulus primigeniae constructioni, ac dotationi aequipollet.
XXIX. Quin et favorabilior est.
XXX. Dummodo urgeat Ecclesiae necessitas, et facultates Ecclesiae non suppetant.
XXXI. Ad Ecclesias de iurepatronatus restaurandas patronus antiquus debet ante requiri.
XXXII. Qui patronatum fere retinet una cum novo patrono Ecclesiam funditus restaurante.
XXXIII. Amitti patronatus antiquus, Ecclesia diruta, vel dote deperdita, cur nonnullis videatur?
XXXIV. At illius durationem probabilius suadet ius individuum patronatus, et ius adcrescendi.
XXXV. De augmento dotis, et nova constructione quid caverit Tridentinum?
XXXVI. Augmentum antiquae doti saltem aequale probarunt Innocentius VIII., et Adrianus VI.
XXXVII. Quod caussam adquirendi patronatus onerosam, titulumque iustitiae praesefert.
XXXVIII. Illudque adsensu Ordinarii probari valet.
XXXIX. Si vero tenue, et minus antiqua dote, vel haud necessarium fuerit augmentum, nequit indulgeri patronatus.
XL. Benefactoris, non patroni titulus debetur ex imperfecta fundatione, vel dote incongrua, vel tenui augmento, vel haud necessaria restauratione.
XLI. Et ubi eadem moraliter Ecclesia putatur post refectionem, ac dotationem.
XLII. Novae consecrationis necessitas novam indicat esse Ecclesiam post restaurationem.

XLIII. Qui bonis suis Ecclesiam fundet, dotetve, patronus efficitur.
XLIV. Secus qui alienis, tamquam merus exequutor voluntatis alterius.
XLV. Excepto herede, qui in ius etiam patronatus defuncto competens succedit.
XLVI. Ad eum proinde patronatus pertinet, cuius rebus, vel redditibus, vel decimis constructa sit ecclesia.
XLVII. Eleemosynis tamen fundata erigitur libere.
XLVIII. Ob recuperata e devictis hostibus bona ecclesiastica non adquiritur patronatus iustitiae.
XLIX. Neque ob necessariam, et coactam constructionem, aut dotationem.
L. Indignus proinde patronatu videtur heres, qui demandatam a testatore fundationem spreverit.

I. Vocabulum *dotationis* in re nostra planum est, nec quemquam moratur. Alterum *fundationis* aliquantisper negotium facessit. Apud latinos *fundare* idem sonat, quod aedem in *fundo* ponere, et firmiter stabilire. Quo sensu *fundata* urbis Agyllinae sedes dicta est apud poetarum principem, et *fundatissima* familia pro ditissima apud Tullium (1) (*). Pariter in sacris canonibus qua antiquis, qua novis *fundator* Ecclesiae passim nuncupatus, non modo qui eam construeret, simul ac dotaret verum etiam qui Ecclesiae ab alio aedificatae sufficientem dotem, ac patrimonium in fundis constitueret, ut videre est in locis supra laudatis (2): ubi verba fundandi, construendi, aedificandi vicissim, et promiscue usurpantur ad unum, idemque significandum. Et quamvis *fundatio* strictius pro *fundi datione* saepissime usurpetur: at vulgus (II) perperam *fundum* accipit pro *area*, seu loco tantum ad ecclesiam aedificandam dato. Latior profecto patet notio *fundi*: significat enim totum agrum una cum aedificio, et plantis, in quo nedum locus Ecclesiae aedificandae contineatur, sed patrimonium quoque Ecclesiae, et clericorum in ea ministrantium. *Fundus est omne quidquid solo tenetur*, ait Iavolenus (3): proptereaque *fructus pendentes pars* fundi *videntur Caio* (4). Et iuxta clariorem Florentini explicationem *fundi* appellatione *omne aedificium, et omnis ager continetur: sed in usu urbana aedificia aedes, rustica villae dicuntur*. Locus vero sine aedificio in urbe *area*: rure autem *ager* appellatur. Idemque

(1) In orat. *pro dom. sua*. — (*) His adde: quem Virgilius VII. Aen. Praenestinae urbis fundatorem appellat, eum Servius conditorem nominat. Et apud Vopiscum traditur Aurelianum Imperatorem *templum Solis fundasse*, idest aedificasse. — (2) Cap. I. n. 15., et seq. in Cap. *quoniam* 4., et Cap. *nobis fuit* 25. de *iurep.*, et Cap. *nos quidem 3. de testamentis*.
(3) In L. *quaestio est* 115. D. *de verb. signif.* — (4) In L. *fructus* 44. D. de *rei vindicat.*

ager cum aedificio *fundus* dicitur (1). Quibus Iureconsultis consonat Ulpianus (2), qui *locum* a *fundo* distinguens, *locum* dicit portionem aliquam esse *fundi* sivo magnam, sive modicam: *fundum* vero esse integrum aliquid. *Non etiam* (ait) *magnitudo* locum *a* fundo *separat, sed nostra affectio, et quaelibet portio* fundi *poterit* fundus *dici; si iam hoc constituerimus: nec non et* fundus, locus *constitui potest: nam si eum alii adiunxerimus* fundo, *locus* fundi *efficietur.* Hanc differentiam nuper illustravit Alexius Symmachus Mazochius, praeclarissimum huius Archigymnasii Neapolitani ornamentum (3). Iure hinc merito Isidorus (4) putat *fundum* ideo dictum, quod in eo *fundetur*, et stabiliatur patrimonium. Aptior autem ad rem hanc videtur etymologia Varronis *lib. 4. de lingua*, vocabulum *fundi* exinde derivantis, quod quotannis multa *fundat*. Et Festi opinantis agrum planum ad similitudinem *fundi* vasorum appellari *fundum*. Quibus ita se habentibus lusisse videtur Tullius, dum cecinit: Fundum *Varro vocat, quem possit mittere* funda.

Ni tamen exciderit, qua cava funda *patet.*

III. Quod autem latini eleganter *fundum* dicebant, sequioribus saeculis *mansum* appellarunt. Mansus autem apud Italos significat eam territorii fertilis quantitatem, quam duo boves uno anno solent arare (5): ita dictus quasi *mensus* ager. Eumque Iustinianus *mensuram* nuncupavit (6). Statuit sane Synodus Wormaciensis circa annum 868. (7): *ut unicuique Ecclesiae unus* mansus *integer absque ullo servitio tribuatur:* declaravitque praeter ecclesiasticum servitium de domibus de areis, de hortis iuxta Ecclesiam positis, quae *mansi* praedicti partes videntur, nihil aliud faciendum.

IV. Meritissimo hinc iure nedum in antiquis canonibus, verum etiam in nuperis Decretalibus, et Conciliis passim *fundatio* accipitur promiscue pro constructione, ac dotatione Ecclesiarum, et Capellarum, ut modo dicitum est sub *num.* 1.

V. Duos proinde titulos praecipuos *fundationis*, et *dotationis* potissimum in adquirendo patronatu agnovit synodus Tridentina (8), quae sic decrevit: *Nemo cuiusvis dignitatis ecclesiasticae, vel saecularis quacunque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut Capellam de novo* fundaverit, et construxerit, *seu iam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit*, iuspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. Ubi particulam *seu* disiunctivam semel adhibuit, seiungendi gratia donationem tantummodo a fundatione, et constructione per copulativam, *et* enunciatis. Et pressius (9) decrevit, ut titulus iurispatronatus sit ex *fundatione*, vel *dotatione*: titulum aedificationis penitus reticendo, tanquam fundationi adnexum inseparabiliter. Fundatori enim

(1) L. *fundi* 211. D. *de verb. signif.* — (2) In L. *locus* XV. orig. 13.
(3) Epist. *de dedicatione sub ascia* n. 190., et seq.—(4) Lib. 6o. *eod. tit.*
(5) Glos. in Cap. I. de *censibus* ver. *mansus* —(6) Nov. LXVII. Cap. 2.
(7) In Cap. de *censibus*. — (8) Sess. XIV. de ref. Cap. 12.
(9) Sess. XXV. de ref. Cap. 9.

incumbit necessitas nedum aedificandi Ecclesiam, et construendi in area sua, verum praefiniendi etiam quae ad luminaria, et custodiam, et sacrum ministerium, et alimenta ministrantium in ea clericorum sufficiant (1): eatenus, ut constructor Ecclesiae, eiusve heres compelli queat ad eam dotandam, vel supplendam dotem insufficientem (2). Nam *non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali substentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata consecretur Ecclesia*, aiunt Patres in Synodo Bracarensi (3). Ob id Honorius III. ad Reginam Hungariae rescripsit eam teneri dotem Ecclesiae Oradiensi dare, quam ipsamet consecrari curaverat (4). Et qui semel coeperit, aut novam aedificare basilicam, aut veterem renovare, modis omnibus compellatur eam explere (5). Qui enim coeperit facere opus etiam sine causa promissum, obstringitur ad illud perficiendum (6). Eamque ob rem nonnisi post perfectam undequaque fundationem, aedificationem, dotationem Ecclesiae oriri iuspatronatus, docuit Fagnanus (7).

VI. Si quis propterea vilem solummodo locum, areamque Ecclesiae aedificandae legaverit, aut dederit, nullum de patronatu sibi reservando verbum faciens, nullamque impensam in aedificium, ac dotem contulerit, nec simultaneam operam ullimode praestiterit cum aliis ex intervallo Ecclesiam construentibus, et congrue dotantibus, ei sufficientem patronatus obtinendi titulum onerosum non esse, puta sine expressa reservatione, et sine gratiosa Episcopi concessione, docent Fagnanus (8), Zypaeus (9), Franc. le Roy (10), Card. de Luca (11), Wan-Esp. (12), ceteri Doctorum gravissimi. Censetur enim potius benefactor, quam fundator. Ob id ex nuda soli assignatione non effici patronum in totum, docuit etiam Vivianus (13): hoc est cum iure nominandi, et praesentandi beneficiarios, qui dotantis aere aluntur: sed vix obtinere sepulcrum in loco honorabiliori in area sua confodiendum (*).

Falli exinde liquet glossam *in can. piae mentis* XVI. *qu. 7.*, in eo

(1) Can. *nemo Ecclesiam* de cons. dist. 1., et Nov. LXVII. Cap. 2.

(2) Lambert. Lib. 1. par. 1. q. 5. art. 13: Lotter. *de re beneficiaria* lib. 1. q. 14. n. 4. Ventriglia in prax. part. 2. annot. 17. §. 1. n. 15. — (3) In Can. *placuit* 1. q. 2. — (4) Cap. *cum sicut 8. de consecr.* Eccl.

(5) Nov. CXXXI. Cap. 7. — (6) L. 1. D. de *pollicitationibus*.

(7) In Cap. *quoniam* 3. de *iurep.* — (8) Cap. *quoniam* de *iurep.*

(9) Resp. 3. eod. — (10) In prolegomenis ad comment. *de iurep.*

(11) In sum. *iurisp.* n. 15. Cap. 13. — (12) Par. 11. tit. 25. n. 6.

(13) Lib. 1. de *iurep.* Cap. 2. n. 46.

(*) Quum Iure Canonico Ecclesiae fundatio nihil aliud sit, ut eruditissime Noster demonstrat, quam illius constructio, et aedificatio, perspicuum sane est solam, ac simplicem fundi donationem, in quo aedificatur Ecclesia non esse modum adquirendi patronatum.

Illud autem gravissimis doctrinis, quae heic exhibentur adnectendum occurrit, quod Alexander III. (in Cap. ad audientiam 3. ex. Eccles. aedif.) statuit. Ibi enim quaeritur, an dominus villae, in qua ab alio aedificata est Ecclesia patronatum adquirat. Et expresse sancitum legimus hoc iure dumtaxat potiri qui Ecclesiam aedificavit, nec superficiem solo cedere, quia in specie rem Deo dicatam ad se trahere nequit.

quod tres modo adquirendi patronatus obtrudat, et fundum ab aedificatione, ac dote omnino seiungat in eo trito versiculo.

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

VII. Verum si uno, eodemque plures in Ecclesia fundanda cum Dioecesani consensu contribuant, aream unus, alter aedificationis impensas, alius dotem sufficientem: omnes fere adipiscentur in solidum iuspatronatus ex communi Doctorum sententia, Abb. (1), Vivian. (2), Fagnan. (3), et Emm. Gonzalez (4): eorumque singuli erunt aequaliter compatroni, non obstante inaequalitate contributionis, ob mutuam iurium communionem, et consensionem, quae imparem partium rationem aequare, et vicissim compensare praesumitur, ex traditis per laudatum de Luca (5), nisi quotas inaequales ipsi confundatores inter se praefiniverint, et partiti fuerint quod ad exercitium patronatus dividuum: quas quidem praefinitas, et conventas agnovi e pluribus fundationum instrumentis in Archiepiscopali Curia Neapolitana: (VIII) tunc enim voluntas confundatorum in condictis quoque partibus erit servanda. Huiusce sententiae ratio repetenda est a regulis per Iureconsultos adhibitis pro iure accrescendi in servitutibus realibus. Inter quos Papinianus, et Ulpianus potissimum ius accrescendi admittunt inter coniunctos vel re, vel verbis; denegant vero iis, qui nullimode sint coniuncti in legato ususfructus (6). Profecto ad patronatum solidum iustitiae adquirendum, a fundatore, vel a confundatoribus praestari copulative, et solum, et aedificium, et dotem debere, pluribus ostendit Fagnanus (7), Pignatell. (8), Cassad. (9), Piton. (10).

IX. Hoc planum est in hodierna Ecclesiae disciplina, quam evertere nequeunt canonibus antiquis, qui fundatoris titulum, una et patronatum datori areae absolute vindicant. Fateor ultro, quod Synodus Aurelianensis VI. sexto saeculo dominis praediorum facultatem nominandi presbyteros oratoriorum inibi constructorum minime denegavit, ut superius dictum est *cap. 1. num. XIV.* Tum sequentibus saeculis Synodus Mediomatrica, et Cabilonensis II, unde sumptum est Cap. 1. *de iurepatronatus*, ex eo quod recensuisset Ecclesias in rebus heredum propriis constitutas inter eosdem dividi. Probari hinc patronatum ex nuda soli concessione quaesitum videtur Emm. Gonzalez (11) post Lambertinum, Barbosam, Vivianum (12). Quid? ex istis, ceterisque id genus Synodis localibus, ac dioecesanis canon communis in universam Ecclesiam minime derivari potest: eo vel maxime, quod Romani Pontifices

(1) In rubr. de *iurep.* n. 6. — (2) Lib. 1. cap. 2. n. 46. — (3) In dict. cap. *quoniam* num. 34.
(4) In cap. *nobis* de *iurep.* — (5) Loc. cit. — (6) L. *sicut* 3. D. *quibus modis ususfructus, vel usus amittitur.* — (7) In cit. Cap. *quoniam* n. 26., et seq. — (8) Consult. 82. n. 82. tom. 9. — (9) Dec. 6. n. 10. *de iurep.*
(10) Alleg. 54. n. 24. — (11) Cap. 1. n. 14.
(12) In comment. ad cit. cap. 1. de *iurep.*

Gelasius, et D. Gregorius M. praeter *processionis* aditum nil aliud iuris generatim fundatoribus indulgeri constituissent (1).

Hancque sententiam refellere nequit epistola Pelagii 1. (2), qua dominus *possessionis* admittitur ad compostulandam ordinationem Abbatis per monachos electi, ibi: *Quem et monachorum electio, et possessionis dominus poposcerit ordinari.* Rocha de Curte (3) visus est dominus *possessionis* hcic idem esse, qui dominus fundi: recte, necne, doctiores diiudicent. Quandoquidem unlin *possessionis* latior hcic est, quam soli, et arcae, praeterraque fundi. Et ius eligendi Praelatos in Ecclesiis conventualibus, et Episcopos in cathedralibus, quod in veteri disciplina obtinebant una cum Clero populi principes, et *possessionum* domini; communem regulam in patronatu fundantibus Ecclesias competenti non valet in hodierna disciplina statuere. Praeterquam quod istam antiquae disciplinae Pelagianam epistolam maxime vel revocarunt, vel moderati sunt recentiores canones, et praesertim Clemens III (4), et apertius Coelestinus III. (5), adeout cum Claudiano canere sic liceat.

. . . . *Priscamque resumunt*
Canitiem leges, emendanturque vetustae,
Accedentque novae.

X. Simultaneus itidem concursus plurium in eandem fundationem efficit, ut si quis utile dominium, alter directum obtineat fundi, et soli Ecclesiae, et ambo consentiant, ut in eo construatur Ecclesia, uterque patronatum nanciscitur in solidum una cum aedificatore (6).

XI. Verum si canonem emphyteuticum, vel directum dominium, vel regressum, aliudve ius in solo aedificandae Ecclesiae quis sibi reservaverit, nullum iuspatronatus adquiret: locus enim libere praestandus est ad Ecclesiam construendam sine ulla servitute ab eo, qui velit compatronus, vel fundator Ecclesiae fieri (7). Constitutum porro est in Synodo Wormaciensi per textum Gregorii IX. (8), ut *absque* ullo *servitio* mansus integer tribuatur Ecclesiae, nec de manso aliquod servitium faciant, praeter ecclesiasticum.

XII. Insuper quoties, in loco alterius Ecclesia construatur, inscio fundi domino, si ratum id dominus habuerit, compatronus efficitur, ob eamdem simultanei concursus rationem, quae de iure praesumitur (9).

XIII. Si tamen dissenserit, pretium soli tantum repetet, cedentis aedificio Ecclesiae, quae rite per Episcopum dedicata sit ad ministerium Dei ob publicum caussae piae favorem (10). Sane *propter publicam utilitatem stricta ratio nonnumquam in ambiguis religionum quae-*

(1) Cit. cap. 1. n. 15., et 20. ut sup.—(2) Relata in can. *Abbatem* XVIII. qu. 2. — (3) In rub. *de iurep.* §. *Ecclesiam fundavit* n. 1.

(4) In cap. *nobis* XXV. *de iurep.* — (5) In cap. *cum terra* XIV. *de electione.*

(6) Roch. de Curte in tract. *de iurep.* ver. *Ecclesiam fundavit* n. 19: Barbosa part. III. *de off., et potest. Episc.* alleg. 70. n. 3. Vivian. lib. 1. cap. 2. n. 51. — (7) Lambert. par. 2. art. 2. n. 1. — (8) In cap. 1. de *censibus.* — (9) Lambert. lib. 1. par. 1. q. 3. art. 12: Vivian. ibid. n. 49.

(10) Glossa in can. *apostolicos* XII. q. 2.

stionibus omitti solet, nam summam esse rationem, quae pro religione facit, docuit Papinianus (1). Iure hinc merito Divus Gregorius M. quum comperivisset res Iudaeorum irrationabiliter occupatas, easque inconsulte, ac temere fuisse consecratas, praecepit Fantino defensori, ut Episcopus ipse pretium daret rerum dominis: quia quod semel consecratum est, eis non valet ultra restitui (2) (*). Quemadmodum tabulis picturae cedentibus, ei qui pinxerit, rectam vindicationem competere adversus dominum tabularum respondit Caius: ut tamen pretium tabularum inferret, ac solveret (3).

XIV. Et ubi dominium loci ad antiquam Ecclesiam pertineat; adhuc patronatum novae Ecclesiae in eo aedificatae Rector antiquae obtinebit per ratihabitionem, et Pitonius tenuit (4). Secus dicendum nihilominus est, ubi nova Capella intra Ecclesiam principalem fundata sit: etenim isthaec unica soli contributi ratio patronum non efficit Ecclesiam ex generali consuetudine, quam comprobant Lambertinus (5); Vivian. (6), et Piton. (7).

XV. Consequitur exinde iuspatronatus Ecclesiae principalis minime extendi super Capellas, et aras in ea erectas, et beneficia per alios inibi fundata, sive consentiente, sive dissentiente patrono. (XVI.). Quandoquidem in Ecclesia de iurepatronatus Episcopum posse aliis permittere sine consensu patroni fundationem Capellarum, et altarium, capellaniarum, et beneficiorum, definivit Rota (8). Non repugnat porro in una, eademque Capella, unove altari plura beneficia, et capellanias fundari, et erigi sub diversis etiam titulis, seu invocationibus Sanctorum, propterea quod locum spiritualia non occupant (9). Quinimmo capellaniae collativae meram beneficii ecclesiastici naturam habentes non raro fundantur sine certo altare cum onere celebrandi Missam, vel ubique, vel intra certam Ecclesiam altaria plura continentem, quas beneficia in *abstracto* nuncupant (10).

Et quemadmodum processionis aditus, seu publicus ingressus ad Ecclesiam quamlibet etiam de iurepatronatus, omni christiano debetur, et denegari nequit (11): ita fundator in Ecclesia non obtinet vigore patronatus dominium privativum, sive ius Episcopo prohibitivum erigendi novas aras, et Sacerdotibus celebrandi: dummodo reservata in limine fundationis, vel alias quaesita patronatus iura minime deminuantur, neque infringantur ullimode; nec libertas patrono, eiusque beneficiariis unquam refroenetur in suis pietatis muniis obeundis, celebrandisque di-

(1) In L. *sunt personae* 43. D. de religiosis. — (2) Can. *comperimus* 2. XIV. q. 6. — (*) Hoc canone correctum videtur ius civile a Paullo traditum *in l. inter stipulantem 83. §. 5. D. de verb. oblig.* Quod *sacra profana* fieri, et usibus publicis relicta in privatos usus reverti non vetabat.

(3) L. *qua ratione 9.* §. 2. D. *de adquiren. dom.* — (4) Alleg. 54. de contr. patr. n. 1. — (5) Lib. 1. part. 1. q. 8. art. 6. n. 4. — (6) Lib. 2. cap. 7. n. 49. — (7) Ibid. n. 2. — (8) Dec. 308. n. 3. part. 4. recent. tom. 1. Roch. de Curte ver. *construxit* n. 11: Lambert. par. 1. lib. 1. q. 3. art. 17. — (9) Rota dec. 206. n. 6. part. 13. rec. — (10) Lambert. part. 1. lib. 1. q. 6. art. 1. n. 30: Piton. de controv. patr. d. alleg. 54. n. 45. — (11) Can. *piae mentis*, et can. *Frigentius* 16. q. 7.

vinis officiis in limine fundationis constitutis (1) (XVII.) Dummodo absint aemulationes, et dummodo pro usu altaris, sacraeque supellectilis, et pro compensandis deterioramentis, et impensis hostiarum, vini candelarum, contribuatur ius sacristiae ex regionis more, et Dioecesis constitutionibus taxandum (2). Promissa quidem quotidiana sex scuta quotannis, et pro quolibet centenario Missarum manualium scutum unum fere persolvi debere censet *cit.* Bordonus, et Amostraz (3).

XVIII. Ædificator novae Ecclesiae, non aliter, quam areae dator sine concursu dotantis, et constructoris simultaneo, nisi dotem ipso praestiterit, patronatum solidum ipso iure non obtinet. Cum enim aevo Iustiniani ad nominis sui ostentationem Ecclesias aedificaret, nequaquam curam ponendo, ut expensas quoque eis deponerent decentes, et ad luminaria, et ad observantium clericorum alimenta, et ad sacra ministeria peragenda necessarias, sed desererent eas in nudis etiam aedificiis constitutas, aut destruendas, aut omnino sacro ministerio defraudandas, sanxit Imperator ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum rescribens *Novel. LXVII*, ut ante definiat, et constituat dotem consulto Episcopo, qui aedificare intendit Ecclesiam, nec aliter opus aedificii ecclesiastici aggredi licet. Tum Petro suo sacrorum officiorum magistro rescribens idem Imperator (4), inquit denominatos ab aedificatoribus Ecclesiae clericos ordinari per Episcopum in ea debere, si expensas alimoniae ipsi eisdem ministrent. Hinc Rota bis definivit Communitatem Senogalliae Patronatum adquirere non potuisse ex sola constructione, seu aedificatione confecta proprio aere Ecclesiae, cui quidam Guidobaldus aream sine patronatus reservatione adsignaverat, et dos constituta ex investimentis, et donationibus Monasterii fuerat; in Senogallien. fundationis coram Priolo 13. Decembris 1709. §. *in hoc rerum statu*, et 16. Maii 1710 §. *sed quatenus coram Molines*, iuxta allegata per Pitonium (5). At vero simultaneus concursus aedificatoris cum datore dotis, vel area eum efficiet compatronum. De hoc enim casu loquutus idem Imperator (6), declaravit aedificatorem Ecclesiae disiunctive, aut etiam expendentem ministrantibus in ea clericis alimenta ius habere offerendi personas idoneas Ordinario examinandas, et ordinandas.

XIX. Verum tamen *dotatio* sola ad solidum Ecclesiae, vel Capellae per alium constructae patronatum adquirendum sufficit ex Patrum Tridentinorum sententia, quae luce meridiana clarior est ex verbis supra relatis *num. V. Qui enim iam erectam* (aiunt) *Ecclesiam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, competenter dotaverit*, patronatum non modo *impetrare possit*, *sed obtinere debeat*. Verbum hoc *debeat* necessitatem innuit, qua Dioecesanus velit, nolit, dotatori iam quaesitum ipso facto iuspatronatus iustitiae adiudicare cogitur, ac denegare ne-

(1) Seraphin. dec. 652. n. 1. Card. de Luca de *iurep.* disc. 52. n. 14., et de *praeeminent.* disc. 42. n. 6, et seq. — (2) Bordon. de *legatis* cap. 10. *de stipendio Missar.* n. 71. — (3) De *caussis piis* lib. 2. cap. 4. n. 20. apud Piton. alleg. 54. n. 46.—(4) Nov. CXXIII. cap. 18.—(5) Dict. alleg. 54. n. 25.
(6) Nov. LVII. cap. 2.

quit ullimode, aut refroenare, etiam si Ecclesiam, Capellamque omnino liberam quis antea construxisset suo, vel alterius solo (1). Et quoniam patronatus ius individuum est (licet exercitium praesentandi, aliarumque praerogativarum passim dividatur) dotatur iste in totum, non autem ex parte illud lucrabitur: ne una, eademque Ecclesia partim libera, partim servitute affecta detur, quod absurdum est, ut ratiocinantur optime Lambertinus (2), Barbosa (3), aliique. Ad confirmandum vero solidum, et individuum istiusmodi ius in dotatore, tempus dotationis discontinuum retrotrahitur ad tempus aedificationis, et constructionis: Ecclesiaque fingitur proinde dotata eodem tempore, quo fundata, et constructa, eum in finem, ut iura ex constructione, et fundatione promanantia communicentur, et accrescant dotatori (4).

XX. Clarissimus Pitonius (5) discrimen adstruens inter Ecclesiam, et Capellam, seu aram, assentitur quidem Capellae, seu altaris dotatorem fieri ex integro patronum Capellae, *dict. num.* 41: at vero contendit acerrime dotatori Ecclesiae per alium libere constructae non integrum patronatum, sed pro tertia parte deberi, et sine privilegio Sedis Apostolicae solidum, nec etiam ab Episcopo reservari, et concedi posset, *ibid. num. 28., et seq.* Et ita constitutionem Tridentinam ipse interpretatur, ne libertas Ecclesiae ob fundationem, et constructionem quaesita in lucrum dotantis cedat cum Ecclesiae detrimento, et iniuria, contra dispositionem (6). Quam ob rem admittit contra Lambertinum, ceterosque, unam, eamdemque Ecclesiam pro parte liberam, et pro parte subiectam patronatui, vel Ecclesiam sui ipsius compatronam una cum dotatore: quatenus vel Episcopus duabus vicibus beneficium libere conferat, ternisque dumtaxat vacationibus beneficiatum solus dotator praesentet; vel in singulis vacationibus Episcopus una cum ipso dotatore simultaneum ius praesentandi exerceat. Hisce potissimum argumentis suam non tam sententiam, quam *difficultatem* super Tridentinae constitutionis interpretatione *decidendam* (ut ait *num.* 39), *prout de iure*, protulit vir peritissimus, dum caussae patrocinio inserviret, haud scio, an aliis probandam.

XXI. At favor libertatis obiectus absorbere non valet, ni fallor, necessitatem, atque utilitatem Ecclesiae, quae sentiens commodum necessariae dotationis, sentire etiam debet incommodum patronatus, ex trito iuris axiomate (7). Sane quid Ecclesiae indotatae solum, et aedificium proderit? Quid in solo, et aedificio libertas sine clericis, et ministris in ea inservientibus? Distinctionem partium patronatus fere individui, quam non fecit lex Tridentina, marte suo effingit ingenio.

(1) Panormit. cap. *quoniam* de *iurep.* n. 9: Vivian. lib. 2. cap. 5. n. 1.

(2) Lambert. lib. 1. par. 1. q. 5. art. 15. n. 2.

(3) De Iur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 55. — (4) Abbas *in dict. cap. quoniam num. 9., et cons. 59. num. 3.* Roch. *ver., et dotavit num. 1., et 4*, et Rot. *in Lucana Decanatus* 8. Iunii 1576. coram Clemen. VIII. allata per Vivian. *part. 1. lib. 2. num. 3.*, et coram Bichio *dec.* 162. — (5) Cit. alleg. 54. n. 41.

(6) Cap. *locupletari* 48. de reg. Iuris. — (7) In cap. *qui sentit.* 55. de reg. Iur. in VI.

sissimus Pitonius, eamque amplecterer libentissime, si liceret a synodica Patrum constitutione declinare, in eamque committere. Haec porro lex communis singulari utens numero uni personae, quae Ecclesiam *fundaverit*, et *construxerit*, non dimidiatum, sed integrum procul dubio patronatum in primis concessit: tum per eamdem loquendi formam in singulari numero uni etiam personae, quae Ecclesiam sine dote iam constructam *dotaverit*, patronatum sine aliqua pariter deminutione largita fuisse videtur. Quemadmodum igitur in priori, ita, et in posteriori casu individuum, solidumque iuspatronatus iustitiae uni singulariter lex concessit, sive fundator, sive dotator is sit. Qui vero contra leges nititur voluntatem, is sane committit in legem (1).

XXII. Si tamen unus ad congruam dotem praestandam minime sufficiat, plures in ea contribuenda possunt concurrere sive aequaliter, sive inaequaliter: eisque omnibus in solidum tunc patronatus adquiritur, et conceditur, adsentiente Dioecesano, ut Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres definivit (2). Sane pluribus licere expensas dotis Ecclesiae oblatas contribuere separatim a novo aedificatore, probavit etiam Iustinianus (3). Non rari enim apparent in Orbe vasto, qui nequeant, vel nolint singuli aere suo, et sine aliorum collationem ecclesias perfecte fundare, et dotare competenter. Verum in limine fundationis possunt utique plures confundatores, ac dotatores dividuum patronatus exercitium inter sese per quotas ex pacto dividere: quemadmodum, et post fundationem compatroni solent ius praesentandi exercere per alternativam, et per turnum ad vitandas discordias. Qua de re inferius.

XXIII. Quanta sit Ecclesiae dos congrua, et sufficiens, Episcopus definiet pro loci, et temporis, et personarum circumstantiis. Rescripsit namque Iustinianus (4) aedificatorem novae Ecclesiae prius loqui ad Deo amabilem Episcopum debere, et eam necessariae dotis mensuram, quae sufficiens videatur Episcopo, definire illis verbis: *si sufficienter habere videtur*. Nil sane certi hac de re in sacris canonibus. In Synodo Wormaciensi (5) taxatus legitur *mansus unus*, de quo supra *num. XXXVII.* pro dote cuiusque Ecclesiae. Verum si diversa Ecclesiarum qualitas inspiciatur, taxa isthaec generalis vix pro beneficiis simplicibus accomodari poterit. (XXIV.) Quandoquidem dos Cathedralium Ecclesiarum libera deductis oneribus minor annuis ducatis mille, Parochialium vero ducatis centum esse non deberet iuxta decretum Tridentini (6). Monasterii, et Ecclesiae Regularium dos (XXV.) nisi duodecim personis regularibus alendis, et sustentandis sufficiat, congrua non habetur ex decreto Sac. Congr. Concilii iussu Urbani VIII. edito apud Navar (7). Pariter dos Ecclesiae Collegiatae saecularium sustentationem congruam Canonicis, sive Collegialibus personis in ea inservientibus praestare debet, expensasque ad fabricam sartam tectam

(1) Cap. *certum est* ult. de reg. Iur. in VI. — (2) Apud Garziam de beneficiis par. 5. cap. 9, n. 53. — (3) Nov. LXVII. cap. 2. in fin. — (4) Cit. Nov. LXVII. cap. 2. — (5) In Cap. 1. *de censibus*. — (6) Sess. XXIV. cap. 13. de ref. — (7) In Sum. Bullar. tit. *de celebr. Missar.*

habendam necessarias, ad procurationem Episcopo visitatori, et cathedraticum persolvendum, atque onera fundationis adimplenda (XXVI.) Pro simplicibus vero Ecclesiis, ubi nec onus residentiae, neque animarum cura beneficiario imponatur, dotem annuorum viginti ducatorum saltem esse adsignandam, tenet Panormitanus (1). Ubi quidam clericus annuos viginti solidos refertur expetiisse ab Ecclesiae fructibus, in qua beneficium sibi collatum asserebat. Curia tamen Archiepiscopalis Neapolitana ordinarium adsensum super aedificatione novae Ecclesiae nemini fere impartitur, nisi post constitutam dotem quindecim ducatis annuis non minorem, deductis oneribus (*).

XXVII. Praesumitur exinde dos congrua, quoties eam loci Ordinarius acceptaverit in limine fundationis (2), etiamsi videatur postmodum modica, et incongrua ex futuris eventibus: tempus enim fundationis attenditur, quod initium habuit contracta patronatus obligatio, non vero futurum, iuxta regulam iuris generalem in contractibus onerosis militantem (3).

Quae hactenus de fundatione, ac dotatione dicta sunt, locum quoque

(1) In Cap. *conquerente 6. de clericis non residentibus.*

(*) Quum in ditionibus citra Pharum sub Militari Regimine haud parva pars bonorum ad Ecclesiam spectantium alienata fuerit, hinc Conventione novissima an. 1818. nonnulla constituta fuerunt, quae tum Cathedralium, tum Paroecialium Ecclesiarum dotem respiciunt.

Et nimirum art. IV. sancitum, quod quaelibet episcopalis Mensa in Regno gaudeat annuo reddito ad minus trium millium ducatorum ex bonis stabilibus, publicis deductis oneribus.

Adhaec art. V. cautum 1. quod quaevis Dignitas Capituli Archiepiscopalis Neapolitani reddito annuo ducatorum ad minus quingentorum, reliqui vero Canonicatus reddito ad minus ducatorum quadringentorum non careant.

II. Quod singulae Dignitates Capitulorum ceterarum Ecclesiarum Regni citra Pharum ducata ad minus centum octoginta, reliqui vero Canonicatus ducata ad minus centum pro annuo uniuscuiusque reddito habeant.

III. Excipiuntur Canonicatus patronatus regii, ecclesiastici, et laicalis, pro quibus constituitur, ut remanerent, ut essent, nisi forte eorum annui redditus a suis Patronis canonica methodo augerentur.

Praeterea art. VII. decretum I. quod Paroeciis, quae sufficientem congruam non habebant, dos ita augeatur, ut iis Paroeciis, quae duobus hominum millibus non constarent, ad minus ducata centum, iis quae numerum quinque millium animarum non attingebant, ad minus ducata centum quinquaginta, ceteris vero, quae maiorem animarum numerum continebant, ducata ad minus bis centum pro annuo reddito constituatur.

II. Quod Parochialis Ecclesiae conservatio, uti et Cooperatoris Parochi stipendium respectivis civitatibus relinquatur, et praedes dentur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia.

III. Quod istbaec dispositio minime respiciat Ecclesias parochiales iurispatronatus sive regii, sive ecclesiastici, sive laicalis canonice adquisiti, quarum onus respectivis patronis incumbat.

IV. Excipiuntur Ecclesiae receptitiae, sive numeratae, sive innumeratae, Capitula, et Collegiatae, quibus cura animarum inest, cum suam congruam iu communibus habeant.

(2) Rota par. 18. recent. dec. 174. n. 3., et 4. Lotter. de re benef. lib. 1. n. 32. n. 7. — (3) L. *si voluntate* 8. Cod. de *rescind. vend.*

obtinent nedum in redotatione integra Ecclesiae omnino inopis ob eandem publicae necessitatis rationem, verum etiam in reaedificatione.

XXVIII. Reaedificans profecto Ecclesiam omnino vel collapsam, vel ruinosam, aeque ac redotans Ecclesiam inopem, patronatum adipiscitur iustitiae ex communi etiam iure. Honorius III. Mariae quondam Imperatrici Constantinopolitanae rescripsit, ut super patronatu Monasterii Pacinaciensis Graecarum monialium nemo auderet eam temere molestare, propterea quod illud destructum accedente Dioecesani consensu de propriis bonis ipsa reaedificavisset, ac dotasset, easdemque moniales fecerit Ecclesiae Romanae, cui nullam exhibebant obedientiam, obedire (1). Quum enim vigeat in raedificatione ratio eadem, quae in primaeva constructione vigebat, necessitatis, et utilitatis Ecclesiae, eadem proinde debet esse iuris dispositio. *Eadem servitus pari conditione censetur*, ait D. Hieronymus (2), *nec ratio reddi potest, cur non idem in utraque caussa respondeatur*, inquam cum Venuleio (3).

XXIX. Verum ad antiquiorem Ecclesiae disciplinam si convertam oculos, occurrit lex Iustinianaea, quae patronatui reaedificatoris magis favit, quam novi aedificatoris: de qua supra dixi *num. XVIII.* Quoties enim aliquis aedificare cupiens novam Ecclesiam, idoneus constituendae doti non esset, sanxit Imperator eundem posse ab Episcopo admitti, quin et moneri ad aliquam ex vetustis Ecclesiis prope destitutis, vel ruinosis, vel collapsis, vel inordinatis, vel angustis tantummodo reaedificandam, et construendam sine onere novam superexpendendi dotem, eique sic refectae consuetas antiquae dotis expensas attribui (4), ibi: *Si autem non sufficiat quidem aliquis ad hoc nomen forte desiderans* puta fundatoris gloriam *licebit ei unam talium Ecclesiarum accipiendi hanc aedificare; sic enim poterit, et sacrae domus fabricator vocari, et nihil de suo super expendere: deputatis iam circa hoc expensis oblatis ab iis, qui etiam prius has expendebant.* Aliud ergo est tueri aedificium, quod fundatum iam sit, illudque restaurare: aliud erigere novum (5).

XXX. Nisi tamen urgeat evidens Ecclesiae, patronatum canonice haud adquiri ex *nova constructione*, decrevit Synodus Tridentina (6). Puta si fructus ipsiusmet Ecclesiae suppetant reaedificationi conficiendae, indulgeri non debet alicui, ut Ecclesiae ceteroqui liberam, et dotatam ullus nova constructione in servitutem patronatus redigat. Cogendos quippe rectores ad ecclesias restaurandas, cum opus fuerit, de bonis, quae supersint earundem Ecclesiarum rescripsit Alexander III (7).

Istiusmodi reaedificatoris, et redotatoris ius locum obtinet, tam si Ecclesia libera, quam si de iurepatronatus fuerit. In Ecclesiis quidem liberae collationis difficultatem nullam patitur. Tametsi enim, quod humani iuris esse desiit, servitutem non recipit ex generali axiomate iu-

(1) Cap. *audito* 1. *de iurep.* in quinta compilat. penes Inn. Ciron. — (2) In can. apud nos 20. XXII. qu. 5.—(3) In l. a *Titulo* 108. D. de verb. oblig.
(4) Nov. LXVII. cap. 2. — (5) L. *ususfructuarius novum* D. *de ususfructu.* — (6) In dict. cap. XI. de reform. sess. XXV.— (7) In Cap. *de his* IV. *de Eccles. aedif.*

reconsultorum (1), nihilominus restaurator antiquae Ecclesiae periude habetur, ac si eam ab initio construxerit (2).

XXXI. Verum Ecclesiis de iurepatronatus non debet quilibet extraneus ad reaedificationem temere admitti, nisi patronus antea requisitus eam conficere neglexerit, vel recusaverit: aut nuvo restauratori consensum suum accomodaverit. Antiquus enim fundator, eiusque heres ad suam Ecclesiam, vel Capellam reaedificaudam, vel redotandam debet omnibus praeferri, ne iure semel quaesito sine culpa, et per iniuriam privetur, ut monet Fagnanus (3), nevo cogatur invitus in communione patronatus stare cum alio (4), ad vitaudas discordias, quas parere solet societas, et communio (5). Quin patronus pro Ecclesia restauranda iuxta antiquam formam, non indiget Episcopi adsensu, secus quam extraneus (6), pluribus Rotae Romanae decisionibus, quas laudat, innixus: quemadmodum Iudaei aequanimiter tolerantur antiquas reaedificare Synagogas, minime vero novas construere (7). Quod indicat quaesitum antiqui patroni ius adhuc permanere. Post ruinam, et destructionem Ecclesiae, illudque nonnisi per eius consensum, vel contumaciam posse aliis communicari, et indulgeri.

XXXII. Reaedificator proinde antiquum patronum nullimode valet supplantare, vel omnino extrudere: sed illi socius, et compatronus accedit. Primus enim constructor, eiusve successor in fundo saltem permanente patronatum suum retinet, diruto licet funditus aedificio Ecclesiae, propterea quod fundus pars est rei patronatum causantis. Explorati autem iuris est servitutes reales tunc solum amitti, quum tota res pereat: retineri, quum pars aliqua supersit ex re perempta (8), sic enim, Ulpianus: *Fundi ususfructu legato, si villa diruta sit, ususfructus non extinguetur; quia villa fundi accessio est, non magis, quam si arbores deciderint. Sed et eo quoque solo* (ut subdit Paullus *in seq L. VIII., in quo fuit villa, uti frui potero. Quid tamen* (resumit Ulpianus *in seq L. IX. si fundus villa fuit accessio? Videamus, ne etiam fundi ususfructus extinguatur? et idem dicendum est, ut non extinguatur.* Insuper compatronum ex sola aedificationis caussa patronatu gaudere post reaedificationem una cum reaedificatore, tenet cum Lambertino Vivianus (9) ob ius individuum, et solidum in simultanea confuudatioue primitus quaesitum, et vicissim communicatum.

XXXIII. Si tamen tertiam dumtaxat quotam patronatus reaedificator primaevus obtinuerit, fortasse ex pacto, et providentia in limine fundationis, qui solum non praestitisset, sed expensas tantummodo ad construendam Ecclesiam, quaeritur, utrum is reaedificata per alium

(1) In L. *caveri* D. communia praed. tam urb. quam rustic.— (2) Glos. iu cap. III. *de iurep.* ver. *fundatores.*

(3) In Cap. III. *de iurep. n.* 57. — (4) Roch. de Curte v. *Ecclesia fundavit* n. 4., et 5. Lambert. lib. 1. par. 1. q. 3. art. 6.— (5) L. *arbitrum* 43. D. *fam. ercisc.* et L. *si convenerit* 14. D. *pro socio* — (6) Glos. in cit. cap. III., et Vivianus Par. I. Lib. 2. cap. 5. n. 6. — (7) Alexander III. In cap. *consuluit.* VII. *de Iudaeis* — (8) L. *fundi* 8. D. *quibus modis* ususf. *amit.*

(9) Loc. cit. n. 9.

Ecclesia funditus desolata compatronus adhuc permaneat? Et negative respondendum videtur ob favorem libertatis Ecclesiae: quemadmodum in simili iure servitutum praedialium libertati potius favent responsa prudentum. *Nam rei mutatione interire ususfructum placet, veluti ususfructus mihi aedium legatus est, aedes corruerunt, vel exustae sunt; sine dubio extinguitur. An et areae? certissimum est, exustis aedibus nec areae, nec coementorum usumfructum deberi*, et ita Iulianus, et Ulpianus senserunt (1). Placuit autem Papiniano *ei, qui amittit ususfructum ex eo, quod amittit, nihil accrescere* (2). Hanc eadem ratione comprobari poterit sententia Viviani (3), quod patronatus ex dotatione quaesitus per iacturam dotis penitus amittatur, postque novam dotem ab alio constitutam antiquo patrono nequaquam competat.

XXXIV. Verum enimvero difficultate maxima non caret isthaec proposita patronatus extinctio propter dirutum aedificium, amissamque dotem. Quaevis enim partium distributio, et materiarum diversarum collatio in Ecclesia fundanda minime tollit ius individuum patronatus, unde promanat ius adcrescendi, et coniunctio, et confusio rationum ad omnes, ac singulos, qui ad fundandam Ecclesiam semel concurrerint. Siquidem confusio, et permixtio soli, aedificii, dotis unum fundatae Ecclesiae corpus efficit, et communionem inter compatronos causatur. Docente quippe Caio, voluntas plurium dominorum miscentium materias sive eiusdem generis, sive diversas, commune totum corpus efficit: sed et si sine voluntate dominorum casu confusae sunt duorum materiae, idem iuris esse dixit (4). Et quoniam difficilis est soli, aedificii, dotis separatio, quae Deo semel dicatae in usus profanos, revocari, et discindi nequeunt, eo vel maxime communio producitur inter confundatores. Tunc enim permixtione communionem produci, quum difficilis foret materiae separatio, secus si facilis, censuit Callistratus (5), et Ulpianus (6). Cur ergo dotator amissa dote patronatum non retinebit iure aedificationis, et fundationis, sibi communicato per confundatorem, et constructorem Ecclesiae?

Ex hactenus expositis exploratissima res est fundatoribus, ac dotatoribus raedificantes, ac redotantes aequiparari: ipsoque iure communi patronatum iustitiae in solidum adquirere ex praecipuis titulis tam primigeniae fundationis, ac dotationis, quam succedaneae, ac novae constructionis, et redotationis.

XXXV. Quid iuris autem, inquies, si antiquam Ecclesiae dotem quis adauxerit, beneficiumque tenue ditaverit? Id e re nata nunc edisseram. Decretum Synodi Tridentinae primum proferre lubet (7). His verbis conceptum: *Patronatus quicumque in Ecclesiis, et quibuscumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis adquisiti a quadraginta annis citra, et in futurum adquirendi*, seu ex augmento

(1) In L. *repeti* 5. D. *quibus modis ususfr. vel usum amitt.*—(2) L. *sicut.*, 3. §. 6. 2. D. eodem. — (3) Loc. cit. n. 11. — (4) In L. *adeo quidem* 7. §. 8., et 9. D. de adquir. rer. domin.

(5) In L. *locus* 12. §. un. D. *de adquir. rer. dom.* — (6) In L. *idem Pomponius* 5. §. 1. D. *de rei vindicat.* — (7) Cit. sess. XXV. cap. 9. de ref.

dotis, *seu ex nova constructione, vel alia simili caussa*, etiam *auctoritate Sedis Apostolicae ab eisdem Ordinariis uti Delegatis, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis, impediantur, diligenter cognoscantur, et quos non repererint ob maxime* evidentem *Ecclesiae, vel beneficiis*, seu necessitatem *legitime constitutos esse, in totum revocentur: atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, et, restituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant, non obstantibus privilegiis, constitutionibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Patres itaque Tridentini *augmentum* dotis evidenter Ecclesiae *necessarium* duntaxat probarunt, ceteris posthabitis. Cum vero verbum nullum de quantitate augmenti fecerint, eam operae pretium est disquirere ex constitutionibus praeviis Summorum Pontificum.

XXXVI. Innocentius VII. *in sua constitut.* IV. edita x. Kal. Septemb. 1485, quae incipit *cum ab Apostolica Sede*, gratiosas patronatus concessiones ab annis 25. per Sedem Apostolicam expeditas: et, Hadrianus VI. *in constit.* IV. quae incipit *Sanctissimus*, seu verius in sua Cancellariae regula publicata die 9. Decembris 1522. privilegia patronatum omnia a primo anno Pontificatus Innocentii VIII, scilicet 1484, ob quamlibet causam quibuscumque largita revocavit, exceptis iis, qui *fructus beneficii, vel Ecclesiae ad medietatem veri valoris* secundum communem aestimationem de propriis bonis *auxerint*, vel Ecclesiam de novo aedificaverint, vel funditus reaedificaverint, vel fundos concesserint. Puta qui summam antiquae doti coaequalem saltem non dederint: medietas enim ista referetur ad totum e dote antiqua, et nova accessione conflatum, adeout alterutra medietatem constituat, iuxta receptissimam DD. interpretationem, quam Rota praesertim Romana sequuta est (1).

XXXVII. Patronatus sic reservatus ex dotis incremento antiquam dotem vel aequante, vel exuperante a pragmaticis dicitur *ex caussa onerosa* promanare, et competens *ex titulo iustitiae*, ac *iure* etiam *communi*. Quem proinde patronatum nedum privilegio Summi Pontificis, (XXXVIII) verum etiam ordinario Episcopi adsensu posse reservari, tenent Abbas (2), Lambertinus (3), Lotterius (4), Cardinalis de Luca (5), Pitonius (6), ceteri Doctorum gravissimi. Et recte quidem: in prolatis enim constitutionibus Innocentii VIII, et Hadriani VI. aeque rata habetur patronatus concessio ex caussa novae fundamentalis aedificationis, vel reaedificationis, quam augmenti dotis usque ad medietatem. Profecto si augmentum ingens fuerit, excedatque, vel saltem coaequet antiquam dotem, quae incongrua, et insufficiens foret Ecclesie, tunc procul dubio aequipollet integrae dotationi: quoniam paria sunt Ecclesiam esse vel penitus indotatam, vel insufficienter dotatam. Quod probavit etiam Rota coram Coccino (7). Idque consentaneum decreto

(1) Dec. 518. par. 6. recent. dec. 29. par. 7. dec. 492. par. 13., et passim. — (2) Lib. 2. cons. 28. — (3) Lib. 1. par. 1. q. 6. art. 6. — (4) Lib. 2. q. 8. n. 32. — (5) Disc. 65. *de jurep.* n. 26. — (6) Tom. 1. *discept. eccl.* 33. n. 16., et 17. — (7) Dec. 1056. n. 8.

Tridentino esse videtur, dummodo augmentum eiusmodi praeseferat evidentem Ecclesiae necessitatem ex insufficientia prioris dotis resultantem. Nam Ordinarius Loci, quemadmodum vi talis decreti revocare potest patronatus sine evidenti Ecclesiae necessitate constitutos ex augmento dotis, puta modico, et infra medietatem, ita eos e contrario valet ratos habere, quos ex augmento dotis egregio aliquis legitime quaesiverit ob manifestam Ecclesiae egestatem. Nec patronatum heic sola Sedis Apostolicae auctoritate constitui ullimode exprimit Concilium, quod de patronatibus generatim loquitur ex dotis augmento constitutis *legitime*, puta post agnitam a Loci Ordinario necessitatem Ecclesiae, et prioris dotis fructus oneribus Ecclesiae ferendis, ministrisque sustentandis impares. Idque satis etiam innuit auctoritas Sedi Apostolicae, quam delegavit Episcopis Concilium per illa verba: *etiam auctoritate Sedis Apostolicae*, quibus sane verbis superadditam fuisse ordinarie iurisdictioni potestatem quoque delegatam ad irritandas concessiones patronatuum privilegio Romanae Sedis expiscatas, et sine potestate delegata ordinariam iam Episcopos obtinere iuxta mentem Concilii, nemo est, qui non videat. Ordinariam vero auctoritatem usurpari pro revocandis patronatibus auctoritate pariter ordinaria, sed illegitime constitutis, quis inficiari poterit? Exploratum proptcrea est patronatum iustitiae de communi, et publico iure per Tridentinum constituto posse auctoritate ordinaria Episcoporum constitui ex augmento dotis vel usque, vel supra medietatem, quoties urgeat Ecclesiae paupertas evidens.

XXXIX. Et quamvis refragentur Garzia (1), Aloyosius Riccius (2), Barbosa (3), et ceteri opinantes sine privilegio Sedis Romanae nullam, irritamque esse patronatus reservationem ex quovis augmento dotis; dicendum est sententiam hanc obtinere, quoties vel augmentum dotis tenue fuerit, et infra medietatem, vel necessitas Ecclesiae, quae sufficienter dotata sit, minime urgeat. Hisce enim casibus nequit Ordinarius liberam Ecclesiam in servitutem redigere, adversantibus Iuris publici regulis: quibus per privilegium, ac dispensationem derogare, soli Romano Pontifici fas est, praetereaque nemini.

XL. *Benefactores* hinc maxime distinguendi a fundatoribus, et dotatoribus. *Benefactor* habetur quicumque vel dotem insufficientem in limine fundationis, vel augmentum dotis Ecclesiae iam fundatae, et competenter dotatae adsignet, vel collabentes parietes Ecclesiae haud funditus destructae reficiat: quem exinde patronam non effici, docent unanimiter Doctores ex canonibus iam productis (4). *Nam conveniens non videtur, quod iuspatronatus ad beneficia ecclesiastica pro nulla, seu levi, et facili caussa adquiratur, et praesertim cum iuris alieni praeiudicio*, ait Innocentius VIII (5).

XLI. Quoties vel dos permanens augetur, vel Ecclesia per partes

(1) Par. IV. cap. 9. n. 84.—(2) In prax. par. 1. resol. 183.—(3) De *potest Episc.* alleg. 70. n. 16.

(4) Rochus ver. *et dotavit* q. 3. Lambert. par. 1. lib. 1. q. 6. art., et seq. Garzias *de benefic.* par. 5. cap. 9. n. 122: Barbosa super cap. 12. XIV. Conc. Trid. n. 12: Card. de Luca de iurep disc. 11. n. 2.—(5) In cit. const. §. 2.

redintegratur, ac reficitur, eadem adhuc esse moraliter non alia censetur: Glos. *in cap. quoniam III. ver. fundationis de iurepatr. Quemadmodum navis si adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permanaret, quae non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis, aliam rem fieri, fore ut ex eius ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissemus: propterea quod, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae quotidie ex nostro corpore decederent, aliaeque extrinsecus in earum locum succeederent. Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoque eamdem esse* existimavit Alfenus (1).

XLII. Vivianus (2) tunc opinatur Ecclesiam penitus destructam, quando si ea reaedificetur, indiget nova consecratione, secundum Textum (3). Verum si prelata inibi epistola Vigilii Papae ad Eleutherium inspiciatur alia omnino apparebit ratio, quam Pontifex adhibuit ad consecrationem Ecclesiae instauratae iterandam. Etenim si motum, violatumque fuisset Altare principale, parietibus etiam illaesis, reconsecrandam Ecclesiam: secus si Altare immoto, inviolatoque, parietes corruissent, ac restituti essent, scripsit Vigilius (4). Cui consonat apocrypha epistola Hygini Papae, qui secundo saeculo floruit, per Gratianum producta (5). Talemque disciplinam viguisse usque ad saeculum undecimum ostendit S. Anselmus (6). Ubi omnes concordare in hoc scripsit, quod violato principali altare, tota Ecclesia cum altare iterum consecranda esset; quum altare non fiat propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter altare. Quisnam vero ei, qui a fundamentis dirutam Ecclesiam immoto solum altare, immotisque reliquiis restituerit, patronatum denegabit? Ecquis parietes haud integros reficienti patronatum largietur ob altaris diruti restaurationem? Necessitas ergo reiterandae consecrationis secundum textum epistolae Vigilianae a Viviano prolatum haud recte dirigit patronatum raedificatione adquirendum. Aptiores tamen erunt decretales Alexandri III. (7), et Innocentii III. (8), qui veteri iam abrogata disciplina, distinxerunt consecrationem altaris a consecratione Ecclesiae, declarantque ob altaris motionem, seu enormem lapidis consecrati fracturam, altare solum denuo consecrari, nullatenus vero Ecclesiam, cuius parietes permanserint illaesi: *licet id* (ait Alexander) *quidam canones innuere videantur.*

Quoniam vero bonis nedum propriis, sed alienis etiam, et modo voluntarie, modo coacte fundantur, dotantur, reaedificantur Ecclesiae par est ad coronidem capituli, quo de agitur, has expendere circumstantias.

XLIII. Propriis quidem bonis, non vero alienis Ecclesiam, vel beneficium fundare, construere, dotare eum debere, qui patronatum

(1) L. *proponebatur* 76. D. *de iudiciis*—(2) Part. 1. Lib. 2. cap. 5. n. 6. (3) In Can. *de fabrica* 24. de *consecrat.* dist. 1.—(4) In Cit. can. *de fabrica*—(5) In Can. 19. ead. de consecr.—(6) Epist. CLIX. lib. 3. (7) In Cap. 1. *de consecr. Eccl.* —(8) In Cap. VI. cod. tit.

cupiat adipisci, animadvertere iuvat (1), ad planius intelligenda, quae inde deducuntur, consectaria. Quandoqnidem nonnisi facultates suas in Ecclesiam conferentibus, et liberalitatem exercentibus retributio iusta debetur, et vicissitudo iuris patronatus (2).

XLIV. Si propterea quis Ecclesiam fundaverit, ac dotaverit pro alienae voluntatis exequutione, tanquam nudus minister, et mandatarius, non efficitur procul dubio patronus: quoniam eiusmodi actus fundationis, ac dotationis mandanti, bonaque sua conferenti, non exequenti, vel res alienas impendenti tribuitur (3).

XLV. At heredem mandantis excipe. Qui licet fundationem Ecclesiae de bonis hereditariis adimpleat iuxta testatoris voluntatem, patronatum nanciscitur nedum iure defuncti, cuius personam heres ipse repraesentat, ac sustinet (4), verum suo etiam iure, utpote qui per aditionem bona hereditatis omnia suum efficit patrimonium (5).

XLVI. Eodem iure monasterium de redditibus ecclesiasticis constructum tradi, et subiici (in vim patronatus) eidem Ecclesiae, cuius erant redditus, decrevit VIII. Synodus (6) apud Gratianum (7). Et Alexander III. Eboracensi Archiepiscopo rescripsit in nova Ecclesia intra fines antiquae Parochialis aedificata, deque obventionibus eiusdem villae dotata honorem competentem, et praesentationem parochi filialis praesertim, rectori matricis Ecclesiae reservari debere (8). Quamobrem Ecclesiae decimis fundatae patronatum is nanciscitur, ad quem decimae pertinebant (9). Consentaneum hoc est sententiae Sabini, et Cassii veterum iureconsultorum, qui putarunt contra Nervam, et Proculum speciem ex aliena materia nomine suo factam ab aliquo, non utique ad facientem, sed ad materiae dominum pertinere, quia sine materia nulla species effici possit: et recte quidem, ubi species ad materiam reverti possit (10).

XLVII. Si vero quis Ecclesiam, Capellamve construxerit ex oblationibus, et eleemosynis fidelium, haec statum libertatis sortitur, adeo ut nec populus earum largitor, nec easdem colligens, aut expendens patronatum sibi vindicare queat. res enim oblatae, aut eleemosynaliter traditae fiunt Ecclesiae, quae de suis proinde bonis dicitur constructa, populusque in tradendis eleemosynis animum habere non praesumitur reservandi patronatum: alias nulla foret libera Ecclesia, quum omnes eleemosynis fidelium constructae fere censeantur (11).

XLVIII. Itidem si quis per hostium debellationem recuperaverit bona

(1) Can. *noverint* X. q. 1. can. *quicumque*, et can. *filiis* XVI. q. 7.
(2) Dict. can. *quicumque* — (3) Rota dec. 220. par. 6. rec. Card. de Luca disc. 55. *de iurepat.* n. 12, et 13.
(4) L. *hereditas* 34. D. *de adquir. rer. dom.* — (5) L. *per procuratorem* 89. D. *de adquir. hered.* — (6) Can. XV. — (7) In Can. *apostolicos* 13. in fine XII. q. 2. — (8) Cap. ad *audientiam* 3. *de Eccl. aedif.* — (9) Roch. de Curte *ver. et dotavit num.* 26. Felin. *in cap. cum venerabilis num.* 37. *de except.* Piton. *tom. 1. discept. Eccl.* 22. *num.* 24. — (10) L. *adeo quidem* 7. §. 7. D. *de adquir. rer. dom.* — (11) Card. Petra *in const. 1. Anastasii IV. tom. 2. sect. 2. num.* 35. Card. de Luca *de Parochis disc.* 42. *num.* 5. Piton. *de contr. patr. all.* 54. *num.* 23.

Ecclesiae, patronatus ipso iure non efficitur sine privilegio apostolico, de quo *in seq. cap.*, quoniam amissae res Ecclesiam ipsam communi iure postliminii revertuntur, et una cum libertate civium, devictis hostibus, in pristinum statum restaurantur (1). Sane *ubi paganorum, et incredulorum furor in caussa est, quantalibet praetereant tempora, iuri non praeiudicant Ecclesiarum: quae corporalia nescientes arma solum Dominum, et propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter expectant,* ait Ioannes PP. VIII. Paulo Episcopo in Germania, et Pannonia legato rescribens (2). Hispaniarum Reges patronatum Ecclesiarum in Regnis suis ob expulsionem hostium non obtinuisse, nisi praevia earumdem reaedificatione, et dotatione, contestantur Solorzanus (3), Guttierez (4), et Wasquez (5). Quapropter Alexander VIII. (audito particularis Congregationis Cardinalium iudicio anno 1690) Venetus Republicae Venetiarum, quod Turcas ab Illyrico extrudisset, patronatum noluit indulgere super Ecclesias Cathedrales e manibus hostium liberatas, nisi easdem dotassent: reliquas vero inferiores Ecclesias una cum beneficiis omnibus liberae collationi Ordinariorum vindicatas voluit, ut refert Pitonius (6). Quoniam hostem pugnantem *necessitas* tuendae Religionis, non voluntas belligerandi perimit, ut Divus Augustinus (7): *Et Christus ideo tributa Caesari monuit reddi, quia propter bella* necessario *militi stipendium debetur*, idem Sanctus ait (8).

XLIX. Et generatim quicumque ad Ecclesias fundandas, vel dotandas necessitate, non voluntate fertur, patronatu dignus fere non est. Nam satis non est benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiscatur, inquam cum D. Ambrosio (9), et iustitia ex opere non consummatur, nisi et voluntas adfuerit, ait Chrysostomus (10). Quare quum post sacrilegas laicorum invasiones olim iteratis Conciliorum canonibus anathematizatas plurimi poenitentia, et religione ducti restituere expoliatis Ecclesiis deberent possessiones, decimas, et quid quid iuris ecclesiastici impie rapuerant Ecclesias, et Monasteria fundare vel dotare, patronatus adquirendi studio; aliisque Monachis et Clericis potius, quam Ecclesiis rapinam, furtumve perpessis, ea reddere, excusando necessitatem restitutionis quaesito colore donationis, et liberalitatis, Urbanus II. saeculo undecimo sanxit, ne quis clericorum, vel monachorum inconsulto Episcopo in posterum possessiones, et res ecclesiasticas acciperet, tametsi ad vitandum scandalum ratas quidem habuit praeteritas rerum adquisitiones, quas aliter eo usque fecissent monachi, et clerici, prout potuissent (11). Quod sequenti sae-

(1) Can. *prima actione* 13. XVI. q. 5.— (2) In Can. *porro* 14 ead. Caus. et quaest. — (3) Lib. III. de iur. Indiar. cap. 2.— (4) Lib. 3. pract. quaest. 13. §. *verumtamen* — (5) Lib. 1. controv. illustr. cap. 22. n. 15. — (6) In *cit. discept. Eccl.* 22. n. 23.—(7) Epist. CCVII. ad Bonifacium in can. *noli existimare* 3. XXIII. q. 1. — (8) In Can. *quid culpatur*. 4. ead. Caus, et qu. — (9) In Can. *non satis* 14. dist. 86. — (10) In Can. *sicut. enim* 10. XXXII. q. 5.

(11) Cap. I. *de capel. monach.* in prima collect. Decretal. et can. *congregato* 2. XVI. q. 7.

culo duodecimo Alexander III. etiam comprobavit (1) ibi: *Nullus Laicus decimas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici iuris est, sine concessione sui Pontificis, monasteriis, vel Canonicis conferat.* Porro Episcopus patronum haud habebit illum, qui res Ecclesiae debitas in fundationem, aut dotationem Ecclesiae addicat.

L. Hinc etiam intelligimus, cur heredem, qui fundationem, vel dotationem a testatore demandatam neglexerit, praecise viribus praeturae compulsum ad eam perficiendam, patronatu indignum habeant Doctores laudati apud Card. de Luca (2). Quemadmodum *qui compulsus adiit hereditatem, sicuti ceteris commodis caret, ita hoc quoque casu, ne possit poenitendo* (hoc est ultro postmodum adeundo) *quartam Trebellianicam retinere*, et traditis per Hermogenianum *in L. nam quod ad ius pubblicum 14. §. qui compulsus D. ad S. C. Trebellian.* Siquidem bona defuncti vi piae dispositionis ad Ecclesiam ipso iure pertinent, et heres, quem Iustinianus mandavit cogi debere ad complendam oratorii constructionem intra quinque annos, xenodochii autem, celerorumque locorum piorum intra annum *(Nov. 131. cap. 10.)* ob spretam testatoris voluntatem, dilatumque legati pii implementum poena potius, quam beneficio patronatus afficiendus est, et damnum sentire debet amissi patronatus ob iniuriosam inficiationem legati pii. *Mixta enim est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis, legati, vel fideicommissi nomine, dare distulerint, usque adeo, ut etiam in iudicium vocarentur: tunc enim et ipsam rem, vel pecuniam quae relicta est, dare compelluntur: et aliud tantum pro pena, et ideo in duplum fit condemnatio*, ex Iure Iustinianaeo (3). Quonam igitur iure heres legatam fundationem, vel dotationem inficians, ac differens secundum leges ab Ecclesia honorem, utilitatemque patronatus obtinebit, qui Ecclesiae iniuriam, et damnum intulit, poenamque promeruit inficiationis? Quodnam ab isto herede patrocinium Ecclesia expectabit, quem experta fuerit acerrimum adversarium? Clericus contra Ecclesiam postulare praesumens tanquam ingratus beneficio in ea iam obtento expoliatur iuxta decretalem Gregorii IX. (4): quo magis igitur quaerendo patronatus iure privabitur heres iste cum Ecclesia contendens in iudicio? Nihilominus alii malunt patronatum indulgere illi etiam, qui beneficium coactus fundaverit (5): dummodo expensas litis, et damna Ecclesiae illata reficiat.

Utrum vero ad patronatum ex fundatione, et dotatione adquirendum necessaria sit expressa reservatio, et adscnsus Episcopi, opportunius *in seq. cap.* mox discutietur.

(1) In Cap. *nullus 17. de iurepat.* — (2) Discurs. 14. n. 6., et seq., et disc. 55. n. 13. *de iurep.*
(3) In §. *vi autem* 19. Instit. *de actionibus.* — (4) In Cap. III., et fin. *de postulando* — (5) Lambertin. part. 4. q. 4. art. 6. n. 7. Vivian. Lib. II. cap. 3. n. 11.

CAP. VI.

DE ADSENSU DIOECESANI ET LEGIBUS FUNDATIONIS.

I. Sine auctoritate Episcopi Ecclesiam, vel Capellam aedificare vetitum.

II. Qui tamen cum adsensu Episcopi eam construxerit, eo ipso patronus efficitur.

III. Dummodo non declaraverit nullum patronatum sibi velle retinere.

IV. Ecclesiam, consentiente Episcopo, fundanti nequit Episcopus patronatum denegare.

V. Ob novam vero constructionem, egregiumque dotis augmentum debet ante expendi necessitas, vel utilitas Ecclesiae, et patronatus expresse reservari.

VI. Ubi neglexerit fundator conditiones in limine fundationis explicare, aliae non competunt, quam Iuri communi consentaneae; nisi expresse caverit de conditionibus post explicandis.

VII. At in limine fundationis poterit is conditiones Iuri etiam communi adversas fere apponere.

VIII. Puta qualitatem gentilitiam, vel familiarem patronatus, exclusa hereditaria.

IX. Amovibilitatem beneficiarii, et capellani ad libitum, et rectoris etiam cum cura animarum.

X. Onus recitandi parvum officium, non horas diurnas.

XI. Aetatem beneficiarii infra XIV. annum.

XII. Retentionem plurium beneficiorum incompatibilium sub eodem quoque tecto.

XIII. Translationem beneficii una ad aliam Ecclesiam.

XIV. Institutionem parochialis Ecclesiae sine concursu.

XV. Institutionem ordinariam exclusis pontificiis reservationibus.

XVI. Exclusoque iure devolutionis.

XVII. Quatuor, vel sex menses ad praesentandum coarctare, aut protrahere.

XVIII. Visitationem Ecclesiae in temporalibus Ordinario inhibere.

XIX. Divisionem beneficii unius inter duos beneficiarios mittere.

XX. Pensionem annuam, vel fructus vacantes patrono reservare.

XXI. Institutionem quoque ipsius fundatoris, vel patroni.

XXII. Et ius nominandi ad beneficium vacaturum.

XXIII. Qualitates demum omnes a statuto loci, vel summo Pontifice superadditas excludere.

XXIV. Huiuscemodi conditiones inuunt patronatus ius esse singulare.

XXV. Quod ad alias conditiones a Iure aberrantes minime extendendum est auctoritate ordinaria.

XXVI. Siquidem a dioecesana lege, seu episcopali iurisdictione fundator nequit Ecclesiam eximere.

XXVII. Nec vim institutionis tribuere praesentationi beneficiariorum.

XXVIII. Nec alteri, quam Episcopo ius instituendi reservare.

XXIX. Nec naturam rei profanae fructibus ecclesiasticis vindicare, aut conservare.

XXX. Nec Abbatis praesentationem in Ecclesia conventuali.

XXXI. Nec aetatem minorare ad clericatum assumendum praescriptam iure Concordatorum.

XXXII. Nec turpes, impossibiles, naturam beneficii destruentes conditiones.

XXXIII. Conditiones istiusmodi illegittimae pro non appositis habentur.

XXXIV. Quas Episcopus moderari, et reiicere potest, ac debet.

XXXV. Et ubi reiiciantur, atque irritentur, dispositio fundatoris simul vitiatur, quoties ea conditionalis fuerit, secus si modalis.

XXXVI. Dubitatur tamen, an rescindi valeat modalis dispositio.

XXXVII. Re integra ante constructionem Ecclesiae hinc debent fundationis leges constitui cum adsensu Episcopi.

XXXVIII. Quamvis fundationem praecedere, et subsequi possit adsensus episcopalis.

XXXIX. Tenor adsensus Episcopi magis, quam fundationis attendendus.

XL. Adsensus enim, et erectionis decretum formam fundationi tribuit, et naturam contractus innominati.

XLI. In quo sane contractu abest simoniae labes.

XLII. Condictas fundationis leges nec Episcopus, nec fundator potest, alterutro abnuente, violare.

XLIII. Etiamsi Episcopus generatim adsensum suum praestiterit fundationi, quae conditiones exorbitantes continebat.

XLIV. In favorem tamen Ecclesiae fundator Episcopo consentiente legem fundationis recte abrogat.

XLV. Et quoties ius alicui quaesitum non tollat, fere licet fundatori ante adsensum episcopalem suam variare dispositionem.

XLVI. Quemadmodum, et patronatum exercere liberum a vinculis fundationis.
XLVII. Et in ambiguis voluntatem suam declarare.
XLVIII. At succedentes patroni violare nequaquam possunt fundationis legem.
XLIX. Quae omnino servanda est in claris, contraria non obstante observantia.
L. Per observantiam tamen probatur amissa fundatio, dubiaque declaratur.
LI. Itemque adsensus Ordinarii per observantiam praesumitur.
LII. Munera, nisi fundator obtulerit, Dioecesanus nequit sibi reservare.
LIII. Dioecesani nomine heic intelligitur Episcopus, et Abbas cum territorio separato.
LIV. Non autem Praelatus sine territorio separato.
LV. Nec Cardinalis titularis in Ecclesia intra Urbem.
LVI. Nec Vicarius Episcopi sine speciali mandato.
LVII. Vicarius tamen Capitularis adsensum super reservatione patronatus impertitur.
LVIII. Itemque Vicarius Apostolicus.

I. Fundationi, ac dotationi Ecclesiae, vel Capellae, et cuiuslibet ecclesiastici beneficii omnino debet accedere secundum canones, ac leges auctoritas Episcopi, seu Dioecesani, ut patronatus exinde possit oriri. Quam irrequisito, spretove Episcopo quivis attentaverit erectionem altaris, aut Ecclesiae, eam omni tempore illicitam, atque a primis usque saeculis universaliter vetitam fuisse sub poena depositionis quod ad ecclesiasticos, et excommunicationis quod ad laicos, liquet ex *can.* XXX. *vulgo Apostolorum*. Unde promanavit in Gallicanam Ecclesiam sexto saeculo canon Aurelianensis, aedificationes Ecclesiarum prohibens, antequam Dioecesanus Episcopus eas probasset, riteque praefinivisset (1): qui perperam a scribentibus laudatur ad universalem huiusce articuli ostendendam disciplinam. Tum in Dioeceses orientales prodiverunt consentaneae Iustiniani sanctiones (2), atque in occidentales Capitularia Caroli M. (3), ut nullus praeter voluntatem Episcopi fabricaret monasterii, Ecclesiae, aut cuiuslibet oratori domum. Qui vero Ecclesiam, Capellamve auctoritate propria construxerit, etiamsi exemptus sit, eam Episcopus ut liberam sibi vindicabit: Innocentius enim III. rescripsit in ius Colubriensis Ecclesiae, quae Episcopalis erat, revocandas Ecclesias a monasterio S. Crucis auctoritate propria fundatas, nec monasterium praescriptione, aliave defensione legitima eas sibi retinere posse (4). Vel eandem ipsemet Episcopus de-

(1) Can. *nemo Ecclesia* 9. de cons. dist. 1. — (2) Nov. LXVII. cap. 1., et CXXXI. cap. 7. — (3) Lib. V. cap. 228., et lib. VII. cap. 13.
(4) Cap. *cum olim* 14. §. *insuper de privileg.*

molietur, tametsi aedificator, Episcopo nolente, demolitionem adgredi nequeat (1). E contrario *si quis Ecclesiam cum adsensu Dioecesani construxit, ex eo ius patronatus adquirit* (2). (II) Quibus ex verbis Doctores unanimi consensione concludunt fundatorem, ubi semel ab Episcopo licentiam aedificandae Ecclesiae obtinuerit, ipso iure, ipsoque facto patronatum iustitiae adipisci post perfectam constructionem, ac dotationem, etiamsi illum sibi expresse non reservaverit (III.), dummodo palam haud renunciaverit eumdem, Ecclesiamque liberam velle minime declaraverit (3). In dubio hinc praesumptio iuris urget contra Ecclesiae libertatem. Quum fundatores Ecclesiae S. Nicolai Sabinensis Dioecesis liberam eam esse volentes, nihil iuris in ea retinere dixissent, et rector illius monumentum ad futuram rei memoriam expostulasset, Innocentius III. prudentissime rescripsit iudici Sabinensi, ut monitis fundatoribus, eorumve heredibus testes desuper audiret, ipsorumque dicta in publicam instrumenti scripturam redigeret (4). Ob eam puta rationem, ne procedente tempore ad patronatum vindicandum, exercendumque insurgeret, quem in limine fundationis haud remissum, sibique ob id tacite reservatum asserere possent, probatione in contrarium deficiente. Profecto canones, et leges nullibi super patronatus reservatione, sed super Ecclesiae constructione, ac dedicatione tantum auctoritatem Episcopi exposcunt: atque fundatores ingiter, ut patronos agnoscunt: (IV.) utpote quibus Episcopus iura patronatus nullimode queat denegare, postquam iis facultatem semel accomodaverit aedificandi, ac dotandi. Quin Episcopo renuente fundationem oblatam admittere, aut patronatum reservare, fas est ad Metropolitanam, vel Romanam Sedem recurrere, ab eaque vel adsensum iuris obtinere directe, vel ut Episcopus ad adsentiendum compellatur (5). Namque *indultum a iure beneficium non est alicui auferendum* (6). Eodemque iure pro Ecclesia reaedificanda patronum haud indigere novo Episcopi adsensu, docet Vivianus (7).

At discrimen observandum est inter primigeniae fundationis, ac dotationis titulum, titulumque novae construtionis, et augmenti dotis (V.) In hoc enim posteriori tantum casu necessitas maxime evidens Ecclesiae, vel beneficii, vel dignitatis concurrere debet coram Episcopo liquidanda, ut patronatus raedificanti, dotemve augenti possit legitime constitui iuxta decretum Tridentini prolatum in superiori *cap. num. XXX.*, *et XXXV.* Ideoque necessaria hoc in casu videtur expressa patronatus reservatio cum adsensu Episcopi per contractum, et ultro, citroque obligatorium, ad evitandas dubietates utriusque partis, et con-

(1) Lambert. lib. 1. par. 1. qu. 2. art. 18. et Vivian. part. 1. lib. 2. cap. 1. n. 23. — (2) Cap. Nobis XXV. *de iurep.* — (3) Vivian. lib. II. cap. 1. 1. n. 9. — (4) Cap. *significavit* XLI. *de testibus.*

(5) *Cap. nullus* 17. *de iurepatron.* Lambert. *par.* 2. *lib.* 1. *quaest.* 1. *art.* 20: Lotter. *lib.* 1. *quaest.* 32. *num.* 17. Aloys. Ricc. *part.* 1. *dec. Archiep. Cur. Neap. decis.* 29. *num.* 7., *et* 13. Piton. *in supplem. alleg.* 100. *de contr. patr. num.* 16. — (6) Cap. *indultum* XV. de reg. Iur. in VI. — (7) Lib. III. cap. 5. n. 6.

troversias, quae multifarie suboriuntur nedum inter Episcopos Ecclesiarum, verum etiam inter fundatorum heredes, ceterosque interesse habentes super pertinentia, vel quasi possessione patronatus. Duo proinde debent copulative concurrere, ut reaedificator patronatum adquirat: primum scilicet expressio animi, quod reaedificationem faciat ob finem adipiscendi patronatus, alias id charitati potius, animoque benefaciendi tribueretur: et secundum, quod Ecclesia funditus eversa necessitatem patiatur largiendi patronatum reaedificatori, benefactoribus deficientibus (1).

VI. Qui enim omissis conventionibus, legibusque fundationis nullimode expressis per constructionem Ecclesiae perfectam evadit patronus, contentus erit iis tantummodo praerogativis, quae Ius commune indulget, longe minores aliis, quas potuisset in limine fundationis sibimet reservare. Ex intervallo post completam fundationem, nonnisi conditiones Iuri consonas posse a fundatore adponi, speciatim asserunt Vivianus (2), Card. de Luca (3), Rota (4). Quemadmodum post liberam rei traditionem amplius non licet donatori conditionem, modumve, invito praesertim superaddere, quia *perfecta donatio conditiones postea non capit* (5): profecto quae a Iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, inquies cum Bonifacio VIII (6). Si tamen fundator in limine fundationis assentiente Ordinario facultatem sibi retinuerit disponendi de patronatus iuribus, et praerogativis in testamento; posse adhuc extra limen fundationis conditiones praescribere a communi Iure dissentaneas tenet Pitonius (7). Quidquid alii senserint (8): quemadmodum in ipso fundationis limine quivissent.

VII. Limen fundationis dicitur actus, initiumque dotandi, et fundandi Ecclesiam, illudque temporis spatium, quo voluntatem construendi, et dotandi Ecclesiam, aut instrumento publico, aut testamento aliquis declaret, vel Dioecesanum requirat ad piam eiusmodi voluntatem probandam, suumque decretum crectionis interponendum, prout in tractatu *de beneficiis cap. III.* expositum est. Sic porro beneficium ecclesiasticum oriri, illudque de non esse ad esse reduci aiunt Pragmatici. In ipso inquam limine fundationis fundator leges sibi placitas potest praescribere, quas praeterire, vel contemnere, vel abrogare nefas (9). Non aliter, quam *legem, quam rebus tuis donando dixisti, sive stipulatione tibi prospexisti, ex stipulatu, sive non praescriptis verbis hanc imputari* oportet (10). Etiamsi eaedem conditiones a Iure communi, et constitutionibus ecclesiasticis exorbitarent, discreparentque (11). Quo-

(1) Card. de Luca *in sum. iurispat.* n. 19. — (2) Lib. II. cap. 8. n. 10. (3) Disc. 15. *de iurep.* n. 6., et 12. — (4) Decis. XXVI. n. 10. par. 10. rec. — (5) L. *perfecta* 4. Cod. *de donationibus, quae sub modo. vel conditione, vel certo tempore conficiuntur.* — (6) In Cap. *quae a iure 28. de reg.* iur. in VI. — (7) De *controv. patr.* alleg. 82. n. 8. — (8) Addentes ad dec. 54. coram Pamphilo n. 5. — (9) *Can. rationis ordo non patitur 34.* xvi, *qu. 7. l. quis donaverit 15. Cod. de sacros. Eccles. l. 45. Cod. de Episc., et Clericis*, Rota in *Valentina beneficii coram Emerix iun. dec. 1241. num. 6. apud Piton. de contr. patr. alleg. 66. num. 24*— (10) L. IX., et XXII. C. *de donationibus*— (11) Glos. in Cap. *cum dilectus* ver. *praesentare de iurep.* Fagnanus in Cap. *cum in cunctis* n. 72. *de elect.*

niam lex generalis haud complectitur casus peculiares a lege fendationis aliter praescriptos, et Iuris axiomate (1). Aliud sane praeter communes regulas debet fundatoribus Ecclesiarum indulgeri, liberalitatis eorum provocandae gratia.

VIII. Hinc ex. gr. potest primo fundator patronatum praeoptare gentilitium, et familiarem, exclusis heredibus, licet Ius commune ad heredes illum fere transmittat (2), de quo inferius *in cap. de success. patronorum.*

IX. Perpetuam insuper institutionem beneficii potest fundator temporariam reddere, sicque manuale beneficium fundare cum facultate amovendi beneficiarium ad patroni libitum, etiam sino causa, contra communem perpetuitatis regulam (3). Cuiusmodi amovibilitate non destrui naturam beneficii perpetuam censent Doctores, istamque salvam permanere habitualiter in eo, quod beneficiarius illud obtineat possidendum ad tempus indefinitum, atque incertum: ideoque in perpetuum valeat detinere, nisi amoveatur (4). Quidquid contra senserint Navar., Stephanus de Gais (5), Philippus de Saracenis (6), Sanchez (7), Pitonius (8). Qui tamen variavit, prioremque sententiam amplexus est (9). Quare si velit fundator Clericos de sauguine suo, familiave patronorum esse perpetuos ad vitam beneficiarios, illisque nonnisi deficientibus, extraneos debere institui amovibiliter, donec aliquis de familia clericalem statum assumpserit, id eo magis indulgendum: quemadmodum indulsit sacra Congregatio Concilii in una Gennensi beneficii 29. Aprilis 1713. *super art. 2. et 3:* apud Pitonium *de controv. patronorum alleg. 54. num. 18.* Qui *in cit. supplem. alleg. 100. de controv. patronorum num. 30., et 38*, expressim tenet pactum amovibilitatis inter Episcopum, et fundatorem conventum, in Ecclesiis etiam curatis esse validum, et dummodo ante certioretur Episcopus, quam Parochus amoveatur, illud exerceri posse, dissentiente licet Ordinario. Suamque sententiam comprobat decreto Sac. Congr. Episcoporum, et Regularium in Leodien. Parochialis 2. Septembr. 1712., et 3. Februar. 1713. Quoniam vero Bonifacius VIII. *in cap. un. de capell. monorchor. in VI*, mavult perpetuos ad curam animarum exercendam presbyteros in Ecclesiis etiam Regularium, quos Monachi praesentarent, non obstante quovis statuto, vel consuetudine: permulti Doctores censent sine auctoritate Sedis Apostolicae non posse in fundatione caveri, ut Parochus ad nutum patroni sit amovibilis, Episcopo etiam irrequisito (10).

(1) In L. *cum in testamento* §. fin. D. *de heredibus instit.*

(2) Clement. *plures* II. *de iurep.* — (3) In Cap. *consultationibus* X., et cap. *querimoniam* IX. *de iurep.* Glos in Can. *pastoralis* VII. q. 1. *gubernare.*

(4) Garzia *par. 1. cap. 2. num. 79.* Lara *de anniver., et capellaniis lib. 2. cap. 1. num. 7*, Corrad. *in prax. beneficiaria lib. 1. cap. 6. num. 280.*

(5) In Cap. fin. de *elect.* in VI.— (6) In rub. de iurep.— (7) Lib. 2. cons. mor. cap. 2. dub. 31. n. 1. — (8) *De controver. patr.* alleg. 24. *n.* 4. 10., et seq. — (9) Alleg. 49. n. 42., et in suppl. alleg. 100. n. 30., et 38.

(10) Fagnan. *in cap. ex parte num. 9., et seq. de offic. Vicar.* Rot. *decis. 309. par. 11. div, et coram Coccin. decis. 2038 nu. 17.*

X. Eximere item valet beneficiarium ab onere recitandi horas canonicas, eumque parvo solum officio B. Virginis quotidie persolvendo adstringere, ex eodem decreto Sacrae Congregationis (1).

XI. Clericum septennem praesentationi acceptandae, atque institutioni obtinendae idoneum reddere, contra generalem Tridentini sanctionem (2), ex eodem Sac. Congr. decreto *super, art. VI.*

XII. Pluralitatem, et incompatibilitatem quoque sub tecto excludere contra generales canonum regulas in tractatu *de beneficiis* traditas (3) ex eodem decreto *in Penn. super art. V.*

XIII. Et facultatem transferendi beneficium de una ad aliam Ecclesiam cum consensu Ordinarii pro tempore, ex eodem decreto Sac. Congregationis *super dubio* IX.

XIV. Forma concursus per Tridentinum constituta minime servatur in Parochiis de iurepatronatus, utpote quam excludit ius praesentationis fundatori reservatum, minimeque sublatum a Triden. (4), per generalem quorumlibet privilegiorum derogationem, ut Sacra Congregatio eiusdem Concilii interpres declaravit, laudata per Barbosam (5).

XV. Reservationes quoque pontificiae nedum expresse, verum etiam tacite amoventur, et excluduntur in limine fundationis in patronatu etiam ecclesiastico: ut pluribus Rotae decisionibus receptum comprobat Pitonius (6). Et quotiescunque reservationes licet fundationi posteriores sunt cum eadem fundatione incompatibiles, exclusas eas praesumit idem Auctor (7). Quin legem hanc fundationis exclusivam reservationis non contra, sed secundum ius, naturalemque statum beneficiorum esse censuit Rota coram Molines (8).

XVI. Devolutionem quoque iuris conferendi, et instituendi ad Papam, negligente Ordinario, prohiberi posse in limine fundationis, quidquid aliter statuerit Ius commune (9), haud improbat Rota (10).

XVII. Itidem quod Patroni non arctentur tempore quadrimestris, vel semestris ad praesentandum per canones constituto: hanc enim conditionem a fundatore volitam valere pro Ecclesiis non curatis, tenet Cardinalis de Luca (11). Ne tamen indefinite perduret vacatio, post lapsos quatuor, vel sex menses poterit Ordinarius arbitrio boni viri tempus praefigere, intra quod explenda sit praesentatio sub poena devolutionis (12). Et e contrario poterit collatori tempus ad instituendum, puta semestrem, coarctare fundator iuxta exemplum a Rota probatum apud Pitonium (13).

XVIII. Visitatio item Ecclesiae quod ad temporalia potest in funda-

(1) In cit. Pennen. — (2) Sess. XXV. de ref. cap. 6. — (3) Cap. XXI. n. 8., et seq. — (4) Sess. XXIV. de ref. cap. 18. — (5) *Super eod. cap. Trid. num. 147.* Garz. *par.* 9. *cap. 2. num. 270.*, et Corrad. *in prax. benefic. lib. 3. cap. 3. num. 5.*

(6) Alleg. 21. *de controv. patr.* n. 2. — (7) Alleg. 48. n. 15. — (8) In Parmen. benef. 27. Iunii 1703. penes eundem Piton. ibidem n. 54 — (9) In Cap. II. de *concess. praeben.* — (10) Ibidem n. 58. — (11) De *iurep.* disc. 93. n. 8. — (12) Piton. *discept. eccl.* 22. n. 40. — (13) De *controv. patr.* alleg. 48. n. 57.

tionis limine demandari, ne fiat ab Episcopo (1), ubi attribuitur Episcopis generatim privativa facultas visitandi quaslibet Ecclesias, ot Loca pia, *nisi secus forte in fundatione, et ordinatione talis Ecclesiae, seu fabricae cautum esset.*

XIX. Et quamvis beneficia ecclesiastica non patiantur divisionem, secus quam laicales capellaniao (ex rubrica Decretalium, *ut beneficia sine deminutione conferantur*) *quum una Ecclesia unius debeat esse rectoris* (2): in pluribus fundationibus animadverti constitutum, tam uni, quam duobus de familia clericis debere beneficium concedi per canonicam institutionem, et recte *ex cap. maioribus, et cap. vacante de praeben.*

XX. Licita item est reservatio fructuum Ecclesiae vacantium in favorem patroni (3), nec non annuae fructuum portionis (4).

XXI. Quod institui debeat fundator in beneficio, pactum valet sine labe simoniae, (5) quidquid aliter senserit Fagnanus (6). In ista enim decretali Innocentius III. cum reiicit tanquam simoniacum, qui bona temporalia Ecclesiae receptitiae, vel collegiatae offert sub expressa conditione retinendi ea ad vitam, atque in canonicum admittatur. Alias ius praesentandi labem simoniacam praeseferret: quod nullus Doctorum affirmare ausus est contra vetustissimam universalis Ecclesiae praxim: parum enim interest in crimine simoniae, utrum obtineatur beneficium oblatione rei temporalis facta per alium, an per semetipsum (7).

XXII. Ius nominandi ad beneficium vacaturum posse in limine fundationis reservari, et eligendi successorem in beneficio definit Rota (8) contra regulam Iuris communis (9).

XXIII. Qualitates tandem universas ex indultis pontificiis, vel statutis locorum, aut legibus municipalibus supervenientes potest excludere fundator, quae ad naturam beneficii ecclesiastici non pertinet (01).

XXIV. Ex hactenus recensitis conditionibus, et legibus fundationum *ius singulare* in patronatu inesse agnoscitur, quod iuxta Pauli definitionem) contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est (11), non quia paullulum aberrat a regulis communibus: nam Ulpiano docente *iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur* (12). Quo reflexerunt fortasse Patres Concilii Lateranensis sub Alexandro III, *qui can.* XVII. affirmarunt fundatores Ecclesiarum, et heredes eorum in potestate, quam

(1) Trident. sess. XXII. cap. 9. — (2) Cap. *quoniam* III. de *iurep.* Amostraz. de *caussis* piis Lib. III. cap. 7. n. 43., et 44.

(3) Glossa in Cap. *generali* de *elect.* in VI. ver. *fundatione* ex dict. Cap. II. n. 131., et seq. — (4) Cap. *praeterea* XXIII. de *iurep.* — (5) Glossa in can. *neminem* dist. 70. ver. *sive possessiones*: Ciarlin. controv. 69. n. 14. Pax Iordan. Lib. X. tit. II. n. 9., et seq. Roch. de Curt. ver. *honorificum* qu. 15.

(6) In Cap. *tua de simonia* n. 3. — (7) Cap. *ex insinuatione*: et cap. *a nobis de simonia* — (8) *Decis. 107. num. 7. par. 11. rec.* et coram Buratto *dec. 21. num. 2., et 3.* Card. de Luca *de iurep. disc. 64. num. 34., et in summa num. 129.*—(9) In Cap. *consuluit*, et cap. *illum de iurep.*, et cap. fin. *de conces. praeb.*—(10) Rota dec. 665. n. 12. par. 18. rec. tom. 2., et dec. 183. n. 2. par. 6. — (11) L. *ius singulare* 12. D. *de legibus.* — (12) L. *iura* 8. D. *eod.*

obtinent, *Ecclesiam* hucusque sustinuisse *contra regulas*, puta communes antiquorum canonum.

XXV. Eaque propter extendi ad alios casus, et conditiones exorbitantes fere non debet ius istud *singulare* patronatus, ubi deficiat auctoritas constituentium, summorum puta Pontificum et Principum, aut mos rite receptus. Quod enim contra rationem Iuris generalis receptum est, non est producendum ad consequentias (1), atque in his, quae contra rationem Iuris constitutae sunt, non possumus sequi regulam Iuris, docente Iuliano (2). Quod ergo canones, et leges expresse prohibent fundatoribus, piisque disponentibus, quodve ius positivum constituerit per caussam perpetuam, et immutabilem, fas non erit in limine fundationis etiam destruere, vel immutare cum adsensu Dioecesanorum, nisi auctoritas Romanae Sedis, et Legislatoris, quae vim solvendi leges, et canones, quemadmodum et condendi habet (3). Non aliter, quam *testandi caussa de pecunia sua legibus certis* (quae scilicet arbitrium illimitatum coarctant) *facultas est permissa; non autem iurisdictionis mutare formam, vel Iuri publico derogare cuiquam permissum est* (4).

XXVI. Ratio hinc fulget, cur nequeat fundator ordinariae potestati, ac iurisdictioni Episcoporum derogare, suamque Ecclesiam a dioecesana lege, seu episcopali iurisdictione segregare, et eximere: repugnat sane Iuri publico Ecclesiam intra dioecesim non subiacere dioecesano. Quod pluribus canonibus firmat Gratianus (5). Tametsi permittitur Ecclesiam immediate subiectam Metropolitano, vel Patriarchae, vel summo Pontifici fundare; sicque ab iurisdictione Ordinarii exemptam (6). Aut sub immediata Regis protectione, quod ut indubium in limine fundationis praesupponit lex Concordatorum novissimorum (7), et definitur ex Tridentino (8).

XXVII. Eademque ratione per fundatorem non potest institutio Episcopi submoveri, eatenus ut nominatio, et praesentatio beneficiarii vim obtineat institutionis sine ulla cognitione, et adprobatione Episcopi pro tempore (9), quum laicus omnino sit incapax iure instituendi (10). (XXVIII.) Et generatim institutio non potest, nisi Episcopo reservari (11), quemadmodum et ecclesiastica iurisdictio.

XXIX. Quod beneficiarius, expletis oneribus in fundatione praescriptis, de reliquis fructibus beneficii, aeque ac de patrimonialibus disponeret tam inter vivos, quam caussa mortis, saepe laudata S. Congregatio Concilii in dicta Pennensi beneficii super *condit. V.* consuit non

(1) L. *quod vero* 14. D. *de legibus*, et cap. *quae a iure* XXVII. de *reg. Iur.* in VI. — (2) In L. *in his* 15. D. eod.— (3) Lotter. *de re benefic.* Lib. I. q. 32. n. 19, et 33. Piton. in suppl. alleg. 100. n. 30.

(4) L. *testandi* 13. C. *de testamentis*. — (5) Caus. X. q. 1. *per totam*.

(6) Piton. de controv. patron. alleg. 24. n. 10., et discept. eccl. 22. n. 42., et 25. n. 11.

(7) Cap. V. art. 1. — (8) Sess. XXV. de refor. cap. 8.— (9) *Cap. praeterea 4. cap. cum laici 10. cap. consuluit 15. cap. transmissae 31. de iurep.* Rota *decis. 309. num. 1., et dec. 318. num. 2. par. 2. div.* — (10) Piton. *de controv. patr. 28. alleg. 100.* n. 34. — (11) Trid. sess. XIV. cap. 12. de ref.

esse admittendam, ut citatus Pitonius refert (1). Repugnat sane fructibus ecclesiasticis natura rei profanae, de quibus *in tract. de benefic. cap. XVII., et XVIII.*

XXX. Nec praesentationem Abbatis in Ecclesia Conventuali posse per Episcopos reservari fundatoribus, concludunt DD. *ex cap. nobis fuit XXV, de iurepatr.* Ubi Clemens III. non electioni faciendae in conventuali Ecclesia, sed iam factae honestius patroni postulari adsensum mandavit. Et Gregorius IX. ad Abbatem Cluniacensem rescripsit, ius eligendi in Collegiata Ecclesia minime pertinere ad laicum etiam patronum, ob idque Prioratum S. Pancratii ab ipso Abbate libere ordinandum fore, non obstante compositione, qua Praelatus cum Capitulo adiudicaverat ius eligendi Comiti de Varenna patrono illius Ecclesiae (2). Hinc a summo tantum Pontifice posse in Monasterii fundatione ius praesentandi Abbatis reservari, recte docuit Glossa communiter recepta (3). Secus, ubi reservetur ius praesentandi monachos, vel moniales, quod licite fieri auctoritate Ordinarii, scribunt Federicus de Senis, aliique (4).

XXXI. Aetas etiam quatuordecim annorum incoeptorum pro beneficiis simplicibus obtinendis praescripta per Tridentinum (5), nequit mutari, aut minorari per novos beneficiorum fundatores ad finem arctandi personas natu minores, quibus passivum iuspatronatus reservandum, ad primam clericalem Tonsuram: laudata enim lex Concordatorum (6) nonnisi pro beneficiis antiquissimis ante Concilium Tridentinum fundatis eosdem natu minores saltem septennes vigore patronatus passivi ad beneficia vacantia ius habentes, uti arctatos ad clericatum suscipiendum admittit; ceteros amandat, nisi aetatem legitimam, aliaque requisita ordinandorum praeferant.

XXXII. Turpes tandem conditiones honestati, et Hierarchiae decori adversantes, atque impossibiles tam de facto, quam de iure generatim fas nequaquam est fundatori demandare, nec Episcopo admittere: puta quod clericus quamtumvis indignus, vel criminosus in vacanti beneficio instituatur: quod in Ecclesia Parochiali praesentari, et institui possit sine ullo examine quivis praesbyter, etiam non idoneus exercendae curae animarum: quod onus alendi histriones beneficiarius ferat. *Quae enim facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et contra bonos mores fiunt, ea nos facere non posse credendum est* cum Papiniano (7). Quibus adnumerantur etiam conditiones derisoriae, ex Marciano (8). Praetereaque naturam, et substantiam beneficii ecclesiastici destruentes (9). Cuiusmodi sunt, quod laicae personae conferatur beneficium: quod bona in dotem Ecclesiae adsi-

(1) Dict. alleg. 54. n. 18. — (2) Cap. *sacrosancta 51. de elect.* — (3) In cit. cap. *nobis* ver. *nisi aliter.*

(4) *Cons. 65. num. 2.* Lambertin. *part. 1. lib. 2. q. art. 5.* Vivian. *lib. 5. cap. 7. num. 14.* Rota *coram Cavalerio dec. 445. num. 4.* — (5) Sess. XXIII. de ref. cap. 6. — (6) Cap. IV. art. 3. — (7) In L. *filius* 15. D. *de conditionibus instit.* — (8) In L. *Conditiones 14.* D. *eod. tit.* — (9) Lambert. Lib. I. par. 1. q. 9. art. 4.

gnata permaneant laicalia : quod nullum spirituale officium obire teneatur beneficiarius : quod nullam reddituum partem is sibi percipiat.

XXXIII. Conditiones istae, ceterae id genus adiectae in limine fundationis contra canones, praesertim tridentinos, et contra constitutiones ecclesiasticam tuentes disciplinam, irritae sunt, nulliusque momenti, adeout pro non appositis fere habeantur (1) : etiamsi easdem haud improbaverit, sed immo admiserit Episcopus. Quae enim *contra ius* fiunt, debent utique pro *infectis* haberi, iuxta regulam Bonifacii VIII (2). Ius porro publicum pactis privatorum, eorum scilicet omnium, qui nullam dispensandi, ac dorogandi legibus potestatem habent, tolli nequit (3), nec quidquam ex sollemni iure privatorum conventione immutandum est (4). Cur autem doctissimo Pitonio (5), visi sint Episcopi eamdem, ac Papa potestatem habere in reservando iustitiae patronatu, praeterquam indulgendi praesentationem Abbatis in Ecclesia conventuali, non video satis.

XXXIV. Ratio hinc patet, cur conditiones contra generalem Ecclesiae disciplinam a fundatoribus volitas queat Episcopus reiicere: et magis attendantur leges fundationis ab Episcopo erectionis decreto, seu adsensu praefinitae, quam voluntas fundatoris in testamento, seu instrumento explicita ex trito pragmaticorum axiomate : *propterea quod laicis etiam religiosis super Ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, in quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia, puta ab ecclesiastica potestate fuerit adprobatum* (6). Sane fundationis legem instituit fundator, firmat vero, ac perficit Ordinarius, tanquam privativus titulorum ecclesiasticorum erector, ex supra traditis *num.* 1., ne domum Dei pravis hominum subditorum placitis irreparabiles irrepant errores, ac turbae. *Multi enim simulantes fundare quasi orationis domos, suis medentur languoribus, non orthodoxarum Ecclesiarum aedificatores facti sed speluncarum illicitarum*, quod et detestatus et Iustinianus *Nov.* LXVII. *cap.* 1.

XXXV. Utrum vero conditiones istiusmodi exorbitantes, atque a Dioecesano amandatae vitientur ipsae tantum, an fundationem, piamque dispositionem simul corrumpant, dissolvantque, utillimum est nunc disquirere. Easdem solas vitiari ob piae caussae favorem, Ecclesiaeque utilitatem, plurimi Doctorum tenent post Barbosam (7), quum utile fere non debeat per inutile vitiari (8), et non solent, quae abundant, vitiare scripturas, ait Ulpianus (9). Alii aliter sentiunt ob vim legis initam voluntati praesertim supremae cuiusque de re sua disponentis, ex

(1) Can. 1., et seq. X. q. 1. Panimol. dec. 21. n. 26.— (2) In Cap. *quae contra ius 64. de reg. Iur.* in VI. — (3) L. Ius publicum 39. D. *de pactis*, et cap. *si diligenti 12. de foro comp.* — (4) L. 28. D. *de reg. iur.* — (5) Disc. eccl. 22. n. 25. — (6) Cap. *Ecclesia S. Mariae X. de constitutionibus.*

(7) *De potest. Episc.* alleg. 72. n. 187. — (8) Cap. utile XXXVII. *de reg. Iur.* in VI. — (9) In L. *non solent* 94. D. eod.

rescripto Constantini M. (1), et Divi Gregorii M. (2). Quos inter altercantes media sententia, qualitatem conditionum distinguens videtur amplectenda, duce Alexandro III (3). *Cum alicui Ecclesiae* (ait Alexander) *possessio quaelibet interposita conditione donatur, a donatore donum postea revocari non potest; nisi forte tali sit conditione collatum, quod ea cessante debeat revocari.* At quoniam, qualis reapse conditio revocationem actus causetur, nec ne, silentio praeteriit Alexander; necessum est eum Iureconsultis *modum a conditione* distinguere, seu dispositionem *modalem* a dispositione strictim *conditionali* (4). Disponere *sub modo* aliquis intelligitur, dum dotem, vel fundum Ecclesiae adsignet, donetve, *ut* patronatus sibi reservetur cum his, et illis praerogativis: quo casu ius eo ipso quaesitum super bonis dotatis Ecclesiae putatur ante patronatus admissionem. *Sub conditione* autem, ubi bona in beneficii fundationem, aut dotationem donaverit, *si* patronatus cum his, et his iuribus concedatur: quatenus nullum ius interim Ecclesiae quaeratur, nisi post impletam conditionem, seu post admissum, et quaesitum donanti patronatum: cuiusmodi effectum potissimum induci per clausulam *non aliter*, *nec alio modo*, quae enixam demonstret voluntatem disponentis, notat Panormitanus (5). Quum igitur particula *si* conditionem, particula *ut* modum regulariter indicet, parem non dicemus eum, qui fundationem fecerit, *si* talia patronatus iura reserventur; et eum, qui fundaverit, *ut* talia iura sibi quaerat: quemadmodum parem Scaevola non dixit eum, cui ita datum sit, *si monumentum fecerit*, et eum, cui datum est, *ut monumentum faciat* (6). Et quoniam verba conditionalia pro modalibus, et e converso passim usurpantur, et modus pro conditione (7), Doctores in re nostra scribentes *modum* solent *conditionem resolutivam* nuncupare, *conditionem* vero *suspensivam*. Haec suspensiva adeo impedit, et suspendit ortum iuris quaerendi in favorem Ecclesiae, ut conditione deficiente dispositio evanescat: sed resolutiva eatenus praesupponit ius Ecclesiae quaesitum, ut etiamsi conditionis implementum non extiterit, avelli, et revocari nequeat (8), ob favorem scilicet causae piae, et praesumptam pii disponentis voluntatem alibi animadversam.

XXXVI. Negotium nihilominus facessit actio rescissoria, quae iure competit ad resolvendam, retractandamque donationem, seu quamlibet dispositionem contra eum, per quem steterit, quominus modus, seu conditio modalis, ac resolutiva impleatur: namque modum, aeque ac conditionem, esse observandum, atque implendum sub poena rescissionis rescripsit Antoninus Imperator (9): minimeque impleto modo reso-

(1) In L. 1. C. de *sacros. Eccl.* — (2) In Can. *ultima voluntas* 4. XIII. q. 2. — (3) In Cap. *verum* 4. *de condit. appositis.* — (4) L. *demonstratio* 18. §. 4. D. de *conditionibus*; L. 1. *totoq. tit.* C. *de his, quae sub modo.* — (5) In Cap. *nobis* n. 6. *de iurep.*, et Duran. de *mod*, et *condit. impossib.* par. II. cap. 2. n. 110.

(6) L. *eas caussas* 80. D. *de condit., et demonst.* — (7) L. *Titio* 71. §. 1, L. *libertis* 108. D. *de conditionib.* L. 2. C. de his, *quae sub modo.* — (8) Barbosa *de potest. Episc.* alleg. 72. n. 187. Piton. *discept. eccl.* 25. n. 10., et *de controv. patron.* alleg. 31. n. 35. — (9) L. 1. C. *de his, quae sub modo.*

lutionem, rescissionemque actus antea validi postulari posse, non nullitatem dispositionis, tradidit Iavolenus (1).

XXXVII. Ut huiusmodi vitentur ambages, non debet Episcopus primum Ecclesiae construendae lapidem ponere, vel Capellae, aut beneficii fundationem, dotationemve permittere, nisi leges fundationis ante praefiniverit, et condixerit cum fundatore (2).

XXXVIII. Tametsi adsensus Ordinarii, et praecedere, et concomitari, et subsequi fundationem potest (3): ex intervallo etiam post fundatoris mortem absque novo heredis consensu: propterea quod heres piam defuncti voluntatem retractare nequit, sed eam perficere, atque implere compellitur (4).

XXXIX. Quoties enim conditiones nedum resolutivas, sed suspensivas etiam a fundatore volitas Episcopus reiecerit, vel refroenaverit, ipso fundatore haud reclamante, renunciatum vetitis conditionibus exinde videtur tacito saltem consensu eiusdem: qui enim tacet, consentire videtur (5). Eoque magis praevalebit voluntati fundatoris conditiones illicitas proponenti decretum erectionis, ac tenor adsensus Ordinarii, ubi limitationibus, ac moderationibus episcopalibus fundator expresse consenserit.

XL. Utroque enim casu fundatio formam ab erectione Dioecesani accipiens sortitur naturam contractus innominati ultro, citroque obligatorii, omnino inviolabilis, atque in perpetuum servandi (6): quum ex diversis animi motibus hinc fundator, hinc Episcopus in unum consentiant, in unamque sententiam decurrant. Siquidem *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur* (7). (XLI.) Nihilominus omnem simoniae labem ab istiusmodi contractu abesse, et conventione reservandi patronatus ob fundationem, dotationemque Ecclesiae, non est qui dubitet (8). Sane tam fundatio, et dotatio, quam ius patronatus est quid temporale, tametsi adnexum spirituali. Et hoc in remunerationem piae fidelium liberalitatis iure merito deberi, Patres Ecclesiae per tot saecula, et verbis, et factis tradiderunt.

XLII. Quod proinde serventur adamussim leges fundationis rite institutae, suadet aequitas naturalis. Quid tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt, servare? (9). *Isque natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti summus*, ait Paullus (10). Fas ergo non erit condictas, conventasque semel conditiones fundationis Episcopo, si fundator abnuat, et vicissim fundatori, si adversetur Episcopus, violare, aut perrumpere (11). Nam quod se-

(1) In L. *quibus diebus 40. §. fin.* D. *de condit.* — (2) Arg. cit. can. *nemo Ecclesiam* de cons. dist. 1. Nov. LXVII. cap. 1. Ventriglia in prax. par. 2. annot. 17. §. 1. — (3) Rota dec. 316. n. 14. par. 10. rec. — (4) L. 46. C. *de Episcop, et Cler.*

(5) Cap. *qui tacet 43. de reg. Iur.* in VI. — (6) Franc. Ansaldus Cons. 36. n. 34., et cons. 22. n. 74. Card. de Luca disc. 80. *de iurep.* n. 8.

(7) Cap. *contractus 85. de reg. Iur.* in VI. — (8) Piton. alleg. 54. n. 14: et supra. n. 21. — (9) L. *huius edicti* 1. D. *de pactis.* — (10) In L. *cum amplius* 84. D. *de reg. Iur.* — (11) Epist. Pelagii Papae in Can. *Eleutherius 30.* XVIII. q. 2. —

mel placuit, amplius displicere non potest (1). Ratio ob id postulat, inquam cum Patribus tridentinis (2). *Ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur*. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione eis non derogetur.

XLIII. Si propterea Ordinarius in decreto erectionis suum fundationi adsensum absolute, indistincteque praestiterit, seque generatim ad testamentum, vel instrumentum, aut libellum fundatoris retulerit, suam cum voluntate fundatoris conformasse praesumitur, cunctasque illius conditiones, licet exorbitantes adprobasse irrevocabiliter (3). Quin etiamsi Episcopus eo pacto adprobaverit generatim conditiones a fundatore volitas, cum clausula, *dummodo* sacris canonibus, et Summorum Pontificum decretis non adversentur, adhuc eas, quae iuri simpliciter adversentur, admissa censeri putat idem Pitonius (4).

XLIV. Verumtamen adsentiente Ordinario nec prohibetur fundator in favorem Ecclesiae, et iurisdietionis episcopalis tollere, et mutare, quae in limine fundationis rite disposuerit (5). Nihil sane tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est (6). Quodque in favorem Ecclesiae constitutum est, ad laesionem eius non debet dispositum videri, nec retorqueri in odium (7).

XLV. Antequam vero ad fundationem accesserit adsensus Ordinarii, potest voluntatem suam fundator fere immutare, et revocare ad sui libitum, dummodo ius quaesitum non sit alicui, puta Capellae, vel Ecclesiae super rebus inter vivos irrevocabiliter donatis, vel certae personae, aut familiae super patronatu reservato cum pacto non revocandi, nec numquam controveniendi (8). Nam *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum* (9).

XLVI. Cessante autem alterius praeiudicio, suis fere legibus, sive ante, sive post episcopalem adsensum fundator haud obstringitur, qui valet ob id praesentare clericum qualitates in fundatione praescriptas non habentem, aliaque onera, et requisita abrogare, et contemnere: aut patronatum hereditarium convertere in familiarem, aut gentilitium, vel ei superaddere patronatum passivum (10) (XLVII.) Eoque magis suam voluntatem in casibus ambiguis declarare tam verbis, quam factis. Nam talem praesumitur voluisse legem fundator, qualem is exercuit primus, atque ad actum deduxit (11), initiumque dat observantiae interpretativae, per quam fundatoris dubia voluntas declaratur (12).

(1) Cap. *quod semel 21. de reg. Iur.* in VI.

(2) Sess. XXV. de ref. cap. 5. — (3) Piton. de controv. patr. alleg. 75. n. 44. — (4) Alleg. 80. n. 5. — (5) Rota dec. 594. n. 3. par. V. rec. tom. 2: Lambertin. lib. 1. par. 1. qu. — (6) L. *nihil* 35. D. *de reg. iur.*

(7) L. *quod favore* 6. Cod. *de legibus*. — (8) Piton. *de controv. patron.* alleg. 40. n. 22. — (9) Cap. *mutare 33*. de reg. Iur. in VI. — (10) Rota in *Ariano bec*. dev. 122. par. II. rec., et coram Cavalerio dec. 365; Tondutus de *pensionibus* dec. 5. n. 3., et 4. Vivian. dec. 15. n. 22. — (11) Rota dec. 144. n. 14. part. 19. rec. — (12) Piton. *de contr. patr.* alleg. 68. n. 5.

Optima enim est legum interpres Consuetudo, ex regulâ Callistrati (1).

XLVIII. Patroni autem succedentes fundatori, sive iure hereditario, sive specialis vocationis, nullimode queunt voluntatem fundatoris, eiusque leges variare, tam ante, quam post Dioecesani adsensum: sed eam ut legem observare, ac custodire coguntur (2). (XLIX.) Quoties propterea lex fundationis aperte adversetur vel verbis, vel factis, patronorum, nec interpretatio, neque observantia eorum quantumvis longaeva locum poterit obtinere (3): *quod enim non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet*, inquam cum Celso (4).

L. Attamen si lex fundationis fortasse deperiverit, per observantiam diuturnam, eiusque enunciativas utique probatur (5). Profecto *ea, quae longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, non minus, quam ea, quae scripta sunt iura, servantur*, ait Hermogenianus (6). Quemadmodum in rebus dubiis obscuram fundationis legem observantia bene interpretatur, ex supradictis *num. XLVII.* Quin ex actu etiam nullo, suumque effectum non sortio etiam desumit observantiam interpretativam Rota (7) (LI.) Eodemque iure probatur adsensus Ordinarii *praesumptus* ex longi temporis observantia, et cursu: quemadmodum et *tacitus*, seu virtualis deductus ab institutionibus per Dioecesanum rite confectis beneficiariorum, quos fundator, heresve illius praesentassent (8).

LII. Munera, nisi fundator sponte constituerit, sibi Episcopus in decreto erectionis, et adsensus nequit reservare. Placuit sane Patribus in Concilio Bracarensi II, et Wormaciensi, *ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant: sed si ipse quidem ex suo voto obtulerit, non respuatur: si vero aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo* (9). Aliud esse munus istud a convivio, et expensis victualibus, seu procuratione, observat Glossa (10). Aliudque item a cathedratico, seu synodatico, quod super omnes Ecclesias, Capellas, et beneficia tam simplicia, quam de iurepatronatus ab omnibus beneficiariis fere persolvi Episcopo debere in honorem cathedrae episcopalis, nisi obstiterit privilegium exemptionis, aut immemorabilis observantia, tenent Ricc. (11), Pignatell. (12), et Monacell. (13).

LIII. Non Episcopo soli, sed Praelato etiam, qui episcopalem ha-

(1) In L. si *de interpretatione 37.* D. de *legibus.* — (2) Rota apud Piton. *de controv. patr.* post alleg. 52. n. 6. — (3) Piton. *alleg.* 17. n. 19. — (4) In L. *quod non ratione* 39. D. *de legib.* — (5) Rota dec. 349. n. 13. part. 17. rec. *coram Seraphino:* dec. 1141. n. 5., et apud Vivian. dec. 41. n. 12.— (6) In L. *sed et ea* 35. D. *de legibus.*

(7) In *Maioricen. iurisp.* 16. Maji. 1704. *§. fortius* coram *Muto*, et alibi: Piton. *de controv. patr.* alleg. 95. n. 8. — (8) Card. de Luca disc. 55. *iurep.* n. 10. — (9) Can. *placuit.* 1. caus. 1. q. 2. — (10) In eodem can. ver. *munus aliquod.* — (11) Par. III. dec. 22. — (12) Tom. I. consult. 285.

(13) Par. II. tit. 14. n. 4.

beat iurisdictionem in territorio separato, facultatem erigendi beneficia ecclesiastica, fundationis leges admittendi, et patronatus iura reservandi competere, communis est Doctorum sententia. Nam Clemens III. (1) patronatum iustitiae concessit cuilibet cum adsensu *Dioecesani* Ecclesiam construendi. Illudque *caput* nullatenus correxit Tridentina synodus appellatione *Dioecesani*, et Episcopum, et loci Ordinarium episcopali iurisdictione utentem cum territorio separato duntaxat intelligi, censuit Glossa (2), Fagnanus (3), Lotterius (4), et Rota (5).

LIV. Secus vero dicendum de aliis inferioribus Praelatis *Nullius* etiam Dioecesis sine territorio separato. (6) Qui nec beneficiis erigendis, nec patronatibus reservandis adsensum ordinarium accomodare potuerunt: nisi id iuris ex antiquissima, et antiquissima, et immemorabili possessione praescripserint, unde privilegium pontificium allogare valeant (7).

LV. Quare ad Cardinales quoque in Ecclesiis Urbis Romae titularibus eiusmodi auctoritatem erigendi, et adsentiendi novis fundationibus minime pertinere, sed utique ad Cardinalem Vicarium, tradit Pitonius (8).

LVI. Verum Sede vacante Vicarius Capitularis nedum erigendi beneficia, sed reservandi etiam patronatus facultate potitur (9). Nullibi enim adempta, vel limitata speciatim est haec potestas Capitulo Ecclesiae viduatae, quod in universam fere succedit iurisdictionem Episcopi tam voluntariam, quam contentiosam, quae a potestate ordinis non pendeat, in iis etiam quae speciatim Episcopis conceduntur, Praelatisque inferioribus denegantur, dummodo non fuerint speciatim excepta (10).

LVII. Vicarium pariter generalem Episcopi sine speciali mandato hac facultate destitui, tenent communiter DD. (11). Non enim continet generalis commissio officii voluntariam iurisdictionem pontificalem super beneficiis aut erigendis, aut conferendis, aut permutandis, aut uniendis (12). Reservatio autem patronatus, et adsensus Dioecesani super Ecclesiarum fundationibus tanquam accessorius ad fundationem sequi debet naturam principalis (13). Connectitur praeterea isti adsensui dispensatio Iuris communis, ubi adprobandae sint conditiones per fun-

(1) Cap. nobis XXV. *de iurep.*—(2) In Clem. I. *de for. comp.* ver. *Dioecesanis.* — (3) In. Cap. *cum olim* de *praescriptione* n. 19.— (4) Lib. I. *de re benefic.* q. 5. n. 46., et seq. — (5) Dec. 324. n. 1. par. 1. rec.

(6) Glossa in *Clemen. I. de for. comp. ver. Dioecesanis:* Rota Dec. 324. n. 1. par. 1. rec. — (7) Lotter. dic. lib. 1. quaest. 5. n. 48. — (8) Alleg. 41. *de controv. patr.* n. 8.— (9) Steph. Quaranta *in summ. bullar. ver. Capitulum Sede vacante*, Ventrigl. *in prax. par. 2. adnot.* 15. §. *1. num. 61.* Garz. *de benefic. par.* 5. *cap. 9. num. 79.*— (10) Cap. *si Episcopus III.* de *suppl. negl. Praelat.* et Cap. un. *ne Sede vacante aliquid innov. in VI.*

(11) Vivian. *lib. 1. cap. 2. num. 35.*, Pellegr. *in prax. Vicar. par. 1. sect. 2. subs. 2. num. 17., et seqq.* Ventrigl. *in prax. par. 2. annot.* 14. §. 1. *num. 14.* Barbosa *de pot. Episc. alleg. 54. num. 74.*—(12) Cap. cum *in generali III. de offic. Vicar.* in IV., et Cap. *quaesitum de rer. permut.*

(13) Cap. *Accessorium de reg. Iur.* in VI., Lotter. Lib. II. q. 7. n. 3.

datorem volitae contra regulas communes: quam haud obtinet Vicarius, et quilibet Praelatus Episcopo inferior, subordinatam, et limitatam, mutilamque iurisdictionem exercens in Dioecesi Episcopi (1). Cum speciali tamen mandato Vicarius Episcopi adsensum recte praestabit super erectione beneficii: et patronatus reservatione. Quin praesumitur speciale mandatum praecessisse, quoties existentiam beneficii, et usum patronatus agnoverit observantia (2).

LVIII. At vero Vicarius Apostolicus adsensum fundationibus Ecclesiarum, et reservationibus patronatus indulgere poterit, utpote cui maiores dantur facultates, quam Vicario Capitulari (3).

CAP. VII.

DE PRAESCRIPTIONE QUADRAGENARIA IMMEMORABILI ET CENTENARIA.

I. Patronatus etiam praescriptione adquiritur.

II. Non tricennali, sed quadragenaria saltem.

III. Quae bonam fidem, iustumque titulum, licet invalidum praeferat.

IV. Mala enim fides quovis tempore praescriptionem inficit.

V. Frequentia item actuum plusquam duorum debet ad praescribendum concurrere.

VI. Scientia quoque, et patientia interesse habentium, praesertim Episcopi, vel compatronorum.

VII. Quae praesumitur ex multiplicatis actibus possessoriis.

VIII. Dummodo Sede vacante non acciderint.

IX. Contra compatronum praesentare negligentem non datur praescriptio, nisi contradixerit is primum, et adquieverit praescribenti.

X. Nec contra successores sanguinis iure suo venientes ob negligentiam praedecessorum.

XI. Nec contra minores, aut mentecaptos ob negligentiam curatorum.

XII. Quadragenariam ab immemorabili, et centenaria distrinctam in quaerendo patronatu non improbavit Synodus Tridentina.

XIII. Immemorabilis spatio aetatis humanae ordinario concluditur, testibusque senibus de visu probatur.

XIV. Minor idcirco est immemorabilis, quam centenaria, quae annos 91. saltem possessionis requirit.

(1) Rota coram Coccino Dec. 346. n. 7. Lotter. lib. 1. q. 24. n. 100., et seq. — (2) Rota *in Maioricen. benefic.* 28. Novemb. 1704. §. *minime, et* 11. Maii 1705. §. *quod autem* coram Muto, Piton. *de contr. patr. alleg.* 95. *num.* 7. — (3) Nicolius in flosc. ver. *Vicarius* n. 21., et seq.

XV. Utraque tamen eamdem fere vim habet potentissimam, excluditque necessitatem probandi requisita praescriptionis.
XVI. Tribuitque possessori patronatus praesumptivum titulum fundationis, et quemlibet alium magis proficuum.
XVII. Atque in adversarium transfert onus probandi praetensa possessionis vitia.
XVIII. Si vero pateat vitiosa immemorabilis origo ex claris probationibus, sua virtute destituitur immemorabilis.
XIX. Nam veritati cedit praesumptio tituli.
XX. At praesumptivae tituli deficientis coniecturae immemorabilem non vincunt.
XXI. Duplicem effectum centenaria, et immemorabilis, nimirum praescriptionem, et tituli praesumptionem cassatur.
XXII. Ubi corruat praesumptio tituli ob manifestam illius vitium, locus erit praescriptioni immemorabili cum requisitorum probatione.
XXIII. Ad fundandam immemorabilem patronatus possessionem plures praesentationes effectum sortitae probari debent.
XXIV. Praetereaque memoriam ullius in contrarium non extare.
XXV. Communitates tamen, aliaeque personae potentes ad exactiorem probationem obstringuntur a Tridentino.
XXVI. Inter quas recensentur Magnates, et Barones.
XXVII. Quadragenaria immemorabili non aequiparatur.
XXVIII. Quod Tridentinum hac in re cavit, et Iuri communi, municipali consonat.

I. *Praescriptio* itidem Iure communi legitimum tribuit titulum adipiscendi patronatus. Nam Alexander III. praesentationem a patrono etiam putativo, qui patronatum quasi possidebat, ratam habuit (1). Et Innocentius III. probavit pariter institutionem presbyteri S. Salvatoris factam praevia populi electione, propterea quod sibi constiterat eundem populum in quasi possessione praesentandi ex *antiqua Consuetudine*, quae praescriptionem causatur, existere, quando presbyterum elegit.

II. Contra Ecclesiam, et quaelibet iura ecclesiastica *tricennalis* praescriptio quidem non admittitur: *quadragenaria* tamen quemlibet possessorem regulariter se posse tueri, Alexander III. rescripsit Archiepiscopo Salernitano (2). Et Anastasius Imperator iamdiu ante constituerat nullum ius privatum, vel *publicum* in quacumque causa, vel quacumque persona, quod quadraginta annorum extinctum esse iugi silentio, moveri amplius (3). Quoties igitur status beneficiorum, Eccle-

(1) In Cap. *consultationibus* XIX. *de iurep.* — (2) In Cap. *de quarta decimae* 4. *de praescript.* — (3) L. *omnes* 4. Cod. *de praescript.* 30., vel 40. ann.

siarumque firmatus sit decursu quadraginta annorum continuo, et pacifico, legitimaque ob id praescriptio fuerit completa immutari non debet, etiamsi ante praescriptionis initium, post eamque completam aliqua turbatio contigerit, iuxta Bonifacii VIII. decretalem (1).

III. Verum ut legitima inducatur praescriptio, suis omnibus qualitatibus, et canonicis requisitis praedita sit: ac potissimum bona fide, simul et iusto titulo, ad elidendam contrariam Iuris praesumptionem, quae stat pro libertate Ecclesiarum (2). *Ei* enim, *praescribit rem ecclesiasticam, si sibi non est contrarium Ius commune, vel contra eum praesumptio non habeatur, sufficit* bona fides: *ubi tamen est ei Ius commune contrarium, vel habetur praesumptio contra ipsum*, bona fides *non sufficit, sed est necessarium* titulus, *qui possessori caussam tribuat praescribendi:* nisi temporis allegetur praescriptio, cuius contrarii memoria non existat (3). Qui enim sine ullo titulo praesentationes beneficiariorum, aliosque patronatus actus exercent, Ecclesiam esse liberam, aut illius patronatum scire debent esse non suum, sed alienum (4). Quemadmodum nullo iusto titulo praecedente possidentes ratio Iuris quaerere dominium prohibet, et usucapionem induci (5). Titulus autem *iustus* esse debet, non tamen validus: puta successio ad hereditatem putativi fundatoris, vel eiusdem emptio, donatio putativi patroni cum Ordinarii adsensu, privilegium nulliter a Sede Apostolica impetratum, cetera id genus. Profecto si validum, verumque titulum habeat possessor, quo patronatum canonice quaesiverit semel, praescriptio quid opus erit, quidve proderit? Quod iam nostrum est, amplius nostrum fieri non potest (6): et nonnisi una ex causa dominium unius rei posse nobis contingere, tradit Paullus (7). Si ergo verus patronus quasi possidet patronatum, ut heres fundatoris legitimus, ut emptor hereditatis, praediive cum adnexo patronatu, ut donatarius veri patroni, putativus patronus eumdem praescribet, si per longissimum tempus bona fide possideat pro herede, pro emptore, pro donato. Quo pertinent *rubricae IV., et seqq. lib. XLI.* Digestorum *pro emptore, pro herede, vel possessore, pro donato, pro legato, pro dote, pro suo.* Huiusmodi titulos pragmatici *coloratos* appellant, sine quibus bona fide possideri nequit res aliena.

IV. Possessor autem malae fidei ullo tempore non praescribit (8). Et quamvis propter vitandam hominum segnitiem, et longi temporis errorem, et confusionem triccnnali, vel quadragenali praescriptioni vim legis vetera iura accomodassent. Alexander III. tamen specialim censuit nulla dierum antiqua possessione aliquem iuvari malae fidei possessorem (9). Et quoniam omne, quod non est ex fide, ex bona scilicet conscientia, peccatum est, Innocentius III. in Concilio generali cla-

(1) In Cap. *cum de beneficio* V. *de praeb., ac dignit.* in VI.—(2) Rota coram Io. Bapt. Coccino dec. 235. n. 2., et 3.—(3) Cap. I. *de praescript.* in VI.
(4) L. fin. C. *unde vi.* — (5) L. *nullo iusto* 25. C. *de rei vindicat.*, et L. 7. C. *de adquir. poss.* — (6) Inst. *de actionibus* §. sic *itaque* 14. — (7) In L. *possideri* 3. D. *de adq., vel amitt. poss.* — (8) Cap. *possessor* de reg. Iur. in VI. — (9) Cap. *vigilanti* V. *de praescript.*

rius definivit, *ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni, et consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari, utque praescribens in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienae* (1). Non sufficit ergo secundum canones hodie praescriptionem bona fide incoeptam esse, quam superveniente mala fide minime interrumpi definiverat Iustinianus (2), sed ob canonicam Iuris civilis correctionem ubique receptam a primo usque ad extremum quadragenariae monumentum bona fides continenter est necessaria in quasi possidendo iurepatronatus.

V. Ad quadragenariam praeterea praescriptionem legitime inducendam requiritur *actuum frequentia* continuatae, ac pacificae possessionis in decursu quadraginta annorum, *scientibus*, et *patientibus* iis, quorum interest, ne praescribatur (3). Et quia frequens dici nequit, quod semel, vel bis accidit, plures idcirco duobus actibus esse necessarios ad praescribendum, arguit Cuiacius (4). Quod enim semel, aut bis existit, praetereunt legislatores, ait Theophrastus a Paullo laudatus (5). Meritissimo hinc iure Innocentius III. quasi possessionem probavit clericorum, qui adfuerunt in electionibus trium Episcoporum Ecclesiae Sutrinae, irritamque pronunciavit novam electionem iis contradicentibus factam (6).

VI. Scientia insuper, et patientia interesse habentium, puta compatronorum in Ecclesia de iurepatronatus, et Episcopi in Ecclesia liberae collationis, ad praescribendum quoque debet concurrere. (VII). Quae sane ex multiplicatis praesentationibus, aliisque actibus possessoriis praesumitur (7). (VIII.) Episcopali tamen Sede vacante, quum Ecclesia suo legitimo careat defensore, non currit praescriptio patronatus contra Ecclesiam liberam, ob deficientem scientiam, et patientiam Praelati, cuius interest possessori praescribendi contradicere (8).

IX. In excludendo tamen compatrono a iure praesentandi satis non est quadragenaria praesentandi negligentia, cum pluribus praesentationibus ab alio patrono factis, quae suum consequutae sint effectum, nisi illius compatroni contradictio concurrit, seu praesentatio aliquando facta, et exclusa cum eius postmodum adquiescentia (9). Quum praesentandi actus sint facultativi, per solam omissionem, et negligentiam minime praescribuntur sine actu positivo contradictionis mutuae, et sine animo deturbandi compatronum, suoque iure destituendi: at amittitur

(1) Cap. *quoniam fin.* eod. tit.—(2) Instit. *de usucapionibus* §. *diuturna* 12. (3) Cap. *cum de beneficio V. de praeb.*, *et dignit.* in VI: Gonzalez ad reg. VII. Glos. 7. n. 26., et seq. Piton. *de controv. patr.* alleg. 80. n. 12. — (4) Lib. 20. observ. cap. 1. L. 5., et 6. D. *de Legibus* — (5) In d. L. 6., et L. *antiqui* 3. D. *si pars hereditatis petatur.* — (6) Cap. *cum Ecclesia* 3. de *caus. posses., et prop.*—(7) Rota dec. 533. n. 3. par. 1., et dec. 254. n. 3. par. 19. rec. Piton. *discept. eccl.* 61. n. 28. — (8) *Cap. de quarta decimae 4. de praescript. cap. 1., et ult. ne Sede vacante aliquid innov.*

(9) Rota *dec. 174. num. 10. part. 5. rec.*, et alibi apud Piton. *de controv. patr. alleg. 66. num. 30., et 31.*

patronatus per negligentiam longaevam, et patientiam adversario deturbandi praestitam. Quemadmodum viam publicam populus non utendo amittere non potest, ut respondit Iavolenus (1).

X. Eodemque iure in patronatu familiari, ac gentilitio non datur praescriptio ex patientia, et facto praedecessorum contra successores iure proprio venientes, quia his illi nequeunt inferre praeiudicium: totque requiruntur praescriptiones legitimae cum suis requisitis omnibus, quot erunt personae de familia, et gente vocata. Harum quippe ius tolli praescriptione cur poterit, antequam ortum sit (2).

XI. Quemadmodum nec etiam contra patronum aetate minorem, aut mente destitutum ex negligentia tutoris, aut curatoris incipere praescriptionem, animadvertit Cardinalis de Luca (3).

XII. Ex hactenus dictis liquet quonam iure, et quibus in casibus quadragenaria praescriptio suis legitimis requisitis praedita vim habeat dandi patronatum uni, alterique tollendi. Quadragenariam nunc praescriptionem distinguere oportet ab *immemorabili*, *et centenaria* possessione. Quod aperte innuunt Patres Tridentini (4), ubi consentanee ad praevios canones praeter fundationem, et dotationem admisere alium patronatus titulum *ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat* (en possessionem immemorabilem): *aliasve secundum Iuris dispositionem*: en praescriptionem immemorabili minorem, seu quadragenariam, circa quam nihil innovatum in eadem Synodo. Quae illegitimus patronatus adquisitiones per viam quoque unionis, et privilegii apostolici in eodem decreto quum improbasset non modo post ipsius Concilii publicationem futuras, sed etiam praecedentes a quadraginta annis citra consequenter praevias adquisitiones ob completam quadragenariam praescriptionem ratas habere indicavit a contrario sensu.

XIII. Immemorabilis inducitur tot spatio annorum, quot hominum vita fere perdurat: et inducta existimatur, quoties contra talem possessionem nullus hominum supersit, qui contrarium testificari valeat, ut tradit Glossa (5).

Quin Tridentinis Patribus sufficere visi sunt quinquaginta anni in laudato *cap. IX.*, ubi ad probandam Communitatum, personarumque potentium immemorabilem possessionem continuatas requirunt praesentationes *non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio*. Quod spatium a die, in quo antiquior, et prima praesentatio facta sit cum institutione inde sequuta usque ad litem super existentia patronatus contestatam, fore computandum observat Vivianus (6). Testes autem de immemorabili deponentes saltem in aetate quinquaginta quatuor annorum constitutos esse requirit Rota coram Ioanne Baptista Coccino. Ita-

(1) In L. *viam publicam* 2. D. *de via publica.*—(2) Card. de Luca *de iure patron. disc. 35.* Rota *decis. 220. num. 26. par. 11. rec.* Peregrin. *de fideicom art. 41. num. 16., et 17.* Piton. *alleg. 11. num. 23.* — (3) *Discurs. 63. de iurepatr. num. num. 14.* Rota apud Piton. *post alleg. 20. num. 28.* — (4) In Cap. IX. sess. 25. de ref. n. 96. — (5) Glos. in Cap. I. *de praescript.* in VI. — (6) Part. II. lib. II. cap. 5. n. 96.

que de visu, sensuque proprio testificari debent actus possessionis per integrum spatium quadraginta annorum (1). Cuiusmodi scientia de visu nequit in testibus incipere, nisi pubertatem si attigerint, seu ad quartumdecimum aetatis annum perveuerint (2).

XIV. Ad allegandam vero centenariam opus est ostendere praesentationes continuatas unum saltem supra nonaginta annos (3). Defectus enim temporis infra decennium modicus habetur, quum in iure longum tempus esse censeatur decennium (4). Intelligere hinc quisque valet *centenaria* immemorabili maiorem, potentiorisque virtutis haberi (5).

XV. Altera tamen alteri fere aequipollet, et utraque privilegio per Principem ex certa scientia concesso aequiparatur (6), seu vice Principis fungitur iura dando, aeque ac tollendo. Tribuitque possessori praesumptionem Iuris, seu probationem lege probatam, quod ad legitima praescriptionis requisita praesertim bonae fidei, iustique tituli (7). *Si enim tanti temporis allegetur praescriptio, cuius contrarii memoria non existat*, necesse non est requirere bonam fidem, nec titulum praescribendi, etiamsi Ius commune sit contrarium, et contra possidentem, alias detur praesumptio, secundum Bonifacii VIII. regulam (8). Quemadmodum nec scientiam, nec patientiam eorum, quorum interesset possessorem excludere, nec generatim requisita praescriptionis legitimae (9).

XVI. Sane immemorabilis, et centenaria sine ullo alio requisito praesumptivum fundationis titulum, et magis proficuum, melioremque de mundo praesefert in caussis patronatus (10). Adeout probatum iuspatronatus ex multiplicatis praesentationibus per tempus immemorabile censeatur habuisse originem ex fundatione, vel dotatione, ut S. Congregatio definivit (11). Quamobrem ubi summus Pontifex instituat aliquem in beneficio cum clausula, *dummodo constet esse de iurepatronatus ex fundatione, vel dotatione*, probare sufficit multiplicatas per tempus immemorabile praesentationes. Et quotiescumque possibilis quovis modo, licet difficillimus sit titulus aliquis, pro immemorabili possessione praesumitur de iure; si impossibilis omnino tam de iure, quam

(1) *Dec. 345. num. 2.* Antonius Aug. *in epist. de praescriptionibus num. 26.*, *et* passim DD. *in cit. cap. 1. de praescript. in VI.*—(2) Glos. in Cap. I. ver. *memoria.* — (3) Rota ibidem.

(4) *L. 1.*, et 2. C. *quae sit longa consuetudo, tit. Instit. de usucapion:* Trobatius *de eff. immem. qu. 3. num. 138.* — (5) Cravett. *de antiq. temporis par. 4. §. absolutis num.* 4. Thesaur. *quaest. forens. lib. 2. qu. 27. num. 3.* Card. de Luca *disc. 93. de iurisdict. num. 10.*, et 12. — (6) Cap. *super quibusdam XXVI. §. praeterea de verb. signif.* — (7) Berous cons. 115. n. 31. lib. 1. Menochius lib. III. *de praesumpt.* 131. n. 50. Cravett. loco cit. n. 60. — (8) In Cap. *Episcopum I. de praescript.* in VI.

(9) Trobat. *de effect. immem.* quaest. 11. n. 23. — (10) Card. de Luca *disc. 35. de iurepatr. num. 8.*, et Piton. *de controv. patr. alleg. 11. num. 22.*

(11) Relata apud Genuens. *in prax. Curiae Archiep. cap. 13. num. 4.* Cassadorus *dec. 7. de iurepatr.*, et Rebuffus *in praxi benef. in 3. par. Signaturae num. 71.*

de facto (1). Quapropter in iudiciis pronunciandum iugiter est pro immemorabili, et centenaria, non aliter, quam pro ostensa iusti tituli veritate, seu pro re notoria: *quasi sit pro teste vetustas* (2).

XVII. Possessor hinc istiusmodi nullam cogitur aliam adferre probationem, quam extremorum suae antiquissimae possessionis. Siquidem onus probandi praetensa possessionis vitia transfert, iniicitque in adversarium (3).

XVIII. Quoties tamen de vitiosa origine, tituloque infecto clare constiterit, immemorabilis, et centenaria corruit possessio (4). Qui propterea spatium immemorabilis incboavit a sententia invalida, et pluries reiecta, manutentionem haudquaquam obtinere valuit a Rota coram Buratto (5), et coram Cerro (6). Ob id providi caussarum patroni, ubi possessionem immemorabilem, aut centenariam pro se allegaverint, ac plene probaturos confiderent, solerter vitant exhibere tituli documenta, ne foveam suis ipsi manibus excavent, in quam incidant. Quandoquidem possessor titulum invalidum, atque insufficientem allegans, et confessione spontanea producens facto suo excludit praesumptivum titulum bonum, ac meliorem de mundo, quem immemorabilis, et centenaria inducit (7). (XIX.) Namque praesumptio quaelibet veritati cedere debet (8), sic enim divus Augustinus: *Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati... nemo consuetudinem rationi, et veritati praeponat: quia consuetudinem ratio, et veritas semper excludit.* Clare, inquam, et plene de vitio tituli debet liquere (XX.): nam praesumptionem tituli legitimam elidere non valent coniecturae, imperfectaque probatio (9). Istoque sensu intelligendi sunt scribentes in centenaria inesse praesumptionem iuris, et de iure, quae scilicet non admittit probationem in contrarium (10). Aliter quis tot gravissimos Auctores, et Rotae quoque Romanae Senatores modo laudatos, ceterosque innumeros iure non redarguet, quod sibimetipsis tam aperte contradicant, modo sententes probationem vitiosi tituli ad immemorabilem destruendam admitti; modoque affirmantes nullum dari locum probationi contra immemorabilem, dum ei attribuunt praesumptionem iuris, et de iure nulla contraria probatione elidibilem?

XXI. Duplex tamen effectus immemorabilis, ac centenariae animadvertendus est: legitima scilicet *praescriptio*, et *praesumptio* tituli de mundo melioris (11). Quorum alter fere alteri adversatur. Praescriptio quippe titulum coloratum, ideoque invalidum exigit ex necessitate: si

(1) Piton. alleg. 59. *de controv. patr.* n. 50., et 51.— (2) Rota dec. 154. n. 11. par. XIX. rec. tom. 2. — (3) Rota dec. 709. n. 12. par. 4. rec.
(4) Arg. *cap. fin. de praescript., et cap. ult. de consuetudine*: Trobat., *ibid. qu. 15. art. 4.*, et Covarr. *in reg. possessor. 2. §. 8. num. 1.*
(5) Dec. 472. n. ult. — (6) Dec. 152. n. 28., et 29. — (7) Rot. *dec. 18. par. 6. rec.* Piton. *discept. eccl. 112. num. 11.*, et 12 — (8) Can. *veritate 5.* dist. 8. — (9) Rot. *dec. 29. num. 52. par. 7. rec.* Piton. *alleg. 58. de controv. patron. num. 34.*— (10) Rota *decis. 29. num. 52., et 53. par. 7. rec.* Piton. *alleg. 59. num. 46.*—(11) Card. de Luca *de udic. disc. 21. num. 52:* Piton. *de controv. patr. alleg. 58. num. 15.*

enim validum possessor titulum ostenderit, opus quid habebit praescriptione (1), ex quodam voto Cardinalis Iustiniani in S. Congr. Concilii edito. At manifestatio tituli colorati, et invalidi corrumpit immemorabilis, et centenariae virtutem, excludendo tituli boni, et validi praesumptionem, ex rationibus modo iam expositis.

XXII. Igitur, inquies, quadragenaria possessio utilior, et validior ad praescribendum erit, quam immemorabilis, et centenaria? Haudquaquam. Habens enim pro se immemorabilem, aut centenariam possessionem, ubi detecta vitiosa origine, tituloque nullitate prohibeatur ab allegando amplius praesumptivo titulo proficuo, poterit sane ius *praescriptione* quaesitum postulare, et consequi, si concludenter probaverit in iudicio requisita omnia legitimae praescriptionis, non aliter quam possessor quadragenarius. Quod ergo ad onus probandi extrema in iudicio praescriptionis, par est conditio utriusque possessionis, quadragenariae, et immemorabilis. At vero iisdem extremis rite, ac plene probatis vim immemorabilis potiorem esse, ac validiorem, quam quadragenariae, nemo est, qui non videat.

XXIII. Quoties autem velit *praesumptio* tituli perboni erui ex centenaria, et immemorabili possessione, et nulla timeatur manifestatio tituli vitiosi, omitti sine praeiudicio poterit probatio requisitorum legitimae praescriptionis. Isto casu nihilominus haec duo extrema omnino probare debebit in patronatus caussa allegans immemorabilem ex saepe laudata constitutione Tridentini (2). Alterum scripturis, aeque ac testibus: quod scilicet plures praesentationes, saltem tres continuatae suum sortitae sint effectum: quum enim sine possessione praescriptio non procedat (3), et Tridentinum multiplicatas praesentationes in possessione immemorabili requirat, tres utique sufficient (4). Alterum testibus solis (XXIV): quod nimirum contra talem possessionem non extet alicuius hominis memoria in contrarium (5). Idque scripturis probari non posse palam est. Quare caussarum actores probe admonet Genuensis (6), ut praeter scripturas quasi possessionem praesentandi affirmativam praeseferentes, producant etiam testes super immemorabili negativa deposituros. Quod tamen ad centenariam, secundum istud immemorabilis requisitum, seu extremum probare non oportet; sed solummodo pacificam possessionem, et observantiam ex reiteratis frequenter actibus, ac praesentationibus potissimum in decursu centum prope annorum. Quoties autem in facto defecerit requisita probatio extremorum, neque immemorabilis, nec centenaria vim suam obtinebit (7).

XXV. *In iis vero personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior, et exactior probatio ad docendum verum*

(1) Piton. *discept. Ecclesiae 112.* n. 10.

(2) Cap. IX. sess. 25. — (3) Cap. III. *sine de reg. Iur.* in VI. — (4) Cap. *cum Ecclesia Sutrina* III. de *caus. posses. et propr.* — (5) Gl. *in cap. 1. de praescript.* in VI. Rot. coram Coccino *decis. 466. num. 2.* — (6) In prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 100. n. 9. — (7) Piton. *discept. eccl. 66.* n. 62.

titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae, non minori saltem, quam quinquaginta ab annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint authenticis scripturis probentur, subdit Tridentiuum (1).

XXVI. Et Sacra Congregatio eiusdem Concilii interpres Universitatibus, et Communitatibus insuper accensuit personas potentes de familiis Ursinorum, Sabelliorum, similiumque, in quibus praesumitur etiam patronatus usurpatio (2). Itemque Barones, aliosque perpetuam habentes iurisdictionem temporalem eo in loco, ubi patronatus extat (3). Probatio autem immemorabilis hoc in casu, quemadmodum praescripsit Tridentinum, pro forma requiritur, eamque non posse per aequipollens adimpleri, definivit Rota (4).

XXVII. Explorata nunc habentur discrimina inter praescriptionem quadragenariam, et immemorabilem, ac centenariam. Quadragenaria quidem dare patronatum uni, et auferre alteri potest, quemadmodum, et immemorabilis: ut superius expositum est *num.* 1. At vero immemorabili generatim per modum regulae haud recte aequiparatur, ob plures differentias amodo iam animadversas *num. XII, et seqq.* Virtus enim alterius non est aequalis omnimodo. Et quamvis *in cap. 1. de praescript. in* VI. alternative definiatur contra Ecclesiam militare *vel* praescriptionem cum titulo, *vel* tempus immemorabile: atque in saepedicto *cap.* Tridentinae Synodi probetur in patronatu possessio immemorabilis, et per alternativam *alia* (scilicet quadragenaria) *secundum iuris dispositionem*, ut supra expensum est *num. V.* non inde infertur immemorabilem cum quadragenaria in omnibus aequari (5).

XXVIII. Placita Patrum Tridentinorum non modo quod ad praescriptiones patronatuum, verum etiam quod ad titulos fundationis, ac dotationis, ab antiquioribus legibus, et canonibus, huiusque Regni etiam moribus minime dissonare facile dignoscuntur ex usque modo traditis. Porro S. Regium Consilium S. Clarae iunctis quatuor Aulis die 23. Decembris 1738, annuente Rege, declaravit praescriptioni, qua actiones extinguuntur, in quocunque Regni foro locum esse oportere, modo conditionibus ab iure civili, pontificio, ac lege municipali praestitutis plene sit confirmata. Et caussae patronatuum, quas nonnisi ecclesiastico iudicio definiendas Ius commune statuit (6), continenter in episcopalibus Regni cognitae sunt, ac diiudicatae: exceptis dumtaxat patronatibus regiis, et feudalibus, quod ad declarandum tantum, an feudo adnexum esset, nec ne iuspatronatus; et ubi agatur de universitate bonorum. Idque placuit etiam ambabus supremis Potestatibus (7). Cuiusmodi peculiaribus moribus Concilium nullatenus adversatur. Cur autem Regii olim Magistratus istud Tridentini decretum aegre tulerint,

(1) In eod. cap. IX.—(2) Puteus dec. 57. lib. 1., et Paris q. 28. — (3) Genuen. In cit. prax. cap. 63. n. 6. — (4) Dec. 25. coram cit. Coccino. n. 2. — (5) Piton. *discept. eccl. 112. num. 19.* Trobat. *de effect. immemor. qu. 14. num. 17.*, et Rota coram Coccino *dec. 914.* — (6) In Cap. *quanto* III. *de iudiciis.* — (7) In Cap. VI. Concord. art. 4.

occasionemque dederint Pontificiis Legatis anno 1570. apud Catholicam Philippi II. Maiestatem conquerendi idem cap. IX. sess. 25. inter alia minime servari hoc in Regno, ut refert B. Chioccarellus tom. XVII. Archiv. tit. 1., satis non video. Quae enim Concilium sancivit ad reformandos illegitimos patronatuum abusus, Iuri communi, et rationi conformia esse videntur, praetereaque hodiernae huiusce quoque Regni disciplinae iamdiu receptae, atque inolitae. Quod ex hactenus dictis eruitur, et magis ex infra dicendis elucescet. Sed forlasse illis displicuit sublata Universitatibus, personisque potentioribus praescriptio quadragenaria, ad quinquaginta annos protracta: iure, an iniuria, doctiores diiudicent. Quotiescumque in facto ex personarum, et locorum circumstantiis urgeat contra possessorem praesumptio usurpati patronatus, nonne bona fides inficitur ad quadragenariam necessaria? Et ubi haec usurpationis praesumptio absit, nonne quadragenaria Patribus Tridentinis probatur? Quaestio itaque facti potius, quam iuris est, utra ex praescriptionibus debeat personis potentioribus, ac suspectis per iudicem ecclesiasticum secundum recentes canones accomodari.

CAP. VIII.

DE PRIVILEGIO.

I. Privilegium praesumptum includit praescriptio immemorabilis.
II. Expresso tamen privilegio excluditur praescriptio.
III. Quod Summus Pontifex tantum concedit.
IV. Non autem Episcopus.
V. Privilegium sane pontificium derogat Iuri communi, et ius singulare inducit favore privilegiarii.
VI. Aliud tamen gratuitum, et simplex, aliud onerosum, et mixtum datur privilegium.
VII. Onerosum, et mixtum potest Episcopus concedere.
VIII. Patronatus privilegiario concessus ex caussa onerosa sortitur naturam patronatus iustitiae: ubi caussa onerosa praepolleat.
IX. Secus, si praevaleat caussa gratuita, et lucrativa.
X. Nominandi ius, Regibus, et Collegiis, et Universitatibus datum oritur ex privilegio gratioso.
XI. Propter merita datum privilegium transit in contractus naturam.
XII. Quo casu minime revocatur.
XIII. At privilegia omnino gratuita meritissime revocarunt Innocentius VIII.
XIV. Et Hadrianus VI.
XV. Et Tridentina Synodus.
XVI. Salvis tamen patronatibus Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, et Monasteriorum, et Regum.

XVII. Revocationes istae respiciunt praeterita, non futura patronatus privilegia.
XVIII. Unionem beneficiorum liberae collationis ad beneficia de iurepatronatus, tamquam subreptitiam Tridentinum irritavit.
XIX. Itemque privilegia praesentandi beneficiarios coram aliis, quam coram Loci Ordinario: nisi Regibus indulta sint.
XX. Et institutiones beneficiorum curatorum, quae fiant contra formam a Concilio statutam.
XXI. Odiosa sunt, et stricte intelligenda patronatus privilegia,
XXII. Quae vel personalia, vel realia, mixta sunt.
XXIII. Personalia cum personis in privilegio comprehensis extinguntur.
XXIV. Realia perpetuo durant.
XXV. Pariterque mixta.
XXVI. In dubio praesumuntur realia.
XXVII. Ea interpretanda sunt iuxta mentem concedentis.
XXVIII. Exhiberi debent ab allegante.
XXIX. Et requirunt scripturam, seu litterarum expeditionem.
XXX. Caussa restauratae Ecclesiae, vel adauctae dotis in privilegio exposita fere debet verificari.
XXXI. Natura patronatus gratiosi non variatur clausis privilegii ampliativis.
XXXII. Si Pontifex declaraverit sibi constare de restauratione, vel augmento dotis, non requiritur expositae causae verificatio.
XXXIII. Ex bonis ecclesiasticis Praelato indultario Ecclesiam fundante patronatus non ex gratia, sed ex iustitia concessus dicitur.
XXXIV. Quemadmodum si commutata defuncti voluntate legatum pium convertatur in fundationem beneficii.
XXXV. Regulis Cancellariae afficitur patronatus ex privilegio.
XXXVI. Et revocationibus, ac derogationibus pontificiis.

I. Privilegii vim inesse praescriptioni immemorabili, in superiori *cap.* dictum est. *num.* XV, et nemo est, qui valeat inficiari (1). Innocentius enim III. declaravit non esse cuiquam interdicta, sed competere iura per expressam Summi Pontificis, aut privilegiariam Principis largitionem, aeque ac per immemorabilem praescriptionem quaesita. At vero fictum, et praesumptum, non autem expressum privilegium induci istiusmodi praescriptio, namque privilegio expressum, et praescriptio inter sese contraria sunt, atque insimul in uno esse non possunt: a-

(1) Cap. *super quibusdam 26. §. praeterea de verb. signif.*

deont ingressus unius alterius operetur egressum (1). Quod enim semel meum est, ex alia caussa meum amplius fieri non potest (2). Praeterquam quod satius erit praescriptione immemorabili patronatum ex fundatione, vel dotatione derivatum praesumere, quam ex privilegio, ob plures effectus ex eo diversimode promanantes. Et Pitonius censuit allegari posse praesumptum novae dotationis privilegium vigore immemorabilis possessionis etiam post Concilium Tridentinum (3).

II. Expositis itaque titulis *iustitiae* in adquirendo patronatu e iure communi profluentibus, dicere par est de gratioso *privilegii* Apostolici titulo. Apostolici inquam: (III.) etenim primae tantummodo Sedi Romani Pontificis contra generalia decreta fas est specialia privilegia indulgere, et speciali beneficio concedere, quod generali canone prohibetur (4). Siquidem canones dum iure positivo in Conciliis etiam Oecumenicis aliquid observandum praecipiunt, sub ea semper conditione vel tacita, vel expressa eduntur, *nisi auctoritas Romanae Ecclesiae aliter imperaverit*, prout Gratianus animadvertit (5). Cuiusmodi conditionem saepenumero suis de reformatione decretis Patres Tridentini apertissime addiderunt. Si cui itaque Pontifex Maximus indulserit patronatum super aliqua Ecclesia, beneficiove, tametsi Ecclesiam, vel Capellam, minime fundaverit, nec dotaverit, nec aedificaverit; is patronus dicitur ex *privilegio*, et mera gratia, seu ex titulo gratioso.

IV. Episcopi vero quantalibet dignitate praediti nullimode possunt patronatum ex privilegio gratiosum concedere (6). Ubi Gregorius X. *in Concil. Lugdunensi* vetuit universis, et singulis Praelatis Ecclesias sibi commissas, seu iura ipsarum laicis submittere, vel ipsos statuere patronos, vel advocatos earum perpetuo, aut ad tempus non modicum sine Apostolicae Sedis licentia speciali, et absque Capituli sui consensu. Et Tridentina Synodus neminem cuiusvis dignitatis ecclesiasticae, vel saecularis quacumque ratione posse patronatum impetrare, nisi proevio fundationis, dotationis, constructionis titulo, sanxit (7).

V. *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatae leges*, ex Divi Isidori definitione (8). Et quoniam docente Tullio (9): *maiores nostri in privatos homines leges ferri noluerunt: id enim est privilegium:* sic porro cautum erat legibus XII. Tabularum: *privilegia ne irroganto:* ut iura non in singulas personas, sed generaliter constituerentur (10). Paullus iureconsultus rectissime privilegium esse describit *ius singulare, quod contra tenorem rationis generalis auctoritate constituentium introductum est* (11). Quidquid ergo Pontifex maximus con-

(1) Glos. in Cap. *veniens* ver. *renunciasse de praescript.* M. Ant. Cucch lib. 1. Instit. maior tit. VI. *de privileg. num. 137.* — (2) L. *non ut ex pluribus 150.* D. de reg. Iur., et L. *possideri* 3. §. *de adquir. vel omitt. posses.* — (3) *Alleg. V.* n. 7. in fin.

(4) Can. *frater noster* 52. XVI. q. 1., et cap. *sane de privilegiis.*

(5) In fin. quaest. 1. caus. XXV. §. *quamquam.* — (6) *Cap. hoc consultissimo 2. de reb. eccles. non alien. in VI.* — (7) *Cit. sess. 14. cap. 12., de ref.* Vivian. *lib. 2. cap. 5. num. 22.* — (8) In Can. III. dist. 3.

(9) Lib. III. *de Legibus* — (10) L. VIII. D. *de legibus.*

(11) L. *ius singulare* 16. D. *de legibus.*

tra Ius commune indulget, dicitur ex privilegio, et mera gratia concedere (1). Hine intelligitur usus *clausulae derogatoriae* in litteris pontificiis, per quam Pontifex largiendo alicui patronatum ex privilegio, expresse derogat sacris canonibus, et decretis praesertim Tridentinis, et aliis quibuscumque in contrarium.

Quod autem in privatum alicuius favorem, et commodum indulgetur contra Iuris generalis regulam, non est de casu ad casum, neque de persona ad personam extendendum (2). *Nec enim volumus, ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio* lex publica, et communis, inquit Apostolus (3). Et Alexauder III. sic voluit quosque *privilegiorum suorum servare tenorem, quod eorum metas transgredi minime videantur* (4). Alibique rescripsit *temerarium* esse, *et indignum aliquem sibi sua auctoritate praesumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singularibus voluit beneficiis indulgere* (5). Nam usque adeo privata suut privilegia, ut communia omnibus esse nequeant (6). Quo enim pacto Episcopis, qui commune ius decretalium, et Conciliorum generalium, praesertim Tridentini dispensatione mutare nequeunt, licebit patronos Ecclesiarum, vel Capellarum sine oneroso titulo fundationis, dotationis, aedificationis efficere.

VI. Quod intelligendum est de privilegio *simplici*, et *gratuito* sine mixtura canssae onerosae. Secus autem de privilegio *mixto*, praeferente causam ouerosam permagni dotis augmenti, vel reaedificationis. Ut enim in superiori *cap. V. num.* XXXVII., *et seqq.* ostensum est, (VII.) in huiuscemodi privilegio mixto quum titulus iustitiae onerosus praevaleat, Episcopus istud indulgere posse videtur tam dotem antiquam augentibus, quam reaedificatoribus, et fundum ad reaedificationem praestantibus.

VIII. Quapropter in privilegio causam onerosam a gratuita, et lucrativa oportet dispicere; et utra in eo praepolleat. Quandoquidemsi dotis augmentum antiquam dotem exuperet, vel saltem adaequet; aut restauratio Ecclesiam penitus dirutam excitaverit: indultus exinde patronatus ad titulum iustitiae onerosum potius, quam gratiosum privilegii refertur: ideoque naturam, et prerogativas patronatus ex iustitia competentis sortitur.

IX. Et contrario, si antiquam non aequaverit nova dos, neque integram e fundamentis Ecclesiam reaedificaverit, sed ex parte instauraverit, qui patronatus privilegium adeptus sit, istud ex mera gratia obtinuisse existimatur, ideoque peculiaribus patronatus gratiosi qualitatibus mox edisserendis afficitur (7).

X. Ex privilegio hinc pontificio, eoquo gratioso promanasse intelligitur ius Episcopus nominandi, quod ab aevo Caroli V. usque modo Serenissimi huius Regni Reges obtinuere super vigintiquatuor Cathe-

(1) Rota *dec. 221. num. 12. par. 16. rec.* gl. *in l. causas ver. oportet C. de transact.* — (2) Lambertinus Lib. I. par. 2. cap. 2. art. 6. n. 4.

(3) Epist. II. *ad Cor. 8.*—(4) Cap. *porro* VII. *de privilegiis* —(5) Cap. *sane* IX. eod. tit. — (6) Cap. *hinc est.* XVI. quist. 7. — (7) Card. de Luca *in summ. iurispatr. num. 20.*, et Piton. *alleg. 47. de contr. patr. num. 36.*

drales Ecclesias (*). Similiter ius nominandi compelens Regi Francorum, aliisque supremis Principibus, et nominatio scholastica graduatorum indulta Universitatibus, seu Academiis Galliae celebrioribus (1). De hoc tamen iure uberius infra *in cap. de nominatione*, *et praesentatione*. Quibus privilegiis aperta inesse videtur aequitatis ratio, et caussa publicae utilitatis, vel Religionis, vel necessitatis, vel exhibiti obsequii. Nam sine aliqua istiusmodi caussarum Romana Ecclesia non solet patronatus privilegia relaxare; utpote quae mater iustitiae est, nil ab ea dissentire inveniatur (2).

XI. Privilegium tamen in vim contractus fere est irrevocabile (3). Privilegium vero propter merita concessum sortitur naturam contractus (4). Ubi Clemens V. nullum voluit praeiudicium generari privilegiis per Bonifacium VIII. largitis Regi, et Regnicolis Franciae ob praeclara utrorumque merita (5). Cuiusmodi esse videntur patronatus privilegia Principibus data super Ecclesiis de manu hostium liberatis, de quibus nonnulla dicta sunt supra *cap. V. num. 48.* Quod enim ab initio voluntarium est, postea fit necessarium (6).

XII. Haud revocantur idcirco privilegia, quae semel fuerint rationabiliter, et sine vitio subreptionis, aut obreptionis indulta: porro *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* (7). (XIII.) Se-

(*) Novissima Conventione an. 1818. art. XXVI. Summus Pontifex Pius VII. Ferdinando I. utriusque Siciliae Regi, Eiusque Successoribus in perpetuum ius indulsit Episcopos nominandi ad omnes Regni Cathedrales. Quapropter ex vigenti disciplina Pientissimus Rex Noster Ferdinandus II. Pastorum nominationem Apostolicae Sedi exhibet, et conficiuntur necessarii processus, ut ii modis, et formis consuetis canonicam habeant institutionem. Quod sane Indultum Litteris Apostolicis eiusdem Pontificis sub die IX. Martii d. an. 1818. aperte confirmatur.

Illud vero heic animadvertendum praestat, quod provvisio concistorialis, uti sanxit Benedictus XIV. (in Cost. *cum a nobis 36.* §. *ac primo* tom. 2. Bullar.) habet vim *electionis*, *et confirmationis*. Id quoque tradit Fagnanus (in Cap. *nihil* de elect. n. 77.). Summus vero Pontifex collectis Cardinalium suffragiis electum Episcopum hisce verbis confirmat — *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri, et Pauli ac nostra Ecclesiam N. de persona M. providemus, ipsumque illi in Episcopum, et Pastorem praeficimus, curam, et administrationem ipsius eidem in spiritualibus, et temporalibus committendo.*

Denique art. XXIX. eiusdem Conventionis constituitur, ut Episcopi fidelitatis iuramentum coram Maiestate Regia hac formula emittant. « Ego iuro, et » promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam, et fidelitatem Regiae Ma» iestati: item promitto me nullam communicationem habiturum, nullique con» silio interfuturum, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque ex» tra conservaturum, quae tranquillitati publicae nocet: et si tam in Dioe» cesi mea, quam alibi noverim aliquid in Status damnum tractari, Maiestati » Suae manifestabo ».

(1) Ioan. Dartis *in tract. de benefic. sect. 7. cap. 4.* Cl. Fleury *instit. can. par. 2. cap. 16. num. 1.* — (2) Gratian. loc. cit. in superiori num. III. — (3) Afflict. dec. 128. n. 10. — (4) Extravag. comm. in cap. *monuit.* II. *de privilegiis.* — (5) Petr. de Marca *lib. 3. de concord. sacerd., et imper. cap. 10. num. 2.* — (6) L. *si quis argentum 35.* §. fin. C. de *donationibus.* — (7) Cap. *decet.* XVI. de reg. Iur. in VI.

cus, ubi sine caussa, vel abusive prodiverint. Innocentius VIII. X. Kal. Septembr. 1485. revocavit concessiones patronatuum a vigintiquinque annis citra, super electiva beneficia expeditas: propterea quod *iuxta canonicas sanctiones* (ait) *iuspatronatus praesentandi ad regimina monasteriorum, prioratus, praeposituras, et alias conventuales; necnon in cathedralibus, metropolitanis, et collegiatis Ecclesiis huiusmodi dignitates (ad quas personae idoneae per conventus, et capitula illarum, seu, illorum, dum pro tempore vacant, eligi consueverunt) in laicum nullo modo cadere potest, nisi ex speciali Sedis praedictae privilegio, quod nonnisi ex maximis, et urgentibus caussis alicui per Sedem eamdem concedi consuevit; quodque etiam conveniens non videtur, quod iuspatronatus ad beneficia ecclesiastica pro nulla, seu levi, et facili caussa adquiratur, et praesertim cum iuris alieni praeiudicio* (1). Quod vero ad reliqua non electiva beneficia, irritavit etiam idem Innocentius (ut superius teligi *cap. V. num. XXXVI.*) indulta patronatuum iis largita, qui dotem eorumdem beneficiorum usque ad medietatem non auxissent, vel Ecclesias funditus collapsas non reaedificassent, vel fundos ad novam reaedificationem non dedissent.

XIV. Tum Hadrianus VI. *in const. sanctissimus,* seu regula Cancellariae publicata die 9. Decembris 1522., omnes, et singulas reservationes iurispatronatus, ac facultates, et indulta praesentandi, seu nominandi personas ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Praeposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, saecularia, et regularia per Sedem Apostolicam ab anno 1. pontificatus eiusdem Innocentii praedecessoris citra, quibusvis Regibus, Regnis, Ducibus, et Marchionibus, aliis Principibus, et personis, necnon Communitatibus, Universitatibus, Confraternitatibus, et Collegiis saecularium personarum cuiuscumque dignitatis quibusvis caussis, praeterquam ratione ereptionis locorum, in quibus Ecclesiae Monasteria, et beneficia praedicta consistunt ex infidelium manibus, et potestate facta, et concessa, revocavit.

Quo vero ad illa beneficia, hospitalia, et pia loca huiusmodi, si illi, quibus reformationes, et concessiones, ac facultates, et indulta huiusmodi facta, et concessa fuerunt, illorum occasione fructus proxime dictorum beneficiorum, hospitalium, et piorum locorum ad medietatem unius anni valoris fructuum eorumdem secundum communem aestimationem de propriis eorum bonis non auxerunt, vel eorum Ecclesias, aut hospitalia, et pia loca huiusmodi de novo fundamentaliter non aedificarunt, seu funditus non reaedificarunt, seu fundos, in quibus aedificia in praesentiarum subsecuta non concesserunt, ac quorum augmentis aedificationis, reaedificationis, et concessionis respective probationem eos, qui tali iurepatronatus, seu praesentandi, et nominandi uti voluerint, eadem sua Sanctitas teneri decrevit, etiamsi conditiones, ad quas alias, quam modis praedicti teuebantur, executioni demandatae

(1) In Const. V. cum *ab Apostolica Sede* §. 2.

fuissent. Et beneficia huiusmodi ad eorum primaevam naturam, praemissis non obstantibus, reduxit. Possessionem non modo praeteritam, sed etiam futuram fuisse sublatam constitutione ista Hadriani, observat Cherubinus (1).

XV. Tandem Tridentina Synodus privilegia patronatus mere gratuita ante ipsius Synodi promulgationem concessa laicis, aliisque singularibus personis abrogavit (2): *Reliqui patronatus* (inquit) *omnes in beneficiis tam saecularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata Ecclesia, seu facultates, et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocumque iure nominandi, eligendi, praesentandi ad ea, cum vacant; (exceptis patronatibus super cathedralibus Ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad Imperatorem, et Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes iura imperii in dominiis suis habentes pertinent, et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata, et irrita cum quasi possessione inde sequuta intelligantur, beneficiaque huiusmodi, tanquam libera a suis collatoribus conferantur.*

XVI. Quibus ex verbis palam est a Patribus Tridentinis haudquaquam revocata fuisse privilegia Capitulis Cathedralium, vel Collegiatarum, vel monasteriis concessa, quod ad ius eligendi, vel praesentandi Praelatos, Canonicos, et beneficiarios earumdem Ecclesiarum, et monasteriorum, tanquam vetustae disciplinae canonibus conformia (3). Nec etiam indulta regiorum patronatuum, quae in suo robore perseverantur, non obstantibus praeviis Innocentii VIII., et Hadriani VI. constitutionibus, et placitis.

XVII. Verum istae revocationes privilegiorum tam Synodi Tridentinae, quam Innocentii VIII., et Hadriani VI. praeterita solum privilegia apertissime respiciunt, non autem futura. Quamobrem nullius fere usus nunc esse poterunt ad valorem diiudicandum patronatus gratiosi, post promulgationem Tridentini Concilii a Sede Apostolica nonnullis fortasse concessi. Secus tamen est de aliis quibusdam decretis etiam Tridentinis, quae futura negotia privilegiorum patronatus spectant.

XVIII. Quandoquidem speciem privilegii quum redoleat unio beneficii liberae collationis ad beneficium de iurepatronatus, cuius virtute patronatum super altero beneficio etiam libero extendere, et nancisci studeret patronus unius, non quidem ex apertis indulti pontificii verbis, sed praesumptive ob ius adcrescendi; Concilium Tridentinum pariter eamdem unionem abrogavit, irritavitque uti subreptitiam, et obreptitiam, quatenus illud beneficium libere conferendum sit post eiusmodi unionem, non aliter quam ante conferebatur. *Insuper accessiones per viam unionis factae* (verba sunt Trid. *dict. cap. IX.*) *de beneficiis liberis ad Ecclesias iurispatronatus etiam laicorum subiectas tam*

(1) Ad eamd. const. III. Adrian. schol. 1. — (2) Sess. *XXV.* cap. 9.
(3) Rot. *decis. 31. par. 10. rec.* Callemart. *super eod. cap. 9.* Conc. Trident., et *cit.* de Luca *disc. 65. de iurepatr. num. 22.*

ad parochiales , quam ad alia quaecumque beneficia etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, itaut praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis , quibuscum uniuntur , efficiantur , atque sub iure patronatus constituantur. Hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum , vel deinceps ad cuiusvis instantiam fient , quacumque auctoritate etiam apostolica concessae fuerint , simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentae intelligantur, non obstante quacumque in iis verborum forma, seu derogatione, quae habeatur pro expressa , nec executioni amplius demandentur: sed beneficia ipsa unita cum vacaverint , libere ut antea conferantur. Quae vero a quadraginta annis circa factae effectum , et plenam incorporationem sunt consequutae , hae nihilominus ab Ordinariis tanquam a Sede Apostolica delegatis revideantur , et examinentur : ac quae per subreptionem, vel obreptionem obtentae fuerint, simul cum unionibus irritae declarentur : ac beneficia ipsa separentur , et aliis conferantur. Attamen cessante vitio subreptionis , ubi super unito beneficio , quod antea liberum erat , Pontifex maximus apertis verbis patronatum alterius beneficii extendet , eidemque patrono largietur ; tam unio beneficiorum , quam concessio patronatus rata erit : quoties enim dubia non est mens Papae indulgens privilegium patronatus , Tridentini Patres de suprema eius potestate nullatenus dubitant.

XIX. Irritavit etiam Tridentina Synodus quaelibet privilegia praesentandi beneficiarios, praeterquam coram Episcopo loci Ordinario (1). Qua ex regula tamen excipiuntur privilegia Regibus, supremisque Principibus largita , utpote qui non modo ius praesentandi , sed conferendi etiam ex pontificio indulto vel expresso, vel ex immemorabili possessione praesumpto obtinent: ut alibi tradidimus *in tract. de beneficiis cap. VII. n. VI., et VII.*

XX. Provisionem praeterea , et institutiones in beneficiis cum cura animarum aliter conficiendi , quam iuxta formam ab eodem Tridentino praescriptam , privilegia sustulit Concilium (2) ; *non obstantibus* (ait) *huic decreto exemptionibus , indultis , privilegiis , praeventionibus.*

XXI. Ex modo recensitis Sedis Apostolicae constitutionibus , decretisque Tridentinis perspicue patet natura privilegiorum patronatus odiosa , strictaeque interpretationis.

XXII. Multiforme ob id genus privilegiorum operae pretium est inquirere. Ea siquidem modo sunt *personalia,* modo *realia,* et *localia,* modo *mixta.*

XXIII. Privilegium *personale personam sequitur , et extinguitur cum persona ,* iuxta regulam Bonifacii VIII (3). Et ubi pluribus personis collective indultum sit , extinctis omnibus pariter extinguitur. Propterea si Papa alicui genti , familiaeve gratiosum patronatus privilegium indulserit ; in ultima gentis, et familiae persona non evadit hereditarius , sed extinguitur : tametsi patronatus iure fundationis , vel dotationis competens ad heredes extraneos ultimi de familia , et gente

(1) *Sess. XIV. de ref.* cap. 13. — (2) Sess. XXIV. cap. 18. — (3) In Cap. *privilegium* VII. *de reg. Iur.* in VI.

morientis transmittatur iuxta receptum Ancharani consilium, de quo inferius *in cap. XI. num. XXVII.*, *et seq.* Consilium sane istud in patronatu ex privilegio minime militare, pluribus tuentur Carlinus (1), et Pitonius (2).

XXIV. At privilegium *reale* perpetuo durat, nec unquam extinguitur cum personis rem privilegio affectam obtinentibus, sed rei continenter inhaerens transit ad omnes, et singulos rem ipsam adeptas. Cuiusmodi est ius eligendi, et nominandi concessum monasterio, vel Capitulo Cathedralis, vel Ecclesiae rectori, vel Regi, ac Principi illius Regni, aut ditionis (3). Datum tamen privilegium certae rei, certive loci intuitu, ad rem aliam, aliumve locum non extenditur (4).

XXV. Quoties autem privilegium spectat favorem personae simul, et rei, dicitur *mixtum :* cuius indoles redolet naturam realis potius, ideoque perpetui, quam personalis (5). (XXVI.) In dubio tamen potius reale, seu locale praesumitur privilegium, quam personale, ut perpetuum sit (6).

XXVII. Ceterum omne privilegium ex animo, et mente concedentis interpretationem recipit : quumque beneficia principum sint interpretanda largissime, nullus privilegia interpretari aliter, quam deceat, moliatur (7). Quae proinde amplas praerogativas largiuntur, non sunt limitanda : et vicissim quae limitatas indulgent, non sunt extendenda ultra fines concessos (8). Innocentius III. enim ad rem statuit : *Cum nihil exceperit, et poterit excepisse, nec debet una, eademque substantia diverso iure censeri.* Ad id videndus Fagnanus (9).

XXVIII. Qualitas autem privilegii nonnisi ex ipsius lectura inspicitur. Hinc privilegium quicumque allegaverit, ad illud exhibendum obstringitur, aliàs eo sese tueri nullatenus valet contra legem communem (10). (XXIX.) Privilegium porro Pontificis, non aliter, quam Principis adeo requirit scripturam, ut si de illo confecta non fuerit scriptura, nequaquam testibus probari possit ; quamvis amissa scriptura probatio testium recte admittatur ex vetusta Cancellariae Apostolicae regula : *Non iudicetur iuxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

XXX. Et ubi concessum legatur patronatus privilegium ex caussa restaurationis Ecclesiae, vel augmenti dotis; debet omnino caussa isthaec probationibus concludentibus verificari coram Ordinario loci, quum satis non sit assertio Pontificis, motu etiam proprio desuper facta in litteris privilegii (11). Profecto Papa veritatem assertionibus suis mutare

(1) L. II. *contr.* 159. n. 13, et seq. — (2) Par. *discept. eccl.* 33. n. 9.
(3) *Cap. cum Capella 16.*, *et cap. quoniam 21. de privilegiis*, *et cap. per exemptionem 9. eod. tit. in* VI.—(4) Ruin. *lib. 2. cons. 28. num. 2.* Coccinus *cit. lib. 1. Inst.maior. tit. 6. de privilegiis num.21.*—(5) *Cap. ne aliqui 5. eod. tit. in* VI. Abb. *in cap. pro illorum de praeben. num. 4.* — (6) *Cap. veniens de verb. sign. in* VI., *cap. decet 16. de reg. Iur. in* VI. Cucch. *loc. cit. num. 20.* — (7) Cap. *olim de privilegiis.* — (8) Cap. *quia circa 22.* de privileg. — (9) In cit. cap. *olim de verb. signif.*—(10) *Can. contra morem 8. dist. 100.*, *et cap. cum olim 14. de privilegiis.*— (11) Piton. *discept. eccl.* 22. n. 4., et seq.

nequit, quamvis probe valeat contra veritatem fingere ius veritati simile; videlicet ius patronatus privilegiario largiri ex gratia, non secus, quam fundatori, ac dotatori ex iustitia indulget lex communis (1). (XXXI.) Et passim tales contra veritatem assertiones putantur per fictionem editae privilegii largiendi gratia (2). Exinde consequitur naturam patronatus gratiosi ex privilegio haudquaquam destrui, vel mutari per clausulas privilegii ampliativas, et extensivas: quales sunt, quod patronatui derogari non possit, etiamsi apud S. Sedem vacaverit beneficium, quod patronus privilegiarius iuribus, et facultatibus patronatus aeque gaudeat, et utatur, ac si beneficium fundaverit, vel dotaverit (3).

XXXII. Tunc enim militabit ea Iuris regula, quae traditur in rubrica digestorum, *plus valere quod agitur*, *quam quod simulate concipitur*. Si tamen Papa declaraverit in pontificii privilegii narrativa sibimetipsi constare Ecclesiam fundatam, vel dotatam fuisse ab illo, vel maioribus eius, cui patronatum concedit; tunc patronatus concessionem ex oneroso iustitiae titulo derivatam agnoscit Cardinalis de Luca *ibidem*. Et privilegiarius eo casu eximitur ab onere probandi expositam fundationem, vel dotationem veritate fulciri. Quod contingere solet, ubi post praescriptam patronatus devolutionem Papa redintegraverit ex gratia, et privilegio successores, heredesve fundatoris ad amissum patronatum de novo exercendum. Et ubi confirmari privilegium novis litteris pontificiis acciderit, per innovationem non plus iuris accrescet privilegiario, quam iis per antiquum obtinebat privilegium: *quum innovatio nec ius novum conferat, nec etiam tollat vetus*, ait Honorius III. (4).

XXXIII. Itidem si cui ex Cardinalibus, Praelatisque conspicuis Ecclesiam, vel beneficium fundanti bonis ecclesiasticis sibi obventis, de quibus testandi facultatem iam obtinuisset vigore indulti apostolici, Papa patronatum indulserit, patronatus hic non quidem ex privilegio, et gratia provenire, sed ex iusto titulo fundationis, ac dotationis censetur: quoniam bona eiusmodi quaesita intuitu Ecclesiae, remoto intestabilitatis obstaculo, pertinent ad liberam indultarii dispositionem, eiusque patrimonium, profanum, assumpta natura bonorum laicalium, adeo ut patronatus idem non ecclesiasticus, sed laicalis diiudicetur (5).

XXXIV. Pariter si legatis ab aliquo pio testatore bonis laicalibus in pios usus, Sedes Apostolica maluerit defuncti voluntatem commutare, et bonis illius in fundationem, aut dotationem alicuius Ecclesiae conversis, concesserit patronatum talis Ecclesiae, filiis, vel heredibus pii testatoris, patronatus etiam ex titulo iustitiae, et fundationis, non autem ex privilegio datus existimabitur. Dummodo bona legata non fuis-

(1) Rota apud Garz. *de benefic. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 117. — (2) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 23. Lotter. *lib.*2. *qu.*8. *num.* 23., et Gonzal. *ad regul.* VIII. gl. 36. *num.* 37.—(3) de Luca *disc.* 65. *de iurep. num.* 6., et 22., et Piton. *dict. discept. eccl.* 22. *num.* 28. — (4) In Cap. *quia intentionis* XXX. *de privilegiis.*— (5) Rot. *dec.* 273. *par.* 3. *rec.* Lotter. *qu.* 10. *num.* 34., *et cit.* de Luca *disc.* 59. *de iurep. num.* 21.

sent ante pontificiam commutationem ipsi Ecclesiae aliquo modo plene quaesita, et addicta: hoc enim casu ex privilegio mero largitus videtur (1).

XXXV. Natura patronatus ex privilegio gratiosi maxime differt ab ea patronatus iustitiae. Nam patronatum mere gratiosum primo afficiunt pontificiae reservationes beneficiorum de iurepatronatus laicorum in Regulis Cancellariae Apostolicae statutae: nullimode vero patronatum ex fundatione, vel dotatione onerosum (2). Privilegiarius porro contra Sedem Apostolicam privilegium concedentem uti non debet privilegio suo. (XXXVI.) Quae propterea patronatui gratioso valet derogare, et revocare ad libitum: illumque expressa revocatione extingnere (3). Quin per successorem Principem posse privilegium a praedecessore concessum revocari, definivit S. Consilium Neap. penes Afflictum *dec.* 101. *num.* 2., dummodo ex titulo oneroso impertitus non fuerit: ut supra expositum est *num. VIII.*

Hactenus de titulis patronatus in primaeva origine quaerendi, ordo nunc postulat, ut de titulis transferendi patronatus ad successores continuo dicatur.

CAP. IX.

DE SUCCESSIONE PATRONORUM.

I. Successio in patronatu ius primi adquirentis tribuit.
II. Eaque vel universalis, vel particularis est.
III. Universali successione defertur patronatus hereditarius, familiaris, et mixtus.
IV. Particularis autem successio locum habet in reali patronatu itemque in donatione, aliisque titulis particularibus dominium transferentibus.

I. Successorem in patronatu iuribus fundatoris, et primi adquirentis potiri, compertissima res est: namque *is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit* (4).

II. Successor autem modo universalis, modo particularis est. Dupliciter sane de una in aliam personam transfertur generatim patronatus canonice quaesitus: vel scilicet titulo *universalis* ad universalem successorem, vel titulo *particulari* ad particularem successorem.

III. *Universalis* autem successio vel est *bonorum* tantum, vel *sanguinis* tantum, vel *bonorum* simul, et *sanguinis*. Prima locum sibi vindicat in patronatu hereditario, secunda in familiari, vel gentilitio, et tertia in mixto.

(1) Rot. *dec.* 221. *par.* 8. *rec.* post Vivian. *dec.* 126., et *cit.* de Luca *disc.* 65. num. 29. — (2) Rota dec. 58., et 88. par. 1. rec. — (3) Cap. *veniens de praescr.*
(4) Cap. *is, qui* 46. *de reg. Iur.* in VI.

IV. *Particulari* autem successione patronatus *realis* potissimum defertur: tum reliquae patronatus species quoque deferuntur particulari titulo donationis, legati, alteriusve dispositionis tam inter vivos, quam mortis caussa. Operae hinc pretium est de singulis hisce regulas expendere sub distinctis, quae proxime sequuntur, capitulis.

CAP. X.

DE HEREDITARII PATRONATUS SUCCESSIONE.

I. Ad heredes quoscumque patronatus transit regulariter, nisi aliter in fundatione cautum sit.
II. Deque herede in heredem in infinitum devolvitur.
III. Nisi quis heredum maluerit hereditarium patronotum in alios, quam sui ipsius heredes transferre.
IV. Defertur autem ad heredes in stirpes, nisi fuerint primi a fundatore instituti.
V. Quidquid aliter sit in patronatu profano.
VI. Individuus sane putatur patronatus habitualiter.
VII. Qui in uno tantum patrono, aliis negligentibus, consolidatur ob ius adcrescendi, quod transmittitur ad heredes.
VIII. Dividuus tamen est, quod ad praesentandi exercitium activum.
IX. Quod vero ad effectum instituendi unum beneficiarium in singulis beneficiis pariter individuus est.
X. Itidem quod ad iura honorifica.
XI. Eiusdem naturae individuae profanus libertorum patronatus est.
XII. Praetereaque ius servitutum profanarum.
XIII. Incorporea quippe natura aeque patronatus sacer praeditus est, ac profanus, una et servitutes profanae.
XIV. Praesentandi tamen ius dividuum aequiparatur ususfructui etiam dividuo.
XV. Filius heres universalis excludit a patronatu hereditario fratres, sororesque in legitima, vel dote particulari heredes.
XVI. Atque in regno Neapolitano masculus heres excludit foeminas a parentum patronatu.
XVII. Et primogeniti secundogenitos excludunt alibi iuxta locorum consuetudines; nisi foemina fuerit heres instituta universaliter.
XVIII. In districtu Neapolis ad proximiores de sanguine una cum medietate bonorum antiquorum transit.
XIX. Bona enim antiqua ex consuetudine etsi testator *deferuntur universali iure successionis.*
XX. Quidquid aliter deciderit Rota Romana cum votorum discrepantia.
XXI. Archiepiscopalis Curia Neapolitana successores in medietate bonorum antiquorum ad praesentandum admisit una cum herede testamentario.
XXII. Fiscus una cum hereditatibus caducis obtinet patronatum hereditarium.

XXIII. Secus ob publicationem bonorum patroni in poenam criminis.
XXIV. Publicatis autem bonis paternis, filius in patronatum succedit.
XXV. Hereditate fideicommisso subiecta patronatus ad heredes gravati, seu fiduciarii, non ad fideicommissarium transit.
XXVI. Nam patronatus non rebus hereditariis inhaeret, sed iuri heredis universali.
XXVII. Hinc filius dimissis etiam bonis paternis patronatum retinet.
XXVIII. Si tamen fideicommittens maluerit ad fideicommissarium deferre patronatum, voluntas ejus servanda est.
XXIX. Etiam sine adsensu Episcopi.
XXX. Quum nequeat heres voluntatem testatoris spernere.
XXXI. Fructuarius heres, non autem directus durante ususfructu patronatum exercet.
XXXII. Heres filius nequit paternam hereditatem repudiare, et patronatum hereditarium retinere.
XXXIII. Si tamen abstineat ab adeundo paternam hereditatem, patronatum retinet, quoadusqne legitimus successor illam adiverit.
XXXIV. Vacantem immo hereditatem filius potest post repudiationem quoque petere.
XXXV. Successor se patroni heredem esse, nisi probaverit, hereditarium patronatum non obtinet, etiamsi filius fuerit.
XXXVI. Idque in Regno ostenditur fide praeambuli.
XXXVII. Verum aliae quoque probationes ad ostendendam aditionem iure admittuntur.
XXXVIII. Quin praesentatio praesefert actum aditionis.
XXXIX. Facultas tamen adeundi praescribitur lapsu XXX., vel XL. annorum.
XL. Monasterium successionis capax patronatum ex persona professi consequitur.
XLI. Vacante autem hereditate curator patronatum exercet tam defuncti, quam heredis declarandi nomine.
XLII. Et quivis legitimus patrimonii, vel hereditatis administrator.

I. Tametsi non decet secundum canones Sanctuarium Dei, et ecclesiastica beneficia simul et officia hereditate possideri, ut definivit Concilium Romanum sub Innocentio II. (1), et Alexander III. (2), secus tamen est in patronatu Ecclesiarum, et beneficiorum. Nam *si nominatim testator suorum heredum arbitrio reliquerit praeponendos administratores, ea iura pertinere ad heredes*, declaravit Iustinianus (3). Idemque Imperator (4) rescripsit: *si quis oratorii domum fabricaverit, et voluerit in ea clericos ordinare*, puta nominare, ac praesentare, id non modo ipsi, verum etiam eius heredibus licere. Secundum leges itaque patronatum ad heredes ex testamento, expressaque fundatoris voluntate transire indubium est. Quoties autem expressa non obstiterit lex fundationis, seu fundatoris voluntas, patronatus adhuc iure

(1) In Can. *Apostolica* VIII. qu. 1.—(2) In Cap. *consuluit* XV. *de iurep.*
(3) In L. *sancimus* 56. C. *de Episc., et cler.* — (4) Nov. CXVIII. Cap. 18.

praesumitur in dubio hereditarius : eamque ob rem transit regulariter cum hereditatis bonorum universitate ad quoslibet heredes etiam ab intestato, iuxta receptam Doctorum sententiam (1). Hinc si fundator patronatum reservaverit *cui de iure*, illum ad heredes legitimos pertinere, dixit Pitonius (2). Idemque iudicandum censuit, ubi patronatus heredibus, et successoribus fuerit reservatus (3). Praesumitur sane fundator in dubio noluisse recedere a naturali successionis regula (4).

II. Eodemque iure de primo fundatoris herede, ac successore gradatim transfertur ad succedentes in infinitum heredes. Nam *qui per successionem quamvis longissimam defuncto heredes constiterunt, non minus heredes intelligantur, quam qui principaliter heredes existunt*, ait Modestinus (5).

III. Non absimilis est natura profani patronatus, quod ad fabriles, et artificiales operas, et pecuniae utilitatem. Nam docente Ulpiano, libertorum *fabriles operae, ceteraeque, quae quasi pecuniae praestatione consistunt, ad heredem patroni transeunt* (6). Verumtamen potest heres patronatum hereditarium transmutare in gentilitium, et familiarem, ad eum vocando certas personas ad libitum, exclusis legitimis heredibus: propterea quod patronatus hereditarii patronus hac iu re personam gerit, refertque primi fundatoris (7).

IV. Plures proinde ab uno fundatore, unove patrono relicti heredes vocem dumtaxat unius habebunt in praesentatione rectoris, ut Clemens V. apertissime definivit in Concilio Viennensi (8), adeo ut ad singulos patroni coheredes, ubi plures sint, pertinere patronatus in solidum dicatur (9). Qui si fuerint primi a fundatore instituti, fere censentur in capita, non vero in stirpes vocati (10). Nisi fundator maluerit eos ex inaequalibus quotis nuncupare heredes, quorum stirpes tunc singulae non quidem in partes viriles, sed inaequaliter succedunt (11). Quandoquidem sacer patronatus ad heredes pertinet in stirpes, non autem in capita, seu repraesentationis iure : quum omnes in solidum unam defuncti personam repraesentent : adeo ut negligentibus coheredibus patronatum exercere, ius in uno eorum vigilante consolidatur ob naturam patronatus individuam, tametsi praesentatio, seu ius praesentandi clericos, et exercitium patronatus effectivum actualiter dividitur inter plures coheredes iuxta hereditatis uncias, et quotas, quod iamdiu Neapoli servatum ex consuetudine, affirmavit post Goffredum Glossa (12). Hinc heres pro medietate assis hereditarii institutus sex vota in praesentando computat in praxi, alius in quatuor unus institutus quatuor vota, et sic deinceps. Ob eamdemque rationem istorum descendentes,

(1) *In can. considerandum est* 35., *et can. si plures heredes* 36. XVI. *q.* 7. *cap.* 1., *et seq. de iurepatr., et Clementina* 2. *eod. tit.* — (2) Alleg. 100. n. 170. — (3) Alleg. 69. n. 29. — (4) Alleg. 13. n. 26.

(5) In L. *qui per successionem* 194. D. *de reg. Iur.* — (6) L. *fabriles* 6. D. *de operis libertorum.* — (7) Piton. alleg. 82. n. 12., et alleg. 77. n. 68., et 71. — (8) In cit. Clement. II. *de iurep* — (9) Gratian. discept. 552. n. 33. — (10) Rot. *dec.* 308. *num.* 4. *par.* 2. rec. Riec. *decis.* 120. *num.* 2. *par.* 2., et Lambert. *par.* 2. *lib.* 1. *qu.* 1. art. 26. — (11) Marant. par. V. *controv. for.* resp. 50. n. 28. — (12) In eadem Clemen. *plures.*

seu heredum heredes solam auctoris personam repraesentantes in tot minores quotas subdividunt in praesentando beneficiario votum auctori suo competens. Istoque modo plures caussam ab uno habentes loco unius censentur.

V. Aliter tamen est in patronatu profano quod ad dividenda libertorum bona : *Si enim ex duobus patronis , alter unum filium, alter duos reliquisset , viriles inter eos partes fieri*, hoc est in capita, non autem in stirpes , dixit Iulianus (1).

VI. Tametsi autem praesentatio ita est apud omnes simul compatronos, eorumque heredes , ut apud nullum singulariter *actu* sit , omnibus ad praesentandum concurrentibus: nihilominus penes quemlibet ex pluribus in solidum residet *habitualiter*, diviso tantum exercitio actuali (VII.) Eaque de re individuum iudicatur iuspatronatus : quoniam aliis praesentare negligentibus , vel iuri suo cedentibus , si unus dumtaxat nominaverit personam idoneam , qui vix unam ex duodecim vocibus obtinet , istius praesentatio talem, tantamque vim habebit, quantam simultaneae omnium compatronorum voces, quae in eo solo consolidantur per ius *adcrescendi*, seu potius *non decrescendi*, ex recepta DD. sententia post Innocentium (2). Namque unica praesentatio nomine omnium compatronorum etiam non concurrentium expletur. Compertum enim in iure habemus ex Paullo (3), quod *si plures sint, qui eamdem actionem habent , unius loco habentur*. Et ubi duo usumfructum eiusdem rei obtinent ex legato , inter eos salvum ius adcrescendi , tamquam re coniunctos , tametsi non verbis , agnovit cum Papiano Ulpianus (4), quatenus uno fructuario deficiente, ad alterum accedat plenum utendi fruendi ius. Non aliter, quam ad singulos coniunctos in eadem hereditate coheredes vacans hereditatis portio accedit iure adcrescendi (5). Quis vero inficiabitur plures eiusdem beneficii, et Ecclesiae compatronos in eadem patronatus re coniunctos esse? Dubium non est , *quin coniuncti sint , quos et nominum , et rei complexus iungit*, inquam cum Paullo (6). Si propterea quidam ex pluribus patroni legitimis heredibus omiserint adire hereditatem , vel morte , vel qua alia ratione impediti fuerint , quominus adeant , reliquis , qui adiverint adcrescit illorum portio , et licet decesserint , antequam adcresceret, hoc ius ad heredes eorum pertinet ex Marciani textu (7).

VIII. Igitur *individuum* est in reipso , et physice inspecta *natura* iuspatronatus: *dividuum* vero quod ad exercitium praesentandi activum dumtaxat.

IX. Sane quoad *effectum* institutionis similiter est individuum: quum una Ecclesia unius debeat esse Rectoris ex Concilio Lateranensi sub

(1) In *L. si libertus* 23. §. *fin. de bonis libertorum.* — (2) *Cap.* 1. *de iurep.* Bellon. iun. *de iure adcresc. cap.* 6. *qu.* 5. *num.* 48. Card. de Luca *de iurepatr. disc.* 19. *num.* 13. — (3) In L. *si plures* 9. *de pactis.* — (4) In L. *sicut in annos* 3. §. 1. D. *quib. mod. ususfr., vel usus amitt.* — (5) L. un. §. 14. C. *de caduc tollend.*

(6) In L. *triplici modo* 142. D. *de verb. signif.* — (7) In L. IX. D. *de suis, et legitimis.*

Alexandro III. (1), et Patribus Concilii Mediolanensis visum sit, quod Ecclesia inter heredes patroni dividi non debeat (2).

X. Praeterea honorifica patronatus iura reapso individua sunt, atque ad singulos heredes pertinent in solidum, ex communi DD. sententia.

XI. Haec patronatus individua natura congruit cum profano libertorum patronatu, ad quam filii patroni a patre inaequaliter instituti heredes succedunt aequaliter ex Paulli responso (3). Cui placuit nullam esse libertorum divisionem, alimentorum autem divisionem a iudice inter coheredes factam eodem modo ratam esse: propterea quod Camelia pia ab Hermogene appellaverat, dicens iudicem de dividenda hereditate inter se, et coheredem non tantum res, sed etiam libertas divisisse, nulloque iure id eum fecisse.

XII. Alia item ratio individuum ostendit iuspatronatus, quia scilicet est incorporale, et aequiparatur servitutibus profanis. Quae idcirco sunt individuae, docente Ulpiano (4): *Stipulationes non dividuntur* (ait) *earum rerum, quae divisionem non recipiunt, veluti viae, itineris, actus, aquaeductus, ceterarumque servitutum.*

XIII. Ius itaque individuum ad patronatum sacrum promanasse videtur a natura incorporea utriusque patronatus sacri, et profani, praetereaque servitutum.

XIV. Sed quoniam potissima patronatus praerogativa, scilicet ius praesentandi assimilatur ususfructui dividuo, hinc inter heredes merito dividitur. Quippe *si ususfructus legatus sit, qui et dividi potest, non sicut ceterae servitutes individuae sunt*, ait Paullus (5), cui consonat Caius (6), inquiens: *ususfructus divisionem recipit: adeo ut si duobus legatus fuerit, ipso iure ad singulos partes pertineat*. Ideoque Paullus ad Vitellium respondit (7), *usus pars legari non potest: nam frui quidem pro parte possumus, uti pro parte non possumus.* Ratio diversitatis exponitur per Alciatum (8).

XV. Quum vero patronatus hereditati adnexus iudicetur, consequens est, ut cum paterna hereditate bonorum transeat ex testamento ad unum ex filiis heredem universaliter institutum, exclusis aliis in legitima solum, vel dote, aut paragio particulariter institutis. Nam pater filiis legitimam, dotemve honorabili titulo institutionis relinquens, eos hereditaria universali successione exuit (9).

XVI. Itemque iure municipali huius regni, parentibus ab intestato defunctis, ad solos masculos filios, exclusis foeminis (10) (*).

(1) In Cap. *quoniam* III. *de iurep.* — (2) In Cap. *perlatum* eod. tit.— (3) In L. *Camelia pia* 24., seu fin. D. *de iurep.* — (4) In L. *stipulationes* 71. D. *de verb. oblig.*

(5) In L. 1. §. *si ususfr.* D. *ad leg. falcid.* — (6) In L. sed *ususfructus* 81. D. eod. — (7) In L. *usus pars* 18. D. *de usu, et habit.* — (8) Lib. I. *paradox.* 17. — (9) Rota coram Coccino *dec.* 1658. *num.* 2. Piton. *de contr. patr. alleg.* 69. *num.* 24., *et* 25., *et alleg.* 100. *num.* 247. — (10) Const. *in aliquibus de success. Comitum, vel Baronum.*

(*) Talis erat successio vetus in Regno Neapolitano. At Iure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 667., cautum, quod adscendentibus ab intestato defunctis, filii,

XVII. Quemadmodum ad solum primogenitum in Anglia iuxta consuetudinem Anglicanam tradit Lambertinus. Et ubilibet ex legitima consuetudine solus primogenitus ad paternam, vel maternam succedet hereditatem, ismet solus patronatum adquirit, fratribus exclusis: Io. Andreas, Cardinalis, et Abbas (1). Quamobrem nepos ex primogenito patroni excludit patruum suum, seu secundogenitum patroni filium (2). Si tamen fundator, vel patronus foeminam quoque nuncupaverit, vel scripserit heredem, proculdubio ad eam transmittit patronatum (3): quia per legitimam heredis universalis institutionem, sive ex asse, sive ex quota, patronatus adquiritur (4).

XVIII. Pariter Iure consuetudinario intra districtum Neapolis hereditarius patronatus antiquus defertur tam ad proximiores agnatos, et cognatos cuiuslibet sine liberis morientis, una cum medietate bonorum antiquorum, pro medietate, quam ad heredes vel ex testamento, vel ab intestato eiusdem morientis, Nicolaus Cyrillus Episcopus Neocastrensis (5). (XIX.) Nimirum patronatus paternus ad proximiorem ex linea paterna, et maternus ad proximiorem lineae matris (6). Namque bonorum antiquorum medietas iuxta receptam Napodani sententiam universalis *successionis* titulo, non autem singulari pervenit vigore Neapolitanae *consuetudinis et si testator tit. de success. morientis sine filiis ex testamento*. Eamque ob rem iura omnia, et actiones complectitur (7). Et proximior agnatus medietatem bonorum antiquorum hereditario iure percipit, tamquam ab intestato heres ex semisse (8). Non repugnat sane, quod testator Neapolitanus pro parte testatus decedat, et pro parte intestatus virtute laudatae consuetudines, non aliter, quam miles (9). Tametsi Ius commune non patitur eumdem hominem in paganis et testato, et intestato decessisse (10). Vel si absurdum istud in successione consuetudinaria vitari velit, dicendum est agnatos, et cognatos proximiores in istiusmodi medietate succedere non ultimo quidem morienti, sed antecessoribus, a quibus ei antiqua bona obvenerunt,

eorumque descendentes succedunt sine discrimine sexus, aut aetatis, et licet ex diverso coniugio sint geniti. Ipsi autem, si primi gradus fuerint, aut proprio iure vocati: ad legitimam adscendentium hereditatem aequis partibus, et in capita succedunt: sin autem ulterioris gradus, in stirpes iure repraesentationis.

Praeterea renunciatio iurium, quae ad filias pertinebant in futura successione adscendentium, et frequenter in pactis nuptialibus olim locum habebat, Iure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 708., nulla prorsus fuit declarata.

(1) In Cap. ex *insinuatione de iurep.* — (2) Abbas *cons.* 85. *lib.* 1., et Covarruvius *praed. quaest. cap.* 28. *n.* 13. — (3) Aloys. Ricc. in *prax. par.* 1. *resol.* 175., et Vivianus *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 48., *et* 49. — (4) Rota coram Coccin. dec. 464. n. 6. — (5) In Lib. *quaest. iur.* c. 40. — (6) Rot. apud Iac. Cavaler. *dec.* 231. Dald. *cons.* 1. *num.* 8., vol. 3. Menoch. *cons.* 380. *vol.* 2. Carol. de Rosa in *cons. si quis vel si qua num.* 401. — (7) Anton. Alexand. super cons. *si aliquis* ver. *de bonis*. — (8) Reg. de Marinis *lib.* 2. *cap.* 57. de Franchis *dec.* 89, 525., et 536. Reg. de Ponte *cons.* 13. *num.* 20. *cons.* 52. *num.* 23. Reg. Andr. Provenzale *observ.* 15. *num.* 7. Car. de Rosa in *cons. si aliquis num.* 14.

(9) L. fin. ff. de *vulgari et pupu*[illegible] Napodanus ad *eamdem cons.*, et si testator ver. *perveniat.* — (10) L. [illegible] um D. *de reg. Iur.*

ut recte censuit Montanus (1), et Ursillus ad Afflictum (2). Quo reflexit Napodanus, dum adfirmavit bona testatoris antiqua non in hereditate, sed extra hereditatem ultimi morientis esse (3). Ideoque ad praestandam eiusmodi medietatem teneri possessorem bonorum antiquorum, non tanquam heredem, sed tamquam possessorem scribit Scipio Buccin. (4) (*).

XX. Et licet Rota Romana in una Neapolitana (testante Nicolao Cyrillo *loco cit.*) deciderit esse instituendum D. Iosephum Romogueram, praesentatum ab heredibus testamentariis Camilli Tocchi, et Pauli Emilii Bozzuti ad beneficium divi Nicolai de Bozzutis in Ecclesia Monialium S. Patritiae erectam, excluso D. Alphonso Gaetano praesentato tam per D. Sigismundum Anamonte, cui sacrum Consilium Sanctae Clarae adiudicaverat dimidiam antiquorum bonorum partem praefati Camilli; quam per heredes pro medietate dicti Pauli Emilii: in ea nihilominus causa Hieronymus Borra tunc consultor, postea Tropeensis Episcopus, sententiam contra heredes testamentarios dixit; exoptavitque ipsius Cyrilli patrocinium, quia ceteri consultores, ut parum in Iure municipali versati, vim consuetudinis Neapolitanae ignorantes temere iudicarunt.

XXI. Quaestio isthaec in Archiepiscopali Curia Neapolitana anno 1733. acriter disceptata est inter D. Ioannem, et D. Marcum-Antonium de Citarella Ducem Castri veteris, et D. Dominicum Crispanum super pertinentia antiquissimi patronatus beneficiorum S. Petri, et S. Andreae de Gattolis. Quum enim hereditas Pompei Gattolae sine filiis defuncti ex testamento delata esset ad Magdalenam Balsamo eius uxorem, dempta medietate bonorum antiquorum consuetudini subiectorum, quae adiudicata fuit praefatis de Citarella ab intestato venientibus, tamquam proximioribus de sanguine: post iuridicam concertationem inter duos praesentatos, alterum a Dominis de Citarella, alterum a D. Crispano, tandem me scribente pro Dominis de Citarella, ex consensu partium definitum fuit ius praesentandi pro medietate ad Dominum Crispanum, pro altera medietate ad Dominum de Citarella pertinere, alternis vicibus exercendum.

XXII. Ad Fiscum, qui veri heredis personam gerat iure successionis ad vacantem hereditatem, deficientibus legitimis heredibus transire quoque patronatum mere hereditarium tradit Gigas (5), praesertim si aliis extantibus compatronis Ecclesia libertatem non consequeretur, ob vacantem compatroni hereditatem.

XXIII. At vero, ubi de confiscatione bonorum omnium unius pa-

(1) Controv. 1. n. 69. — (2) Dec. 237. n. 6. — (3) Ad cons. *si quis, vel si qua* n. 230. — (4) In dic. consuet. *et si testator* l. F.

(*) Omnes consuetudines tum generales, cum speciales, quae olim in Regno Neapolitano vim obtinebat, lege lata sub Militari Regimine die I. Ian. an. 1809. penitus abrogatae fuerunt. Quod etiam in promulgatione Iuris Novissimi Cod. LL. Civ. sancitum legimus alia lege sub die XXI. Maii an. 1819.

(5) *De crim. laes. maiest. lib.* 1. *tit. de poen. qu.* 4., et Peregrinus *de iure fisc. lib*, 5. *tit.* 1. *num.* 72.

troni ob crimen agatur, Fiscum laicum in patronatu non succedere, neque in confiscatione laicali patronatum comprehendi, docent Canonistae (1). Quin damnatum publicatione, et confiscatione omnium bonorum a iudice saeculari non admittere patronatum in patrimonio suo consistentem, censuit Glossa (2). Nec statum libertatis ab Ecclesia adquiri ob eiusmodi confiscationem tenuit Rochus de Curte (3), et definivit Rota coram Coccino (4), quidquid contra senserit Cardinalis (5) aliique a Rota ibidem reprobati.

XXIV. Ideoque clericum damnati ad confiscationem patroni filium succedere in patronatu paterno, utpote qui poenis paternis non afficitur, diiudicavit etiam Rota (6). Si tamen in Ecclesiam reus confiscatione damnatus crimen commisisset, posse Episcopum declarare illum incidisse in poenam amissionis patronatus, respondit Rota coram *cit.* Coccino (7). Eoqne vel maxime, si clericum patronum ob laesae maiestatis divinae, vel humanae Episcopus confiscatione damnaverit, patronatus tunc extinguetur, et Ecclesia fiet liberae collationis (8).

XXV. Quoties hereditas fundatoris, vel patroni iure fideicommissi universalis restituenda sit, dubitatum diu est, num iuspatronatus hereditarium transiret cum universitate bonorum ad heredem fideicommissarium, vel potius remaneret penes heredem fiduciarium gravatum una cum quarta Trebellianica. Doctorum alii simpliciter fideicommissario favebant: propterea quod patronatus accessorie, et consecutive transitum natura sua faciat cum hereditate, aliave bonorum universitate, in qua ille consistat. Cuiusmodi sententiae adstipulari videtur Tryphonius (9), inquiens: *si patronus ex debita portione a liberto scriptus, rogatusque hereditatem restituere, suspectam dixit, et compulsus adire, cum retinere posset, restituerit, non poterit accipere contra tabulas possessionem, et quia agnovit iudicium liberti, et quia sprevit, et quasi damnavit eam possessionem.* Bartolus tamen (10) pro herede gravato respondit, cuius opinionem Rota Romana est amplexa (11). Hancque sententiam fortasse inivit ex cousimili patronatus libertorum civili, et iure sepulcrorum, quod in restitutione fideicommissi non comprehenditur. Nam ex regula Modestini (12): *Filii hereditate paterna se abstinentes, ius quod in libertis habent paternis, non amittunt. Idem et in emancipato.* Insuper Iulianus (13) respondit: *si li-*

(1) Abbas in *cap.* 1. *num.* 10. *de elect.* Lambertin. *lib.* 3. *qu.* 8. *art.* 8. *n.* 16. Barbos. *de iure eccles. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 258. Rota apud Ioan. Bapt. Coccin. *dec.* 232., 298., *et* 351., et in Lucana beneficii 26. Iun. 1709. §. *fragili* coram Falconerio, apud Piton. *alleg.* 15. *num.* 26. — (2) In Clement. *pastoralis* ver. *subiectae de re iudic.*—(3) *De iurep.* ver. *ipse qu.* 29. *in fin.*—(4) Dec. 298. n. 1., et seq.—(5) In Clement. plures n. 8. *de iurep.*
(6) Dec. 351. coram Coccino n. [illegible], et 4. — (7) Dec. 232. n. 2., et 3. —
(8) Rota coram eod Coccino [illegible] n. 7.—(9) In L. *nihil interest.* 50. §. 4. D. *de bonis libertorum.*— [illegible] In L. *quia perinde* D. ad Trebellian.
(11) Dec. 542. *par.* 5. *rec.* [illegible] o., *et* 206. *par.* 5. *rec.* apud Vivian, *dec.* 24., *et* 121., *et lib.* 4 *cap* [illegible] 76. Peregr. *de fideic. art.* 6. *num.* 37. Fusar., *qu.* 634. *num.* 2. penes [illegible] Luca *disc.* 36. *de iurepatr. num.* 3.—(12) In L. *filii* 9. D. *de iurep.* [illegible] L. *libertus* 20. §. 5. D. de bonis libertor.

bertus filium emancipatum heredem instituerit, eiusque fidei commiserit, ut totam hereditatem Sempronio restitueret, et filius cum suspectam sibi hereditatem diceret, iussu Praetoris adierit eam, et Sempronio restituerit, non inique patrono bonorum possessio partis debitae dabitur, perinde ac si non filius, sed is, cui hereditas restituta est, liberto heres extitisset. Hinc Marcus Antonius Peregrinus (1) scribit: *iuspatronatus non transire ad heredes, uti heredes, sed quia heredes: proinde non transit ad fideicommissarium universalem, sed apud heredem gravatum remanet.* Consonat Vivianus (2) (*).

XXVI. Patronatus porro hereditarius non quidem rebus, et praediis hereditatis cohaeret, sed transit cum universitate iurium bonorum hereditariorum (3) (XXVII.) Eademque ratione si renunciaverit filius iuribus, et praetensionibus sibi competentibus super bona paterna, nunquam censetur renunciasse habituali potentiae succedendi in hereditatem ipsius (4). Quemadmodum legato patronatu, quoad legatarius legatum agnoscat, patronatus ab hereditate non abdicatur (5). Et avulsis ab hereditate, sibique vindicatis per creditores omnibus bonis hereditariis, patronatus penes legitimum heredem remanet, utpote qui non afficitur hypotheca creditorum (6).

XXVIII. Verum regula ista, quam Doctores in dubio tenent cum Romana Curia (patronatum nempe hereditarium, non utique ad fideicommissarium heredem una cum bonis transire, sed penes heredem gravatum permanere) limitari saepe solet ex voluntate fideicommittentis nedum aperta, sed etiam praesumpta ex levibus licet coniecturis, et adminiculis. Nam limitationi favere videtur praesumptio, quod volens suam, suaeque familiae memoriam, et decorem cum fideicommisso bonorum in posteris conservare, eo vel maxime putatur voluisse hunc eumdem finem obtinere cum fideicommisso iurispatronatus, quod memoriam, decoremque familiarum magis conservare valet (7).

XXIX. Nec requiritur adsensus Ordinarii ad includendum in generali fideicommisso patronatum, sicut non exigitur in universali hereditatis successione directa maxime vero in fideicommisso particulari (8).

XXX. Heres profecto nequit contravenire facto defuncti (9). Nec

(1) De fideicom. art. 6. n. 3. — (2) Lib. IV. cap. 2. n. 1.
(*) Iure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 492. substitutiones fideicommissariae penitus interdictae fuerunt, iis dumtaxat exceptis casibus, in quibus illae taxative a Lege sint permissae. Hisce vero sanctionibus maioratus institutionem comprehendi ne intelligas.
(3) P.ton. *alleg.* 53. *num.* 20. Lambert. *lib.* 1. *par.* 2. *qu. art.* 3., Rota *de rec.* 223. *num.* 1. *par.* 19. *rec.* — (4) Piton. alleg. 69. *n.* 29. — (5) Piton. alleg. 100. n. 258. — (6) Merlin. *de pignoribus lib.* 2. *qu.* 22., et Rota in Romana Capellaniae 3. Iun. 1711. coram Ansaldo, laudata per Fagn. *de iurep. to.* 2. *par.* 2. *can.* 1., *et* 2. *cas.* 18. *num.* 30.
(7) Vivianus *dec.* 24. *et* 121, Rota *dec.* 240. *num.* 10. *part.* 10. *rec.*, *et* alibi penes de Luca *dicto disc.* 36. *num.* 5. — (8) Card. de Luca disc. XL. *de iurep.* n. 4. — (9) *L. cum a matre* 14. *C. de rei vindic.* Rot. *disp. cap.* 107. *num.* 7., *et* 65, Grammat. [illegible] 03. *num.* 8., et Rota *dec.* 89. *num.* 8. *par.* 8. *rec.*

ei fas est hereditatem defuncti sibi retinere , eiusque voluntatem, placita , et facta impugnare. Nisi factum defuncti esset ipso iure nullum; vel quia contra Ius publicum , vel contra dispositionem hominis : vel ubi defunctus ipse posset facto suo contravenire , puta in alienatione rerum Ecclesiae sine adsensu apostolico, vel rerum fideicommisso subiectarum (1).

XXXI. Quoties autem concurrunt heres in proprietate , et ususfructuarius, quoadusque ususfructus perduret , fructuarius, non heres directus patronatus iura possidebit , exercebitque (2) , ibique Fagnanus *num. 57*. specifice docet ius praesentandi magis pertinere ad uxorem hereditatis ususfructuarium , quam ad heredem proprietarium.

XXXII. Si filio hereditas relicta sit , non poterit ipse patronatum acceptare , et hereditatem repudiare : Vivianus (3) , et passim Doctores. *Non vult* enim *heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem* (4).

XXXIII. Quid iuris autem , si filius ab hereditate patris abstinuerit, utrum retineat , necne patronatum patris hereditarium? Affirmative respondendum est cum Glossa (5) ibi : *licet filii abstineant ab hereditate , non ideo perdiderunt iuspatronatus* , cuiusmodi sententia tam in sacro , quam in profano patronatu locum obtinet. Nam docente Modestino Iureconsulto, *filio hereditate paterna se abstinentes ius, quod in libertis habent paternis , non amittunt* (6). *Ius* , (inquam cum Gothofredo ibidem) *obsequia* , *operas* , *bonorum possessionem*. Quin si filius , aliusve legitimus heres , instantibus hereditariis creditoribus negavit sese patris esse heredem pro vitandis eorum molestiis, adhuc ei patronatum defuncti spectare pluries Rota Romana definivit (7). Eoque vel maxime , si filius iubente iudice , ut declaret, num sit heres, tacuerit , atque in contumaciam super bonis hereditatis iacentis actum sit : tunc enim apertiori iure patronatum retinet. Nam *qui tacet, non utique fatetur , sed tamen verum est eum non negare* (8).

Discernere hinc maxime oportet heredis sui *abstinentiam* , quae in actu negativo consistit, *a repudiatione* , quae actu positivo expletur , ex rubrica Codicis *de repudianda , vel abstinenda hereditate*. Extraneos repudiare , suos vero heredes abstinere , vulgus perperam opinatur. Sane Ulpianus in filiis etiam repudiationem hereditatis paternae agnovit , sic inquiens: *Filius est in potestate: delata est ei bonorum possessio ex prima parte , unde liberis defertur: exclusus est tempore, aut repudiatione*. Aliud igitur est, ubi filius hereditatem reapse repudiaverit , et ius sibi quaesitum positive dimiserit : aliud , si eam

(1) Rot. *dec. 110. par. 2. div.* Card. de Luca *disc. 15.* de *iure patr. num. 5.*, et Piton. *alleg. 91. num. 55.* — (2) Cap. *ex litteris* VII. *de iurep.*
(3) Lib. IV. cap. 2. n. 9. — (4) L. *non vult 6.* D. *de reg. Iur.*
(5) In cit. can. *considerandum* [illegible] VI. q. 7.
(6) L. filii D. 9. *de iurep.* — [illegible] Romana Capellaniae 3. Iunii 1711. coram Ansaldo , *dec. 85. num.* [illegible] Celso , *dec. 16. num. 24. par. 19. rec.* , et in Perusina dotis 20. Iuni[illegible] coram Card. Caprara , relata per Franc. Fargna *to. 2. de iurepatr. p.* [illegible] *n. 1.*, *et 2. cas. 18. num. 28.*, *et seq.* — (8) L. 142. D. *de reg.* [illegible]

tempore aditionis elapso non adiverit abstinentia negativa. Priori enim casu patronatum una cum hereditate amittit. Posteriori autem sine bonis etiam hereditariis patronatum retinet, quoadusque iacens vacet hereditas, et alius sanguinis heres universali successionis titulo vacantem hereditatem coeperit. Namque patronatui hereditario obtinendo sat est filium, aliumve quemlibet sanguinis successorem proximum habitu, et potentia esse heredem, tametsi vel creditores generali bonorum sequestro, vel Fiscus confiscatione illum a capienda hereditate deturbaverit, ut supra dictum est *num. XXVII.*

XXXIV. Et donec paterna hereditas iacuerit, fas est filio, qui semel per abstinentiam longaevan, vel repudiationem ab hereditate exclusus sit ex capite *unde liberi*, re integra eam petere per successorium edictum *unde legitimi* vocantur (1), scilicet intra triennium computandum a die, quo maiorem aetatem attigerit (2).

XXXV. Hereditatis quidem aditio adeo est ei necessaria, qui ad patronatum hereditarium succedit, ut nisi ante constiterit de adita hereditate sive directa, sive indirecta, ad ipsum pertinentia, et quasi possessio patronatus in foro minime deferatur (3): etiamsi patroni successor fuerit filius, qui alias ipso iure praesumitur heres, paternamque hereditatem sine ullo temporis intervallo, ignorato quoque patris obitu, nanciscitur, atque ad quoslibet extraneos heredes transmittit (4). Aditio enim in mero facto consistens iure non praesumitur, nisi per allegantem probetur (5). (XXXVI.) Probari autem solet hoc in Regno per fidem praeambuli, seu decreti M. Curiae Vicariae, vel Curiae localis, quo rite declarantur defunctorum heredes sive ab intestato, sive ex testamento (*) (XXXVII.) Iure tamen communi, quod in ecclesiasticis patronatuum caussis ad forum episcopale pertinentibus maxime servatur, minime prohibetur patroni successor sine praeambulo hereditatem adire, sese pro herede gerendo, deque bonis, ac iuribus hereditariis, ut heres disponendo, factamque sic sine iudicis ministerio aditionem aliunde probare. Qui enim ex sua persona capere potest hereditatem, frustra personam alterius ad eam capiendam mutuatur. Sane aditionis actus a solo heredis animo dependens non exigit formam, certam de iure, sed verbis, aeque ac factis explicari potest (6).

XXXVIII. Si proinde qui existat in proximo successionis gradu, et praesentaverit beneficiarium in patronatu hereditario, eo ipso hereditatem adivisse dicitur, seseque in eam immiscuisse, quum citra ius,

(1) L. I. §. *sed videndum* II. D. *de successorio edicto.* — (2) *L. si quis ult. C. de repudianda, vel abstinenda hereditate.* — (3) Rota dec. 96. par. VI. rec. n. 3. — (4) *L. 1. §. qui sunt 6. D. si quis omissa caussa testati, et l. 3. C. de iure deliberandi.* — (5) Card. de Luca disc. 60. de iurep. n. 5.

(*) Iure Novissimo Cod. LL. Civ. art. 710. sancitum, quod hereditatis aditio si intra aestimationem illa fuerit tercenti duc, penes acta illius Regii Iudicis explenda sit, sub cuius iurisdictione locum habet defuncti successio. Quod si vires hereditariae maioris fuerint momenti, tunc ad insinuationem illius actus competens erit Civile Tribunal Provinciae, in cuius potestate defuncti extremum domicilium extabat. — (6) *L. gerit D. de adquir. hered.* Rota coram Cavaler. *dec. 395., et dec. 265. par. 3. rec.*

et nomen heredis praesentatio eiusmodi fieri non possit (1). Hinc praesentationem a Monasterio factam resolvi in aditionem hereditatis religiosi professi, affirmavit Pitonius *alleg. 66. num. 28.*

XXXIX. Heres autem tam suus, quam extraneus, qui se non immiscuit, neque adivit hereditatem, quoties tempus adeundi, immiscendive nec testator, nec iudex coarctaverit, poterit intra *longissimum* triginta annorum curriculum adire (2). Praescriptio sane *longi* temporis, quod est decem annorum, heredem a delata sibi hereditate vindicanda non submovet (3). At spatio triginta annorum ius petendi, et adeundi hereditatem fere praescribitur: contra Ecclesiam vero, et monasterium spatio annorum quadraginta (4). Triennium igitur filio abstinenti, ac repudianti ad paternam hereditatem vindicandam concessum a Iustiniano, ut paulo ante dictum est *num. XXXIV.*, locum obtinebit, ubi semel sese filius facto suo excluserit ab hereditate adeunda. Tricennale vero spatium, ubi nec factum heredis, nec iudicis intercesserit, quod successorem adeundi iure privasset.

XL. Monasterium itidem, quod sit succedendi capax, in iura omnia hereditaria monachi sui succedens ex persona ipsius monachi patronatum etiam in patrimonio eius existens adipiscitur (5). Succedendi autem capacia sunt monasteria fere omnia, religiosaeque domus tam virorum, quam foeminarum etiam mendicantium, exceptis domibus Fratrum Cappuccinorum divi Francisci, et Minorum de observantia, ut Tridentina Synodus decrevit (6) (*).

(1) Rot. Coram Cavaler. *dec. 395, et 382*, Car. Maranta *par. 5. resp. 74. num. 16.*— (2) *L. hereditatis 7. C. de petit. heredit.* Perez. *ad tit C. de iur. deliber. num. fin.* — (3) *D. l. 7., et l. licet in continenti 8. Cod. de iure deliber.* — (4) Piton. alleg. 66. n. 27. — (5) Piton. dict. alleg. n. 2. — (6) Sess. XXV. *de ref. regular.* cap. 3. (*) In regno Neapolitano sub Militari Regimine Religiosi omnes e Monasteriis expulsi fuerunt, iis exceptis, qui Mendicantes vocantur, necnon praedia, quae labentibus saeculis tum fidelium pietate, tum Principum munificentia illis largita fuerunt, in dies alienari visa sunt.

Verum in reditu Ferdinandi I. an. 1815. in nostras ditiones religiosas Domus ad Ecclesiae, et Societatis utilitatem restituendas esse fuit provvisum. Hinc Concordatorum Lege an. 1818. art. XIV. cautum.

I. Religiosas Domus eo maiori numero restituendas, quem dotationum, quae superessent, modus patiebatur, ex iis praesertim Institutis, quae iuventuti in Religione, et Litteris instituendae, curae Infirmorum, et praedicationi Verbi Dei incumbunt.

II. Bona Ordinum Regularium non alienata Religionis Domibus reserandis debita proportione esse adsignanda.

III. Numerus existentium Conventuum Mendicantium, quos Minores Observantes Regulares, Alcantarinos, et Cappuccinos vocant, augeatur, quoties circumstantiae, et fidelium necessitates id ipsum postulent.

IV. Religiosis Domibus constitutis, et dotatis, ipsarum, aequo ac Mendicantium Superioribus liberum foro Novitios acceptare.

V. Religiosos omnes in utriusque Siciliae Regno vel existentes, vel restituendos respectivis Superioribus Generalibus subiectos fore.

His adde quod art. XV. eiusdem Conventionis constitutum legimus:

Ecclesia ius habebit novas adquirendi possessiones, et quidquid de novo

XLI. Dum vero iacet patroni hereditas, curator ad tuendum iura hereditatis a iudice datus patronatum exercet nomine tam defuncti, quam heredis declarandi (1). *Hereditas* quippe *non heredis personam, sed defuncti sustinet*, ait Ulpianus (2). Attamen *curator constituitur rem ei salvam facturus*, qui declarabitur heres, ut idem Ulpianus respondit (3): itidem *custodiendis* ab eo *relictis*, *cui necdum quisquam civili, vel honorario iure successit*, docente Hermogeniano (4). Iure hinc merito curator hereditatis iacentis dicitur personam defuncti repraesentare eum in finem, ne iura ipsius depraedentur, utque in ea omnes actiones defuncto competentes salvae permaneant: quod autem ad dominium, possessionemque bonorum personam heredis repraesentat, eique adquirit, ac possidet (5). Quare ad praesentandum curator admittitur, ne lapso quadrimestri ius praesentandi devolvatur, vel amittatur, eo negligente officium suum: quod est tueri iura hereditatis.

XLII. Eodem iure tutor pupilli, balius, et curator minoris, furiosi, vel absentis heredis, et quivis alius legitimam hereditatis patroni administrationem habens patronatu hereditario potitur durante tutela, baliatu, curatela, atque administratione (6). Tametsi administrator patrimonii in concursu creditorum exercere non potest iura honorifica, nec patronatum (7).

CAP. XI.

DE GENTILITII ET FAMILIARIS PATRONATUS SUCCESSIONE.

I. Gentilitius, ac familiaris patronatus in capita defertur ad gentis, et familiae successores.

II. Gentilitius ad plures, familiaris ad unam plerumque familiam refertur.

III. Qualitas gentilitia, vel familiaris non praesumitur in patronatu, nisi eam expresse fundator praescripserit.

IV. Quae multifarias succedendi regulas patitur.

V. Perspicua fundatoris voluntas adamussim servanda primum est.

VI. Ambigua vero interpretationes accipit legitimas, et consuetas.

adquisierit faciet suum, et censebitur eodem iure, ac veteres fundationes ecclesiasticae.

(1) Aloys. Ricc. *dec. 11. par. 1.*, Barbos. *de pot. Episc. alleg. 71. num. 6.* — (2) In L. heredis 34. D. de adquir. rer. dom. — (3) In L. 1. §. 13. D. de collatione bonorum. — (4) In L. I. in fin. D. *de muner., et honor.*

(5) L. *cum hereditas* C. *depositi.*

(6) Piton. *de contr. patr. alleg.* [illegible], *et* Ricc. *cit. dec. 11.* — (7) Salgado in Lib. de laberynt. credit. [illegible] cap. 14. n. 89.

VII. Ad proximiores gradatim familiae, vel gentis successores fere defertur patronatus familiae relictus.

VIII. Nisi facultas praeeligendi remotiores de familia concessa sit in fundatione.

IX. Quinimmo ad patronatum individuum, et praesertim passivum tuque succedit maior natu.

X. Proximior ultimi patroni ex linea praedilecta praefertur proximioribus fundatoris de linea minus dilecta.

XI. Defectis tamen lineae praedilectae descendentibus, qui proximior fundatori sit, praefertur omnibus aliis.

XII. Filiis, ac nepotibus reservatum iuspatronatus, filiabus quoque, ac neptibus competit.

XIII. Etiamsi masculorum tantum filios praedilexerit fundator.

XIV. Quin sexus masculini qualitas non censetur in ulterioribus substitutionis gradibus repetita.

XV. Foeminarum filii a patronatu familiae maternae excluduntur.

XVI. Quoadusque supersint liberi de agnatione, ac familia.

XVII. Patronatus tamen masculinus pro masculis descendentibus institutus, ad masculos quoque foeminarum defertur.

XVIII. Praesertim, si masculi ex masculis descendentes defecerint.

XIX. Masculus enim lineae virilis excludit masculum lineae foemininae; ubi agnationem magis, quam cognationem respexerit fundator.

XX. Agnatitius patronatus in familiari linea substantiae masculinus in linea qualitatis consistit.

XXI. In agnatitio patronatu linea praedilecta in primis gradum, sexum, et aetatem: secundo gradus, aetatem, ac sexum: tertio sexus, aetatem vincit.

XXII. In masculino patronatu masculus, foeminae in familia nuptae, quae sit de praedilecta linea, vincit aliarum linearum masculos.

XXIII. Monachi etiam, et moniales de familia patronatum familiarem obtinent.

XXIV. Naturales tamen filii hereditario solum, non familiari patronatu sunt capaces.

XXV. Legitimati vero, itemque nepotes legitimi ex filio naturali ad familiarem admittuntur.

XXVI. Deficientibus familiae personis, gener, ac nurus succedunt ad fideicommissum, aeque ac patronatum.

XXVII. Extincta penitus familia, patronatus familiaris ad heredes extraneos ultimi morientis devolvitur.

XXVIII. *Nisi fundator illum personis familiae dumtaxat reservaverit.*
XXIX. *Quin si plures lineae, vel familiae divisim a fundatore nominatae sint, in ius deficientis lineae adhuc heredes extranei succedunt.*
XXX. *Nam divisio linearum ius adcrescendi tunc impedit.*
XXXI. *Hinc Episcopus in ius deficientis lineae quandoque succedit, tamquam compatronus, quoad alii supersint patroni.*
XXXII. *Omnibus vero deficientibus patronis, patronatus extinguitur.*
XXXIII. *Transitus qualitatis familiaris in hereditariam non datur in patronatu ex privilegio.*

I. Ab hereditario patronatu maxime differt *familiaris*, *et gentilitius* quod ad succedendi regulas. Hic enim *in capita* regulariter, non autem *in stirpes*, servata gradus proximitate pertransit ad gentis, et familiae successores: et magis accedit ad naturam profani libertorum patronatus. Ut enim Ulpianus tradit (1): *ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, ut in capita, non in stirpes dividatur.* Et Iulianus, *si ex duobus patronis alter unum filium, alter duos reliquisset*, dixit *viriles inter eos partes fieri* (2).

II. Tametsi autem uterque *familiaris*, et *gentilitius* unam, eamdemque naturam praeseferunt, et alter pro altero promiscue usurpatur saepissime apud DD., nihilominus stricta verborum notio alterum ab altero distinguit, non secus, quam totum a parte. Hoc sane inter gentem, ac familiam interest, quod inter totum, ac partem: multas enim familias gens una complectitur. Cicero in topicis ad Trebatium, *gentiles esse* ait, *qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum maiorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti.* Quo spectant illa carmina Ovidii de genere Fabiorum sic scribentis (1).

Una domus vires, et onus susceperat Urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.

Quandoque tamen *gentiles* dicuntur ex eadem familia oriundi. Ulpianus enim (4) appellationem *familiae* refert ad significandum quoddam corpus plurium personarum tam *iure proprio*, et strictiori, quam *Iure communi* universae cognationis. *Iure proprio* familiam accipi tradit pro pluribus personis unius potestati subiectis: puta patrem, et matrem familias, filium, filiamque familias, nepotes, ac neptes, aliosque deinceps vicem liberorum tenentes. *Communi Iure* familiam dicit omnes

(1) Tit. 27. §. 4. apud D. Gothofred. — (2) L. *si libertus* 23. D. *de bonis libertorum.* — (3) Lib. 2. *Fast.* — (4) In L. *pronunciatio* 195. §. 3., et 4. D. de verb. signif.

agnatos, ex eadem domo proditos illorum, qui sub uuius potestate fuerunt, tametsi eorumdem singuli, patrefamiliss mortuo, singulas habeant iure proprio familias: vel personas omnes, quae ab eiusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: sicuti dicebant familiam Iuliam, quasi a fonte quodam memoriae.

III. Quum vero patronatus in dubio, hereditarius praesumatur ex traditis in superiori *cap. X. num. 1.*, consequens est, ut gentilitius, ac familiaris nequaquam putetur, nisi ubi fundator expresse illum alicui genti, vel familiae reservaverit. Multiformes tamen occurrunt regulae succedendi ad huiusmodi patronatum (IV.). Nam gente, vel familia vocata ad patronatum quinam veniant; utrum scilicet proximiores, exclusis remotioribus, necne: an agnati simul et cognati, vel masculi simul, et foeminae, vel descendentes familiae contentivae non minus, quam effectivae, an potius excludantur cognati foeminae, et familia contentiva; frequentes oriuntur in foro disceptationes, quas profecto ius diversum defluit ex diversis casuum circumstantiis, variisque fundatorum dispositionibus, et coniecturis voluntatem eorum multiformiter indicantibus.

V. *Quum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio*, ait Paulus ad Neratium (1). Ideoque, ubi fundator aperte praescripserit personas in patronatu gentilitio, vel familiari successuras, tunc omnis dubitatio cessat. *Quorsum enim verba, nisi ut voluntatem dicentis demonstrent?* inquit Celsus (2).

VI. Quum vero ambigua, et dubia fuerit fundatoris voluntas, verbis inter sese pugnantibus, eam aequus, et bonus vir iuterpretabitur, et coniiciet nedum ex tenore dispositionis, verum etiam ex probatis, consuetisque iureconsultorum regulis. *Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere*, commonuit laudatus Celsus (3). *In ambiguis sane orationibus maxime sententia spectanda est eius, qui eam protulisset*, docente Moeciano iurec (4). Et quoniam *voluntatis defuncti quaestio in aestimatione iudicis est*, ut rescripsit Imperator Alexander (5): aestimationem, arbitriumque suum aequo, et bono iure diriget, quod usurpatur passim a Doctoribus in quaestionibus fideicommissorum, feudorum, et emphyteusis maxime congruentibus cum materia patronatus. Sane receptum in praxi est, ubi aliter in fundatione dispositum non sit, recte argui a fideicommisso, feudo, et emphyteusi ad patronatum, quemadmodum et Rota Romana, et Pragmatici beneficiorum ius tractantes frequentissime huiusmodi argumento utuntur (6).

VII. *Familiaris* hinc patronatus, seu cuidam familiae relictus ad omnes quidem illius familiae personas pertinet, non tamen simultanee, seu uno, eodemque tempore: sed regulariter ordine successivo debetur

(1) In L. *ille, aut ille* 25. D. *de legat.*, *et fideicom. tertio.* — (2) In L. *Labeo ait* 7. § 2. D. *de suppellectili legata.* — (3) In cit. L. 7.

(4) In L. *in ambiguis* 99. D. *de reg. Iur.* — (5) In L. *voluntatis* 7. C. *de fideicommissis.* — (6) Rota dec. 68. par. 12. rec. n. 7. Card. de Luca disc. 50. *de iurep.* n. 5.

iuxta gradus praerogativam proximiori ad exclusionem remotiorum: quia negari non potest, quin inter plures unius familiae personas praevaleat ordo charitatis, et maioris dilectionis, quam quisque testator gradatim habere praesumitur erga successores suos, pluresve alios sibi inaequaliter sanguine coniunctos (1). Quandoquidem Iustinianus rescripsit ad familiare fideicommissum personas *gradatim* vocari (2), ubi probatissimam veterum Iureconsultorum sententiam Imperator firmavit. Papinianus enim responderat petere posse fideicommissum *familiae* relictum omnes, qui in familia fuerunt. *Quid ergo* (ait), *si non sint eiusdem gradus? ita res temperari debet, ut proximus quisque primo loco videatur invitatus* (3). Quin istam proximioris praelationem maxime suadet ius profani patronatus ab Iuliano traditum (4). *Si libertus* (ait) *intestato decesserit, relictis patroni filiis, et ex altero filio duobus nepotibus, nepotes non admittentur, quamdiu filius esset: quia proximum quemque ad hereditatem liberti vocari manifestum est.* Papiniano consonat Modestinus (5), inquiens: *in fideicommissum, quod familiae relinquitur ad petitionem eius admitti possunt, qui nominati sunt, et qui ex his primo gradu procreati sunt, nisi specialiter defunctus ad ulteriores voluntatem suam extenderit.*

VIII. Hisce postremis verbis palam innuitur limitatio huiusce regulae. Si enim fundator demandaverit patronatum transmittendum fore ad aliquem certae familiae; tunc heres, vel quivis alius possessor patronatum remotioribus de illa familia recte legabit, excluso proximiori. Quod sane comprobatur auctoritate Papiniani (6): Quoties enim *unum ex familia propter fideicommissum a se relictum heres eligere debet, cum moreretur... si cum forte tres ex familia essent eius, qui fideicommissum reliquit, eodem vel dispari gradu, satis erit uni reliquisse*, respondit Iurisconsultus. *Uni*, inquies cum Glossa, *etiam remotiori, quia hic heres habebat electionem.* Distinguenda hinc est aeque in patronatu, atque in fideicommisso familiari vocatio *directa* familiae a vocatione *indirecta*. *Directa*, seu *immediata*, ubi nulla eligendi facultas heredibus, vel patronis data sit, proximiores praefert remotioribus; *indirecta* vero, seu *mediata*, et *obliqua* una cum proximioribus promiscue remotiores admittit arbitrio heredis electionem habentis.

IX. Et ubi exercitium patronatus individuum maluerit fundator, puta si demandaverit ab uno tantum successore de familia patronatum fore possidendum, exercendumque: vocatus tunc praesumitur primogenitus, ac natu maior (7). Idque locum obtinet potissimum in passivo patronatu clericis de familia relicto, qui nedum proximiori, sed natu etiam

(1) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 14. Card. de Luca *de fideic. disc.* 146. *num.* 10. — (2) L. fin. C. *de verb. signif.* — (3) L. *peto* 69. §. *fratre* D. de legatis 2.—(4) In L. *si libertus* 23. D. de bonis libertorum.

(5) In L. *cum ita* 33. §. ult. D. eodem tit. — (6) In L. *unum ex familia* 67. D. *eodem*. — (7) Socin. sen. *cons.* 2. §. 2. *lib.* 2. Card. de Luca *disc.* 52. *de fideicom. num.* 14., *et disc.* 183. *num.* 4., *et* 17.

maiori debetur, tamquam individuus (1). In beneficio enim unus tantum clericus institui potest.

X. Quid vero dicendum, si uno eodemque tempore plures proximitatem sanguinis diversam ostentent, unus puta proximior fundatori, alter ultimo patronatus possessori proximior sit? Quaestionem hanc in materia quoque fideicommissorum Doctores discordibus sententiis pertractant (2).

XI. Ad quam dirimendam maxime conducit textus consuetudinum feudalium (3), his verbis conceptus: *Si quis habens beneficium feudi quatuor superstitibus filiis decedat, et feudum ad unum solum ex divisione deveniat, et iste superstitibus filiis duobus, vel tribus decedat, qui patrueles dicuntur, et ad unum eorum idem feudi beneficium ex divisione perveniat, et similiter iste possessor pluribus filiis relictis moriatur, ad quorum unum pariter feudum pertingat, licet etiam ex aliis superioribus, vel primis fratribus supersunt masculi: si feudi possessor ultimus decesserit nullo relicto filio, an ad omnes, vel ad quos perveniat, quaeritur? Respondeo ad solos, et ad omnes, qui ex illa linea sunt, ex qua ille fuit: et hoc est, quod dicitur* ad proximiores *pertinere. Isti vero* proximiores *esse dicuntur respectu aliarum linearum: sed omnibus in hac linea deficientibus, omnes aliae lineae aequaliter vocantur.* Hucusque textus feudalis. Quoties igitur supersint descendentes ex praedilecta linea primogeniti, aliusve personae speciatim nominatae, ac semel admissae, ii collateralibus aliarum linearum fundatori proximioribus praeferuntur, quum proximitas fundatoris tunc vincat. Secus vero, ubi omnes eiusdem lineae praerogativae descendentes defecerint, et nullam aliam praedilexerit gradatim fundator: tunc enim ex aliis lineis, personisque nominatis descendens, qui fundatori proximior sit, praeferendus est, posthabitis collateralibus ultimo patrono proximis.

XII. Filiis, ac nepotibus reservatum iuspatronatus, ad filias etiam, ac neptes pertinet. Namque *pronunciatio sermonis in sexu masculino, ad utrumque sexum porrigitur*, ex Ulpiani axiomate (4). Mulier autem *familiae suae caput, et finis est*, ait idem Iureconsultus ibidem §. *familiae*. Quamobrem foeminae, quoadusque inter vivos agunt, etiamsi extra familiam nuptae sint, retinent una cum sanguine paterno agnomen, et praerogativas familiae suae, et consequenter familiarem quoque patronatum (5).

XIII. Si propterea quis, filiabus exclusis, masculos tantum filios heredes instituit, atque ad patronatum familiae suae vocaverit cum reciproca inter eos substitutione, *si sine filiis decederent;* neptem defuncti filii natam superstitem adhuc ad praesentandum admittemus. Tametsi enim hoc in casu perplures Doctores censuerunt neptem istam a pa-

(1) Card. de Luca disc. 87. *de iurep.* n. 7.—(2) Ioseph de Rosa *consult. l.* 2.
(3) *In cap. un. de natura successionis feudi lib.* 2. *tit.* 50. — (4) In L. *pronunciatio* 195. D. *de verb. signif.* — (5) Rota dec. 797. n. 9. par. 18. rec. tom. 2., et dec. 660. n. 8. par. 29. rec. tom. 2. Paris. cons. 51. n. 131. et Aloys. Ricc. dec. 175. n. 123.

truo suo excludi ab hereditate in iis praesertim locis, ubi vigeat statutum, vel consuetudo foeminas excludens in concursu masculorum (1), in Regio tamen Consilio Neapolitano praevaluisse contrariam sententiam, quae neptem patruo prefert, contestatur Capycius Latro (2), et Ioseph de Rosa (3).

XIV. Eaque antesignanum habuit Ananiam *in cons.* 22., qui praelationem masculorum minime repetitam in descendentibus masculorum opinatus est: tamquam a communibus succedendi regulis exorbitantem. Tametsi e contrario Abbas (4) censuit repetitam in ulterioribus quoque gradibus qualitatem masculinam in prima substitutione expressam. Et Abbati favere videtur Ulpianus (5), qui respondit *etiam qualitatem posse postea addi: nam et si adiecta non fuisset, utique placeret coniectionem fieri eius, quod reliquit in scripturis testator vel ex vicinis scripturis, vel ex consuetudine.*

Masculorum insuper praelationem inter descendentes in perpetuum, si pluribus filiis, vel lineis discretive fundator ab initio reservaverit patronatum, intelligitur voluisse etiam discretive in unaquaque linearum, quatenus masculi foeminas unius, eiusdemque lineae excludant: at masculis in linea non extantibus fueminae succedunt, semotis omnino masculis aliarum linearum: nam tamquam odiosus saltus de una ad aliam lineam in dubio non praesumitur a fundatore volitus (6). Quod sane consonat cum recepto iure feudorum *in cap.* 1. *de duobus fratribus. Duo fratres* (inquit textus feudalis) *scilicet Titius, et Seius a quodam capitaneo de novo beneficio simul investiti sunt, eo videlicet tenore, ut quamdiu ipsi, vel eorum heredes masculi viverent, et masculis deficientibus, foeminae si superessent, feudum haberent. Ex fratribus his unus una filia relicta, altero adhuc vivente, decessit, quaeritur, cui portio defuncti deferatur, utrum filiae, an fratri? Respondetur filiae.*

XV. *Foeminarum liberos in familia earum non esse, palam est: quia qui nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur,* ait Caius Iureconsultus (7). Communi hinc Iure Pandectarum familia pro agnatione accipitur. Secus tamen dicendum esset de Iure Codicis. Quandoquidem Iustinianus, sublata veterum differentia agnationem inter, et cognationem in successionibus, declaravit sub nomine familiae in fideicommissis nedum agnatos, sed cognatos etiam intelligi comprehensos (8) ideoque *familiae* verbum magis ad posteros, et descendentes de sanguine sive masculorum, sive foeminarum, quam ad agnationem referre voluit Imperator (9). Ob universalem nihilominus consuetudinem Ita-

(1) Peregrin. *de fideicomm. art.* 25. *num.* 56., et Fusar. *de substit. qu.* 402. *num.* 283. — (2) Dec. 127. lib. 2. — (3) Consult. 69. n. 66. — (4) Cons. 36. lib. 1. — (5) In L. *heredes palam* 21. §. 1. *de testamentis.* — (6) Peregr. *de fideicomm. art.* 27. *num.* 13., *et seq.* Card. de Luca *de linea legali art.* 12. *num.* 27.

(7) In L. *familiae* 196., D. *de verb. signif.* — (8) *L. fin. C. de verb. et rer. signif.* Fusar. *de substit. quaest.* 352. — (9) Car. Ant. de Luca *de linea legali art.* 12. *num.* 6.

liae, et huius Regni mores potius antiquum ius Digestorum, quam Codicis hac in re sequimur; nam agnati praeferuntur cognatis in successionibus ascendentium: et cognatos familia minime complectitur ex communi loquendi usu, et interpretatione; sed agnatos solum, seu descendentes per virilem sexum (1). Quamobrem hoc in Regno patronatus familiae reservatus, ad filios foeminarum de familia nequaquam transit (2). Qui enim ex foeminis nascuntur, de aliena familia, patris videlicet, non matris sunt.

XVI. Papinianus (3) censuit filium matris heredem in familia materna comprehendi, inquiens: *cum inter libertos ad praedii legatum, liberta quoque fuisset admissa, qua patronus petit, ut de nomine familiae non exiret, heredem liberta filium partem praedii, quam mater accepit, retinere visum est.* Hanc tamen Papiniani sententiam locum obtinere censeamus deficientibus agnatis, ob rationem infra expendendam *num.* XVIII., XXVII., *et seqq.*

XVII. Vocatis autem descendentibus masculis, veniunt pariter masculi ex foemina descendentes ad patronatus masculini successionem (4). Namque volita non censetur agnatorum dumtaxat descendentia masculina, ubi testator eam non expresserit: atque in dubio attendenda est regula Iuris communis cognatos cum agnatis aequaliter admittens in successionibus. Vel Iuris municipalis sententia foeminas successive post masculos admittens. Quo inspecto vocabulum *familiae* latius patet, quam illud *agnationis*.

XVIII. Quamobrem non valet extraneus heres, qui agnatus non sit, masculum e foemina descendentem amovere, vel a fideicommisso, vel patronatu familiari, et masculino: hoc enim casu nullus potiora iura extraneo contra masculum cognatum asseret, vel tuebitur, ut docet Aloysius Mansi (5).

XIX. Nihilominus controversia inter DD. adhuc pendet, atque in Tribunalibus occurrere solet, utrum masculus ex masculo, seu agnatus existens cognatum, seu masculum ex foemina fortasse proximiorem excludat. Quam coniecturis, et facti circumstantiis definire opus est. *Ex multis sane colligetur evidens diversa voluntas testatoris*, ait Ulpianus (6). Quoties enim pro agnationis decore masculos praedilexisse videtur fundator, masculi solum ex masculis progeniti succedunt. Secus vero, ubi sexum tantummodo virilem respexerit: et patronatum masculinum in linea qualitatis, non autem in linea substantiae maluerit: quemadmodum in fideicommissi materia distinxit de Rosa (7).

XX. Nunc patet discrimen patronatus *agnatitii*, *et masculini*. Ad

(1) L. 2. §. 1. *D. de su[illegible] legitimis*, Vinc. Fusar. *par.* 2. *q.* 352. Peregr. *de fideicomm. art.* 2[illegible] [illegible]lter. *lib.* 2. *qu.* 11. *num.* 77. Rota apud Vivian. *decis.* 71., *et* 137. [illegible] Luca *disc.* 26. *de iurep. num.* 6., Rota coram Falconerio *tom.* 2. [illegible] 56. *in Aquilana Capellaniae.*—(3) In *L. cum pater* 77. §. *cum pater* [illegible] legat. 2.

(4) Rota Rom. *dec.* 46. *num.* [illegible] 11. *rec*, *et decis.* 463. par. 12., et dec. 306. 13. *num.* 4. Allograd. [illegible] 89. — (5) Tom. IX. *consult.* 105. n. 59. — (6) In L. *licet Impe*[illegible] D. *de leg.* 1. — (7) Dict. consul. 69. n. 41.

masculos simul, et foeminas de agnatione pertinet agnatitius in linea *substantiae,* masculos, et foeminas complectente. *Masculinus* vero ad solos masculos plurium linearum, qui lineam *qualitatis* constituunt.

XXI. Si autem ad patronatum familiarem fundator vocaverit primum descendentes a primogenito natu maiores, deinde post extinctam primogeniti lineam descendentes a secundogenitis gradatim cum praelatione masculorum: tunc linea patronatum semel adepta vincet gradum, sexum, et aetatem: hoc est quaelibet persona lineae praerogativae sive masculus, sive foemina omnibus aliarum linearum antefertur. Tum extincta linea praerogativa gradus vincet aetatem, et sexum: hoc est succedet gradu proximior sequentis lineae. Si tamen plures in eodem gradu supersint utriusque sexus, aetatem sexus vincit; hoc est masculus foeminam excludet. Si vero unius eiusdemque sexus fuerint omnes, maior natu praeferetur natu minoribus: ideoque aetas vincet. Quae modo expensis rationibus facile comprobantur, simul et auctoritatibus Doctorum de fideicommisso lineali scribentium praesertim Rovit. (1), et Ioseph de Rosa (2).

XXII. Ultimi autem possessoris lineae semel ingressae filia si nupserit in familia fundatoris effectiva, cum viro scilicet eiusdem familiae licet remotieri; quos ista peperit masculos, ii profecto masculos aliarum linearum licet proximiores antecellunt, tanquam praediti ambabus qualitatibus agnationis, et sexus masculei. Prout in fideicommisso agnatitio, et masculino familiae Sanseverinorum definivit Rex Alphonsus, laudatus a Regente de Ponte (3), et de Marinis (4).

XXIII. Qui vitam quoque religiosam in aliqua ex probatis religionibus fuerint solemniter professi, ad patronatum gentilitium, ac familiarem admittuntur: tametsi fictione iuris mundo mortui habeantur: quoniam naturalia sanguinis iura, quae immutabilia sunt, minime tollit professio religiosa humano iure inducta (5) Quandoquidem *ius adgnationis non posse pacto repudiari, non magis quam, ut quis dicat, nolle suum esse*, Iuliani sententia est (6). *Et iura sanguinis nullo Iure civili dirimi posse* (7). Cui consonat Gratianus (8). Quum vero propter votum paupertatis nil proprium habere possint professi regulares, professaeve moniales (9), et omnia bona, et iura sua tradere Monasterio nequeant; nonnisi cum expresso Abbatis, vel alterius Superioris consensu praesentabunt, aliosque actus patronatus exercebunt (10). Mortuo tamen professo monacho, professave moniali, monasterium, eiusque Superior ab omni familiaris patronatus iure excluditur, tamquam extincto cum persona religiosi, vel religiosae (11). Quidquid aliter sit in patronatu hereditario, de quo supra dictum est *cap.* X. n. XL.

(1) Lib. 1. cons. 15. n. 7. — (2) Consu[illegible] 69. n. 2. — (3) Cons. 154. n. 40. vol. 2. — (4) Lib. 1. resol. cap. 3[illegible] Rot. *dec.* 336. 9. *num. par.* 5. *rec.*, *et dec.* 341. *num.* 9. coram [illegible] — (6) In *ius adgnationis* 34. D. *de pactis.* — (7) In L. *iura* 8. D. *de* [illegible] — (8) In §. sed *cum naturale* dist. 5. — (9) Trident sess. XXV. [illegible] cap. 1., et 2.

(10) Seraphin. dec. 1328., et [illegible] (11) Ricc. *dec.* 220., et Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. n. 64.

XXIV. Naturales filios extra matrimonium illegitime natos patronatu hereditario capaces quidem agnoscunt Doctores (1). Quod vero ad patronatum familiarem, ac gentilitium, scribentes dissentiunt. Quem alii denegant illegitimis, sustinendo eosdem in gente, familia, et agnatione minime contineri (2). Istiusmodi distinctionem maxime comprobat Iustiniani textus (3). Ubi naturales liberos tunc solum ad hereditatem paternam, excluso substituto admittit Imperator, quum pater eis partem hereditatis reliquerit: si tamen filio naturali sine liberis decedenti substiterit, locum dat substitutioni, dum naturalis filius sine iusta sobole decesserit. Quemadmodum ergo hereditas filiis in conditione positis ad illegitimos, et naturales minime defertur, ita patronatus certae familiae, gentisve liberis relictus, nonnisi legitimis, iustisque filiis deberi videtur.

Nihilo tamen minus Rota in patronatu pro illis de familia, agnatione, et domo reservato comprehendit etiam naturales (4). Itidem ex Hispaniae consuetudine illegitimos, aeque ac legitimos liberos nobilitate parentum gaudere, in ipsorumque genere, familia, et parentela connumerari tradunt Canonistae (5). Pitonius observat ibidem *parentelae* (*) vocabulum naturale, non civile esse, idemque sonare quod consanguinei, et propinqui (6). Insuper *familiae* verbum ad illegitimos etiam extendit Marta (7). Praetereaque procreatos a coniugato sum soluta muliere per accidentalem concubitum sine concubinatus consuetudine non connumerat inter filios ex damnato coitu, nec iure cognationis destitutos censent Marta aliique (8). Praesertim, ubi illegitimis, et naturalibus concurrant extranei heredes: eo enim casu ex praesumpta fundatoris praedilectione filii extra nuptias procreati facilius admittendi sunt (9). Propius ad veritatem accedunt in hac quaestione, qui verba civilia a naturalibus distinguunt. *Familiae*, et *agnationis* vocabula civilia respuunt fere illegitimos, naturalia vero vocabula *sanguinis*, et *parentelae* legitimos, et iustos, aeque ac naturales, et illegitimos natos com-

(1) *In cap. cum secundum de iurep.* Card. Paleothus *in tract. de nothis, et spur. qu.* 61. Ricc. *dec.* 196. *num.* 8. Vivian. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 28.
(2) Roch. de Curt. *ver. competens alicui qu.* 2. Thesaur *dec.* 19. Peregr. *de fideic. art.* 22. *num.* 81., et Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 65.
(3) In L. *generaliter* 6. C. *inst., et subst.* — (4) In Mediolan. Archipresbyteratus 7. Ian. 1710 §. *non adversante*, et in Salernitana alimentorum 16. Decemb. 1712. coram Falconerio impress. apud Piton. post *alleg.* 41. *n.* 113.
(5) Gonzalez ad reg. VIII. Canc. Glos. V. n. 123. Garzias *de benef.* par. VII. cap. XV. n. 53. Castill. cap. 67. n. 31. Piton. discept. eccles. VII. n. 24., et discept. 41. n. 3.
(*) Quo sensu illud usurp[illegible]ricus I. *in const. sancimus de iure protimeseos.*
(6) Rebuff. *in l. appellation*[illegible] *de verb. sign.* — (7) De succes. par. IV. q. 21. art. 5. — (8) *De su*[illegible]*t.* 1. *qu.* 16. *art.* 1. *nu.* 29., *et seq.* Card. de Luc. *disc.* 10. *de su*[illegible] 15., et Card. Ant. de Luca *lib.* 1. *de linea legali art.* 2. *n.* 28. — [illegible] *de illegitim. comment.* 1. § 5. *num.* 152. Card. de Luca *discur.* [illegible]*om. num.* 8.

prehendunt (1), Pitonius (2) ex circumstantiis rerum civilem *familiae* significationem extendit etiam ad naturalem, quatenus nedum legitimi descendentes de sanguine, sed naturales etiam sub vocabulo familiae ad patronatum intelligantur a fundatore vocati, ubi aliqua talis voluntatis coniectura urgeat. Quandoquidem Iustinianus *degeneres*, seu extra genus familiae naturales appellat civiliter, seu nothos, et obliquos, obliquo sanguine domum, et familiam maculantes, iuxta illud Lucani: *Obliquo maculat qui sanguine regnum:* vocabulum tamen *cognationis* in istos degeneres homines quoque extendit, ubi legitima, et iusta soboles nullum eis facit impedimentum (3).

XXV. Naturales tamen *legitimati* per subsequens matrimonium, aeque ac orti ex iustis nuptiis, procul dubio tam fideicommissum, quam patronatum familiae paternae relictum consequuntur; *tanta* enim *est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur* ab Alexandro III. (4). Et Iustinianus omnes liberos tam ante, quam post matrimonium ex iisdem genitoribus procreatos una, eademque lance trutinat sine ullo discrimine, similique fortuna eos perfrui declaravit (5). Nisi fortasse fundator maluisset filios ante nuptias ortos a patronatu familiae suae excludere. Talis enim eius voluntas perinde in patronatu servanda est, ac testatoris in fideicommisso, ex Ulpiani responso (6). Quid vero dicendum de legitimatione rescripto Summi Pontificis, aut Principis, vel oblatione Curiae, vel testamento, vel per ingressum in religionem? Hanc etiam patronatui familiari in spurios transferendo idoneam habent Doctores (7). Utpote quae omne tollit obstaculum Iuris humani, filios naturales minime aequiparantis cum prole iustarum nuptiarum in successionibus, et praerogativis familiarum. Iisdem legitimatis favet Senatus Parisiensis (8).

Quid tandem, si ex naturali filio nepos legitimus, et naturalis existat? Iustinianus ob intermedium sobolis naturalis nullum ius legitimum subesse, nec necessitatem aliquid eis, aliter, quam filiis legitimis, ac naturalibus, relinquendi: neque iisdem nepotibus ab intestato avi successionem indulsit, sed ex testamento dumtaxat. Nihilominus deficiente iustarum nuptiarum prole, substantiam avi paterni, vel proavi, vel eius cognationis nepotibus a naturali filio procreatis non adimit, si quis saltem huiusmodi *cognatis* verbum ad eosdem maluerit extendere (9). Quoties igitur verba fundatoris, qui patronatum familiarem reservavit, aperte non excludant naturales et degeneres, sed aequa interpretatione ampliari valeant ad cognationem naturalem, le-

(1) Rot. coram Emerix iun. *dec.* 867. *num.* 2., *et. dec.* 262. *num.* 6. *par.* 8. *rec.*, *et dec.* 241. *num.* 10. *par.* 16. *rec.*, et in Regien. iurip. coram Pancirolo impress. post Ciarlin. *contr. for. cap.* 152. *num.* 77., et Piton. *discept. eccl.* 53. *num.* 36. — (2) In seq. num. 38. — (3) L. quidam 12. C. *de natur. liber.*

(4) In Cap. *tanta est* 6. *qui filii sint legitimi.* — (5) In L. *cum quis* 10., et seq. L. II. C. *de naturalibus liberis.* — (6) In L. *ex facto* 17. §. 6. D. ad S. C. Trebell. — (7) Roc. *verb. competens qu.* 2. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 69., *et* 70. — (8) Apud Papon. 20. *arrest.* 3. §. 5. — (9) *D. l. quidam* 12., et fin. C. *de natural. liber.*

gitimis naturalium successoribus tunc aditus ad patronatum dari poterit post lineae legitimae extinctionem.

Legitimi tantum, seu adoptivi filii, quum non vere, sed fictione iuris dicantur legitimi; a familiaribus praerogativis fere excludendi sunt. Quemadmodum Ulpianus a fideicommisso favore liberorum demandato eos exclusit, admisso extraneo substituto (1), ibi: *Is, cui in tempus liberorum tertia pars relicta est, utique non poterit adoptando tertiam partem consequi.*

XXVI. Deficientibus familiae personis, generum, ac nurum perinde ad patronatum familiarem admitti, ac ad fideicommissum familiae relictum persuadet ratio. Namque in familia generum, nurumque numerat gradatim Iustinianus (2). *Si quis* (ait) *fideicommissum familiae suae reliquerit, nulla speciali adiectione super quibusdam certis personis facta; non solum propinquos, sed etiam, his deficientibus, generum, et nurum vocari.*

XXVII. Deficiente omnino familia, vel gente, cui fuisset relictus patronatus, Geminianus *conf.* 45., aliique post eum opinabantur patronatum extingui, Ecclesiamque ad liberam Episcopi collationem devolvi. At Ancharanus *conf.* 81., et communiter DD. ceteri censuerunt patronatum tunc transire ad heredes tam ex testamento, quam ab intestato ultimi de familia, vel genere morientis, proindeque fieri hereditarium. Quum enim patronatus de sui natura sit transitorius ad heredes extraneos, provisio hominis indefinita, et generalis pro certa familia, et stirpe, nisi facta sit taxative, non debet provisionem legis tollere. Istamque sententiam probe amplexa est Rot. Rom. (3) Quandoquidem casum deficientis familiae, vel gentis quotiescumque fundator omiserit, reliquisse censetur dispositioni iuris, quod patronatum defert quibuslibet heredibus. Et reservatio familiae intelligitur fere demonstrativa, non taxativa, ut videlicet locum habeat durante, non autem extincta familia (4). Congruit id fideicommissis, quae si pluribus de familia relicta fuerint, ad superstitem adeo pertinent, ut quicumque is fuerit, ad heredem suum dominium transmittat, nec alii fideicommisso adstringatur ex rescripto Severi, et Antonini (5). Papinianus quoque inquit (6): *Praedium pater de familia liberorum alienari verbis fideicommissi prohibuit supremus ex liberis, qui fideicommissum petere potuit, non idcirco minus actionem in bonis suis reliquisse visus est, quod heredem extraneum sine liberis decedens habuit.*

XXVIII. At vero limitationem accipit Ancharani consilium, locusque datur adversae Geminiani sententiae, eo in casu, ubi fundator verbis *taxativis* patronatum certae familiae, ac stirpi reservaverit: quod

(1) L. si ita 51. in fin. D. [illegible] 2.
(2) In l. suggestioni ult. C. [illegible] rer. signific. — (3) *Dec.* 385. *par.* 1. *divers. dec.* 220. *par.* 11. *rec.*, [illegible] — (4) Vivian. *lib.* 4. *cap* 9., Lotter. *lib.* 2. *qu.* 11. — (5) *In l.* [illegible] *ribus relictum* 2. *C. quando dies legati, vel fideic. cedat.*, *et l. qui* [illegible] 78. §. 3. *D. de leg.*, *et fideic.* 2.
(6) In L. indic. *qui solidum.*

nimirum *solis* familiae vocatae personis *tantum*, vel *dumtaxat*, vel *solummodo* patronatus pertineret, et numquam heredibus extraneis: vel aequipollentibus, et synonimis: puta quod *nonnisi* ad illos de sanguine pertineret, et *non ad alios:* sive quod de familia, aut progenie, aut stirpe numquam egredi posset (1). Nihilominus verba eiusmodi taxativa solerter sunt ponderanda, quae nonnumquam fallunt. Profecto si adiecta sint patronatui, eiusque reservationem spectent, ea transmissionem ad extraneos impediunt. Secus, si masculorum, agnatorumve personis adnexa sint excludendi gratia foeminas et cognatos, puta ubi fundator reservare dixerit patronatum *masculis tantum* descendentibus familiae suae, tunc enim talibus verbis minime obstantibus, patronatum familiarem ad heredes adhuc transmitti ab ultimo moriente, Rota definivit coram Bichio (2). Probabilis sane coniectura voluntatis fundatoris pro heredibus, praesertim de foemineo sanguine descendentibus accipitur.

XXIX. Si autem duabus lineis, vel familiis reservatum fuerit iuspatronatus, adhuc alterius deficientis portio ad heredes ultimi morientis pertinebit (3). Et licet in una eademque persona sint incompatibiles pure familiaris, et pure hereditarii qualitates (4), haec nihilominus regula limitatur, ubi ius praesentandi, et exercitium patronatus in plures personas, vel stirpes, ac descendentibus fuerit divisum, ut pluribus probat Pitonius (5).

XXX. Sane divisio linearum ius adcrescendi impedit, ac submovet, ex recepto Iuris communis axiomate in consimili servitutum realium materia. Nam Papinianus, et Ulpianus potissimum ius adcrescendi usumfructum legatum admittunt inter legatarios vel verbis, vel re coniunctos: denegant vero iis, qui nullam in legato habuerint coniunctionem (6). Ibi *Papinianus scribit salvum esse inter eos ius adcrescendi: illos enim tametsi non verbis, re tamen coniunctos videri. Placet enim nobis ei, qui amittit usumfructum ex eo, quod amittit, nihil adcrescere* (7). Nec repugnat servitutem partim remitti, et partim retineri (8).

XXXI. Consequens hinc est Episcopum ab ultimo alterius lineae patrono moriente institutum heredem succedere in ius eiusdem deficientis lineae, tamquam compatronum, quoadusque alii supersint extantium linearum patroni: neque adcrescere lineae superstiti. Quod plenissime comprobat Pitonius (9). Innixus enim auctoritatibus Lambertini, Philippi de Saracenis, Archidiaconi, Goffredi, Butrii, aliorumque Canonistarum demonstrare studet in eiusmodi casu minime repugnare, quod Episcopus praesentet ut compatronus, et instituat ut Ordinarius.

XXXII. Cum vero defuerint universi patroni, tam scilicet descen-

(1) Card. Paris. *conf.* 48. *num.* 6. *lib.* 4., et Rota coram Bichio *dec.* 581. *num.* 3. — (2) *Dec.* 581. Piton. *lib.* 1. *discept. eccl.* 33. *num.* 5. — (3) Merlin. *dec.* 798. Vivian. *dec.* 120. *num.* 24. — (4) Rota *dec.* 293. *par.* 10. *rec. num.* 21., et Merlin. *dec.* 870. *num.* 4. — (5) Alleg. 76. n. 10., et seq.

(6) L. *sicut* 3. D. *quibus modis ususfr., vel usus amittitur.*

(7) *L. sicut* 3. §. 2. *D. quemadm. ususfr., vel usus amitt.* — (8) L. 34. D. *de servit. rustic. praediorum.* — (9) Alleg. 15. per totam

dentes familiae, quam heredes legitimi, sive ex testamento, sive ab intestato, patronatus procul dubio evanescit, et Ecclesia plenum libertatis statum nanciscuntur. Eodemque iure, distracta hereditate ultimi de familia patroni pro suffragio animae heredis, patronatus extinguitur (1).

XXXIII. Animadvertendum superest in patronatu ex privilegio limitari expensum Aucbarani consilium, adeout deficientibus personis familiae, cui Sedes Apostolica patronatum gratiosum indulserit, haudquaquam transeat ad heredes extraneos ultimi morientis, sed penitus extinguatur patronatus, ex traditis a Pitonio (2).

CAP. XII.

DE MIXTI PATRONATUS SUCCESSIONE.

I. Ad successores sanguinis, qui simul heredes sint, mixtus patronatus devolvitur.
II. Cuius reservatio pro heredibus, et successoribus mixtam indicat qualitatem.
III. Eaque in dubio praesumitur, nisi aliam aperte qualitatem fundator maluerit.
IV. Tam fundatoris, quam ultimi morientis heres esse debet filius: consanguineis collateralibus sufficit hereditas primi, et proximitas sanguinis ultimi patroni.
V. Quemadmodum iure feudorum constitutum est.
VI. Non actu, sed potentia adquiritur qualitas hereditaria.
VII. Mixtus patronatus enim ius personale est, non reale.
VIII. Ad quem succedit particularis heres de sanguine.
IX. Magis cum feudorum, quam fideicommissorum natura congruit patronatus mixtus.
X. In eoque praeponderat gentilitia qualitas.
XI. Si tamen fundator actu hereditariam qualitatem exegerit, ei parendum est.
XII. Qui non possunt esse heredes ab intestato, a mixto patronatu excludantur.
XIII. Deficientibus de sanguine successoribus, ad heredes extraneos devolvitur.
XIV. Defertur in stirp[illegible] in capita.
XV. Filius cum patre [illegible] non succedunt, sed gradatim.
XVI. Ius accrescendi loc[illegible] et in patronatu mixto, aeque ac gentilitio.

(1) Piton. alleg. 14. n. 2. — (2) [illegible] [illegible]l. 33. n. 9.

I. Mixtus ex qualitate familiari, ac hereditaria patronatus fere pertransit ad heredes sanguinis, simul et rei familiaris. Duplex profecto qualitas in successore huiusmodi patronatus requiritur: descendentia sanguinis e familia, vel gente patronorum, et hereditas bonorum legitima (1). Nec una sine altera sufficit.

II. Coniicitur proinde mixtam qualitatem in patronatu a fundatore fuisse volitam, quotiescumque illum heredibus, et successoribus vel suis, vel certarum personarum reservaverit: aut ubi filios, ac descendentes de sanguine cum hereditaria qualitate vocaverit: aut gentiles, agnatosque, tamquam heredes fuerit contemplatus (2). Profecto *heredum*, et *successorum* appellatione venire sanguinis tantum heredes, non autem extraneos docuit Peregrinus (3). Pariter adpellatione *successorum* intelligi dumtaxat descendentes consanguineos, non extraneos heredes, tradit Fusarius (4). Quin si ambiguis verbis fundator usus fuerit (III.), pugnantibus coniecturis pro qualitate hinc hereditaria, hinc gentilitia, mixtum patronatum diiudicavit Rota (5). Verumtamen ubi hereditariam qualitatem nec expresse, nec tacite adiecerit fundator in patronatus reservatione pro se, suisque liberis in infinitum; aut pro illis personis, earumque descendentibus; tametsi loquens de fundanda, vel dotanda Ecclesia in separato orationis articulo, se, suosque heredes obligaverit, non utique mixtus, sed pure familiaris, vel gentilitius erit (6).

IV. Num tamen mixti patronatus successor debeat esse tam primi, quam ultimi adquirentis heres, an alterutrius tantum, Doctores disputant. Utriusque hereditaria qualitas non necessaria, sed vel primi adquirentis, aut fundatoris, vel ultimi morientis patroni alternative sufficere visa est Lotherio (7). Alii solam primi adquirentis hereditariam qualitatem simpliciter requirunt, neglecta penitus hereditate ultimi morientis. Alii tandem rectius opinantur filium esse debere utriusque heredem: consanguineis vero collateralibus sufficere hereditatem fundatoris, et proximitatem sanguinis ultimi patroni absque huius hereditate: adeoque hereditariam primi adquirentis qualitatem tunc solam peroptant, quum successor minime indigeat medio ultimi possessoris ad consequendam primi adquirentis hereditatem. Affirmant sane filium non posse heredem esse primi ex maioribus suis adquirentis, nisi per intermediam patris sui personam: secus vero consanguineum de linea collaterali, qui sine morientis ultimi intermedio directe potest ad here-

(1) Rot. coram Burat. *dec. 647. num. 3. dec. 267. nu. 3.*, *et 6. par. 6. rec.*, *et dec. 254. num. 16. par. 11.*, Tondut. *par. 3. quaest. benef. cap. 157. num. 41.*, *et seq.* — (2) Rota coram Burat. *dec. 47. num. 2.*, Piton. *de controv. patr. alleg. 69. num. 10.* — (3) De fideic. art. 32. n. 33; et passim Doctores. — (4) Cons. 113. n. 29. — (5) Coram Celso *dec. 106. num. 11.* Card. de Luca *discurs. 60. de iurep. num. 15.*, et Piton. *discept. eccl. 53. num. 16.* — (6) Parisius *cons. 38. num. 9. lib. 4.*, Tondutus *par. 3. quaest. benefic. cap. 157. num. 17.*, *et 19.*, et Piton. *de controv. patr. alleg. 37. num. 4.*

(7) *Lib. 2. quaest. 11. num. 41.*, et Rot. *dec. 254. num. 16. par. 11. rec.*

ditatem primi adquirentis iure proprio accedere. Ideoque si filius, filiave paternae haereditati semel renunciaverit, mixtum patronatum, quo pater fruebatur, nequibit amplius repetere, quum censeatur hereditati primi etiam adquirentis renunciasse: quoniam sese qualitate hereditaria exuit, nomenque heredis sibi tollit, sine quo mixtum patronatum nequit ullimode adipisci. At frater, aliusve transversalis consanguineus, repudiata etiam ultimi patroni hereditate, tamquam heres primi adquirentis patronatum mixtum obtinet (1). Quibus quidem auctoribus non videtur hereditariam primi adquirentis successionem ille repudiasse: secus, si utriusque hereditatem expresse respuisset.

V. Haec sane differentia e iure feudorum eruta est, quae nonnisi ad heredes sanguinis fere transmittuntur. *Si* enim *contingerit vassallum sine omni prole decedere; agnatus, ad quem universa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum retinere poterit. Ubi vero filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare; sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet*, inquit textus feudalis (2). Ceterum legibus Romanis istud discrimen adversari videtur. Nam ut Paullus docuit (3): *qui totam hereditatem adquirere potest, is pro parte eam scindendo adire non potest.* Consonat Paulo Iustinianus (4). Unde facile intelligimus naturam patronatus mixti esse maxime consentaneam, similemque naturae feudorum, quibus indita est regulariter qualitas mixta. Heic veriorem, et in Curia Romana receptam agnoscimus eam sententiam, quae in mixti patronatus successore qualitatem hereditariam fundatoris, seu primi adquirentis tantum cum sola ultimi morientis, seu patroni proximitate gradus exigit in linea collaterali, ex traditis per Card. de Luca (5).

VI. Qualitas isthaec hereditaria non actu quidem requiritur in successore ad patronatum mixtum, sed potentia sufficit habitualis succedendi ab intestato ad bona universa tam primi, quam ultimi adquirentis, quoties vel hic, vel ille hereditatem suam ad alios testamento non transmiserit. Hoc est iuxta receptam sententiam, quod per successorem sanguinis non steterit, quominus sit ultimi patroni heres quoque bonorum: puta ubi istius ultimi patroni hereditas ab intestato ad proximum sanguinis successorem, vel communi, vel municipali Iure pertineret, sed patronatus moriens sibi vel extraneum, vel remotiorem de sanguine heredem nuncupaverit, aut scripserit; praedictus sanguinis successor, tamquam legitimus potentia heres mixtum patronatum procul dubio obtinet (6).

VII. Quandoquidem mixtus patronatus non bonis hereditariis adnexus est, sed tamquam ius personale inhaeret ossibus legitimi ab intestato

(1) Surd. *cons. 63. num. 25.*, Piton. *tom. 1. discept. eccl. 4. num. 3.*, *et 7.* — (2) *In cap. si contigerit* tit. *an agnatus, vel filius defuncti possit retinere feudum repudiata hereditate.*

(3) In L. I. D. *de adquir., vel omitt. hered.*—(4) L. 20. in fin. C. *de iure deliber.* — (5) In *summa iurisp.* n. 35. — (6) Rot. *dec. 217., et 267. num. 8. par. 6. rec. dec. 254. par. 11. rec.*, et coram Coccin. *dec. 1710. num. 10.* Piton. *alleg. 37. num. 16., et 18., et alleg. 69. num. 21.*

successoris, heredisque habitualis: aliter, quam hereditarius patronatus cum universitate bonorum pertransiens (1).

VIII. Eoque magis heres de sanguine particularis, puta filius in legitima solummodo particulariter institutus a patre, qui alium maluisset heredem universalem, succedet utique ad patronatum mixtum, nequaquam vero ad mere hereditarium (2).

IX. Hinc qualitatem hereditariam bonorum *denominative*, non substantive, seu quod ad effectum perinde exigi in patronatu mixto dicemus, atque in feudo mixto probe dixit Iacobus de Belvisio laudatus a Baldo (3).

X. Quidquid aliter sit in fideicommissis. Propterea mixti patronatus natura magis cum feudis, quam cum fideicommissis congruit (4). In eoque praeponderare intelligimus qualitatem sanguinis: quoniam descendentes de sanguine sine bonorum universitate, quae perficit hereditariam qualitatem, reapse ad patronatum mixtum vocantor potius iure sanguinis, et particulari fundatoris providentia, quam hereditario iure. Et hocce sensu a natura gentilitii minime differre mixtum patronatum, scripsit Pitonius (5).

XI. Limitatur nihilominus modo exposita sententia in eo casu, quo fundator expresse maluisset hereditariam bonorum qualitatem actualiter, non habitualiter in descendentibus (6). Tunc enim voluntas fundatoris tamquam lex servanda est.

XII. Dum vero in descendentibus consanguineis deficit habitualis potentia succedendi ab intestato, tam Iure communi, quam municipali ad eos minime defertur patronatus mixtus (7). Istaque ratione filii, quoad supersunt parentes, et foeminae extantibus masculis iure municipali ab universa parentum hereditate exclusae, ad patronatum mixtum non succedunt. Ideoque verbum *descendens* refertur ad agnatos, et gentiles in hoc praesertim Regno, ubi agnati in linea descendentium cognatos, et filiarum liberos a paternis successionibus eliminant, extruduntque.

XIII. Quoadusque supersint de sanguine descendentes, mixtus patronatus nequit fere ad extraneos heredes transmitti, ob alteram sanguinis qualitatem deficientem (8). Nisi pluribus divisim lineis patronatum fundator addixerit. Eo enim casu una earum deficiens transmittit ad heredes extraneos ius suum cum qualitate simpliciter hereditaria licet in aliis lineis extantibus adhuc perseveret qualitas mixta, quod nequaquam repugnare ostendi in superiore *cap.* XI. *n.* XXVII. Siquidem successore sanguinis deficiente, perinde mixtus, ac gentilitius, et familiaris patronatus traducitur ad heredes extraneos, mixta qualitate in hereditariam commutata.

(1) Piton. discept. 4. n. 10.—(2) Rota coram Emerix iun. *dec.* 444. *n.* 1., Piton. *de contr. patr. alleg.* 69. *num.* 23, et Surd. *cit. cons.* 63. *num.* 25.
(3) *In cap.* 1. *num.* 8. *an agnati vel fil.*, et Surd. *dict. cons. num.* 20.
(4) Piton. alleg. 37. n. 18. — (5) Alleg. 100. n. 272. — (6) Tondut. *par.* 3 *qu. benefic. cap.* 156. *num.* 16., et Card. Paris. *cons.* 48. *num.* 8. *lib.* 4.
(7) Rota coram Coccino *dec.* 1710. *n.* 9., et Surd. *loc. cit. n.* 24.—(8) Rota *dec.* 297. *n.* 5. *par.* 6. *rec.*, et coram Seraphino *dec.* 364. *num.* 9.

XIV. Hereditaria in mixto patronatu qualitas efficit, ut deferatur ad successores non in capita, sed in stirpes; vocesque compatronorum in praesentando, habita stirpium ratione, computentur: uti Rota Romana definivit Post Pitonium (1).

XV. Consequens hinc est filium, quoad pater suus inter vivos agat, mixtum patronatum minime obtinere posse; secus quam in patronatu mere gentilitio, vel familiari: quia viventis patris heres baudquaquam esse filius potest. *Si filius, ergo heres*, rectissime quidem pronunciavit Apostolus (2). Qui etiam vivo patre quodammodo dominus rerum paternarum existimatur a Paullo iureconsulto (3). At paternam hereditatem, bonorumque administrationem, nonnisi post mortem patris percipit, et consequitur (4).

XVI. Accrescendi, seu non decrescendi ius in patronatu mixto perinde vigere, ac in gentilitio, et familiari, agnovit Rota (5) (*). Eaque propter deficientibus de sanguine compatronis ad superstites, qui ab uno, eodemque stipite processerint, accrescit ius defectarum stirpium, quas coniunctim sine aliqua linearum discretione fundator vocaverit. Secus, si pluribus divisim lineis, ac stirpibus patronatum mixtum legaverit: hoc enim casu locus non erit iuri adcrescendi, ex rationibus in patronatu gentilitio perpensis supra *cap.* XI. *num.* XXX. Quidquid aliter senserit Rochus (6).

(1) Alleg. 10. n. 25. — (2) *Epist. ad Galatas* cap. 3. in fin. — (3) In L. in suis 11. D. *de liber., et posth.* — (4) Dict. L. *in suis.* — (5) Dec. 217. par. 6. rec. n. 18. Roc. disput. iur. Cap. 193. n. 13.

(*) Iure Civili tum inter heredes, tum inter legatarios coniunctos *re*, *verbis*, aut *mixtim* ius accrescendi valet. Illud dicitur successorum ius sibi habendi vacantem eorum partem, qui una vocati sunt ad successionem. Et in hereditatibus quidem illud obtinet necessitate iuris. Romanorum enim leges sanxerunt neminem pro parte testatum, pro parte intestatum decedere posse (L. 7. D. de reg. iur. §. 5. inst. de her. inst.): hinc eiusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esse non poterat. Quare si unus heres in uncia institueretur, is totum assem capiebat, si vero cum coheredo, portio vacans superstiti accrescebat.

In legatis contra, quippe quae delibatio hereditatis, ex praesumpta testatoris voluntate illud ius ortum duxisse tradit Ulr. Huber. (Praelect. h. t. §. 23. extr.). Praesumitur enim portionem vacantem ad eum potius, cui rem eamdem legavit, quam ad heredem, a quo legavit, testatorem voluisse devolvi.

Iam vero Iure novissimo Cod. LL. Civ. si testator heredem, vel legatarium non universalem, sed in re certa dumtaxat instituat, in illam utique is succedet, ad reliquas vero assis partes heredes legitimi vocantur.

Tandem ius accrescendi etiam locum habet inter heredes, et legatarios coniunctim ad successionem admissos (Cod. LL. Civ. art. 999., et 1000).

(6) *Disp. Iur. cap.* 193. *num.* [illegible], *et seqq.* a Rota pluries reprobatus, itemque a Piton. *alleg.* 76. *num.* [illegible]

CAP. XIII.

DE ECCLESIASTICO LAICALI ET MIXTO.

I. Patronatum ecclesiasticum adipiscuntur Ecclesiae, vel Dignitatis successores.
II. Rector sub nomine Ecclesiae non collegialis, collegium sub collegialis Ecclesiae nomine intelligitur.
III. Laicis personis non potest patronatus ecclesiasticus reservari.
IV. Sed solum Ecclesiae, de cuius bonis fundatus sit.
V. Eoque minus transferri valet ab ecclesiasticis patronis ad laicos sine adsensu apostolico.
VI. Si tamen adhibitis solemnitatibus ad laicos transferatur, evadit laicalis.
VII. Et vicissim ecclesiasticus fit patronatus ab laico patrono ad Ecclesiam transiens.
VIII. Nisi fundator perpetuam maluisset laicam in patronatu suo qualitatem, etiam in transitu eius ad Ecclesiam.
IX. Laicalis patronatus vel personalis, vel realis est.
X. Personalis successio defertur vel iure heredis, vel iure sanguinis.
XI. Realis ad dominum, et possessorem eius rei, cui adnexus sit, pertinet.
XII. Non modo ad directum dominum, sed fructuarium quoque, atque ad conductorem.
XIII. Pariter ad maritatum, si rei dotali adnexus fuerit.
XIV. Ad habitualem praeterea possessorem.
XV. Adnexus feudo profano patronatus habetur laicalis, tametsi Ecclesia feudum possidet.
XVI. Æque laicalis est, qui competit Confraternitatibus laicorum, vel laicis Ecclesiarum administratoribus, praesertim hoc in Regno.
XVII. Aut Conservatoriis mulierum, vel Canonissis saecularibus.
XVIII. In mixto patronatu laicus compatronus ad laicos heredes, et successores suos, ecclesiasticus ad successores ecclesiasticos defert ius suum.
XIX. In capita patronatus, vel mere ecclesiasticus, vel mere laicalis defertur.
XX. In mixto autem patronatu exercitium fere ex aequo dividitur inter ecclesiasticos, et laicos compatronos.

XXI. Nisi minor, vel maior quota alicuius ex laicis patronis ad Ecclesiam pertransiverit.

I. Ad successorem dignitatis, vel officii, vel beneficii, vel Ecclesiae, cui reservatus fuerit patronatus ecclesiasticus, regulariter pertransit: vel ad succedentes Canonicos, aut monachos, aut confratres illius Ecclesiae, vel monasterii, cui competat: prout indubium est apud Doctores. Quandoquidem nomine Ecclesiae, in qua collegium clericorum non est, Praelatum, ac Rectorem intelligi (II.): ubi vero collegium adsit, communem clericorum, vel monachorum congregationem venire, rescripsit Alexander III. (1). (III.). Adnexus profecto ipsi Ecclesiae, aut ecclesiasticae dignitati est patronatus ecclesiasticus, nonnisi ad ecclesiasticam personam pertinens. (IV.) Nam citra manifesti sacrilegii crimen clericus redditibus, et bonis ecclesiasticis beneficium fundando patronatum nequit personis laicis, et profanis, ne adsentiente quidem Ordinario reservare (2), ibi: *Si Episcopus convictus fuerit construxisse monasterium de redditibus ecclesiasticis, tradat ipsum eidem Ecclesiae monasterium.* Hinc palam intelligimus eum in finem Ecclesiae tradendum fore monasterium, ut habeat ea patronatum titulo fundationis sibi competens, ut animadvertit Glossa in eodem *can.* verbo *contraxisse* (3).

V. Consequens hinc est patronatum ecclesiasticum ad alios, praeterquam ad Ecclesiam ipsam, de cuius bonis fundatum sit beneficium, transferri quocumque titulo non posse, nisi adhibitis solemnitatibus ad res Ecclesiae alienandas requisitis iuxta Paulli II. Const. (4), praesertim Sedis Apostolicae adsensu (VI.) ob evidentem necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae impetrando. Quod probavit Zypaeus (5). Istoque casu transiens ad laicam personam patronatus ecclesiasticus titulo permutationis, aliove oneroso cum auctoritate pontificia, evaderet laicalis (6).

VII. Quemadmodum e contrario ad Praelatum, aut Rectorem Ecclesiae, vel ad Collegium pertinebit patronatus cum ecclesiastica qualitate, quoties laicus patronatus ius suum laicale in Ecclesiam transtulerit. Explorata enim rea est, qualitatem patronatus laicalis in eo casu transmutari in ecclesiasticam (7). Dummodo lex fundationis minime refragetur. (VIII.) Si enim fundator expresse noluisset qualitatem patronatus laicalis perpetuo duraturam, eo etiam in casu, quo ad personas ecclesiasticas transiverit, voluntas eius servanda est (8), et patronatus primaevam sui naturam tunc retinebit (9).

(1) In cap. *relatum est* XII. *de testam.* — (2) *Can.* 15. Synodi VIII. Oecumenicae a Gratiano exscriptum *in can. Apostolicos* 13 *caus.* 12. *qu.* 2.
(3) Panormit. in Cap. *ad audientiam* n. 12. *de Eccl. aedif.*, et Lotter. lib. 1. q. 23. n. 27. — (4) *Constitut. extrav.* — (5) *De iurep. respons.* 4. Franc. le Roy *in prolegom. ad eumdem tit. cap.* 18., et Wan-Espen. *par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 41. *num.* 2. — (6) Rot. *dec.* 144. *num.* 19. *par. rec.*, et coram Duran. *dec.* 285. *num.* 64. — (7) Cap. *si laicus unic. de iurep.* in VI. — (8) Piton. de *controv. patronor.* alleg. 62. — (9) Rota in Parmens. beneficii coram Scotto apud cit. Piton. *discept. eccl.* 25. *num.* 21., *et* 47.

IX. *Ecclesiastico* patronatui opponitur *laicalis*, tam *personalis*, quam *realis*. (X.). De *personali* universali successione titulo hereditario, vel iure sanguinis, deque multifariis ad eumdem succedendi regulis, sat in superioribus capitulis dictum est: superest nunc disserendum de *reali*.

XI. Sane realis patronatus alicui feudo, vel fundo, vel rei adnexus transit accessorie ad dominum, legitimumque ipsius rei possessorem (1), ubi Alexander III. aperte innuit hospitalarios adquisivisse patronatum Ecclesiarum paroecialium in feudis, et praediis, quae titulo emptionis, aliove adepti fuerant, existentium. (XII.). Eademque ratione idemmet Pontifex rescripsit ad militem villae conductorem ad firmam, seu ad longum tempus pertinere patronatum Ecclesiae in eadem villa positae: minime vero ad monasterium, quod villam ei locaverat; propterea quod in locatione patronatum expresse non excepisset. Itaque non modo ad possidentem iure directi dominii, verum etiam ad utilem dominum, et fructuarium, et conductorem usque adeo patronatus realis, et ius praesentandi spectat, ut isti praeferantur directo domino. Patronatus quippe continetur in usufructu bonorum, ac rerum, quibus adhaeret. (XIII.) Pariter patronatum fundo dotali adnexum vir omnes dotis fructus percipiens, non uxor exercebit, quoadusque matrimonium constiterit (2).

XIV. Quin possessorem iuris tantummodo, qui scilicet fundum actuali possessione non apprehenderit, si aperto iure ad eumdem fundum vocatus sit, ab alio iniuste occupatum, et detentum, patronatu reali adnexo adhuc frui, eique sufficere habitum, et potentiam possidendi, seu qualitatem possessoris habitualem, definivit Rota (3).

XV. Laicalis autem fere putatur patronatus rei profanae, vel corpori laicali adnexus, etiamsi rem ipsam ecclesiasticus possideat. Si enim Episcopus feudum obtinuerit, patronatus feudo adnexus, tamquam accessorius sequitur feudi naturam, et laicalis proinde putabitur, eo vel maxime, quia ob investituram, qua utile solummodo feudi dominium feudatario conceditur directum dominium Principi laico investienti servatur integrum (4) (*).

(1) Cap. *cum saeculum* XIII. de *iurep.* — (2) Roch. de Curte verbo *ille, vel is num.* 62. — (3) In Verulana Abbatiae 23. April. 1706. §. *minusque* coram Cardinali Caprara apud Pitonium *alleg.* 100. *num.* 168. — (4) Rot. *dec.* 329. *num.* 21. part. 9 *rec.* Rosental. *de feud. cap.* 19. *conclus.* 20. *num.* 6., et Pitoa. *allegat.* 19.

(*) Post Caroli Magni tempora tum Cathedralibus Ecclesiis, tum Monasteriis feuda largita fuerunt, atque in illis, ut vetustae aetatis monumenta testantur, Episcopi, Abbates, aliique Clerici iurisdictionem iisdem adnexam exercebant.

In utriusque Siciliae Regno a Nortmannis erecta Monarchia, Rogerius, et Guilielmus nonnullas Ecclesias feudis ditarunt, atque illarum Titulares iurium investituram habuerunt. Sub Regibus Andegavensibus, aliisque Principibus eadem politia perduravit.

Atvero sub Militari Regimine leges, quae Ius feudale respiciebant penitus abrogatae fuerant: quam abolitionem confirmavit etiam Ferdinandus I. lege lata die XI. Dec. 1816., sarta tamen tecta beneficia feudis adnexa servando.

XVI. Eodem iure patronatum Confraternitati laicorum pertinentem qualitate laicali praeditum, praetereaque patronatum laicis Ecclesiarum administratoribus vel Oeconomis relictum agnoscit qualitate laicali praeditum Vivianus (1). Ex novissimo Iure Concordatorum an. 1741. Episcopis subiacent Confraternitates laicorum, et extauritae, quod ad spiritualia tantum.

XVII. Idem dicendum videtur de Conservatoriis mulierum nulla per Sedem Apostolicam religiosa regula probatis. Quod etiam de Canonissis saecularibus sensit Pitonius (2).

XVIII. Quod vero ad patronatum ex qualitate laicali, et ecclesiastica *mixtum*, nullus dubitare valet, quin patroni ecclesiastici ius ad successorem dignitatis, vel beneficii traducatur, quemadmodum si patronatus totus foret ecclesiasticus: ius autem patroni laici ad possessorem rei principalis, si reale fuerit, ad heredes extraneos, si hereditarium; ad successores sanguinis, si gentilitium, aut familiare. Permixtio sane qualitatum ecclesiasticae, et laicalis in patronatu causatur communionem iuris inter diversae conditionis compatronos: non aliter quam commixtio rerum corporalium, sive fortuita, sive voluntaria (3). Sed alteram qualitatem minime confundit, neque aliena forma, vel specie alterutram induit: altera enim suam perinde naturam, indolemque retinet, ab altera diversam, ac si patronatus non duabus, sed una, eademque qualitate praeditus fuerit. Quemadmodum Proculus, et Pegasus existimarunt indiscriminatim, suam cuiusque domini rem manere, ubi corpus unum ex duabus materia conflatum sit, quarum altera non accesserit alteri, sed invicem separari ab artificibus, et in pristinam materiam reduci possit (4).

XIX. In *capita* deferri patronatum tam ad Collegium ecclesiasticum, quam Confraternitatem laicalem, aeque ad familiae corpus animadvertit Vivianus (5). Idque suadent rationes, quas supra innuimus *cap.* XI. *num.* 1. Nec ulli dubitationi locus erit, si alterutra qualitas separatim ostendat patronatum vel simpliciter ecclesiasticum, vel mere laicalem. At ubi utraque sit qualitate mixtus, plures emergunt exinde difficultates. Quid enim dicemus, si mixtura qualitatum aequalis non sit, sed altera alteri praevaleat? Quid, si aequali in mixtura numerus personarum hinc maior, illinc minor fuerit? Quid, si fundator maioribus numero laicis, quam ecclesiasticis personis, vel e contrario, patronatum mixtum reservaverit? Hasce quaestiones prudens vir ex facti circumstantiis resolvet, quum ex facto ius oriatur. Quoties enim fundator vota distribuerit inaequaliter, voluntas eius adamussim exequutioni demandabitur. Vel si coniecturis urgentibus praesumi valeat quid is maluerit, id servandum erit (XX). Ad extremum si nulla coniectura inaequalitatem suadeat, in dubio exercitium patronatus ex aequo dividetur inter patronos

(1) Lib. I. Cap. 3. n. 6., et 7. — (2) *All.* 48. *num.* 17. *arg. cap. indemnitatibus* §. *supradicta de elect. in* VI., et Clem. *attendentes* §. *illas quoque de aetate monachor.* — (3) *L. adeo* §. 8., *et* 9, *et l. quidquid* 27. *D. de adquir. rer. domin.*

(4) L. *quidquid*, et L. *locus* 12. D. eodem. — (5) Lib. I cap. 2. n. 74.

ecclesiasticos, et laicos eo pacto, ut medietatem unam ecclesiastici, quotcumque sint, alteram laici sive plures, sive minores obtineant.

XXI. Verum si unius laici compatroni patronatus ad Ecclesiam ecclesiasticamve personam cum qualitate mere hareditaria deflectat, mixtus quidem efficitur (1). Tantumque iuris patronus moriens ad Ecclesiam transferet, quantum ipsemet habebat, et non amplius (2).

CAP. XIV.

DE ALIENATIONE AC TRANSLATIONE PATRONATUS.

I. Ad particulares successores titulis qua onerosis, qua lucrativis transfertur etiam patronatus cum adsensu Ordinarii.

II. Hereditarius tamen tantum, vel realis.

III. Non autem familiaris, aut gentilitius, nec mixtus.

IV. Ius tamen gentilitium, ac familiare ad vitam possessoris alienantis vix devolvitur in extraneum.

V. Venditionis *titulo patronatus fere non devolvitur.*

VI. Ob simoniae crimen venditor patronatum amittit.

VII. Realis tamen patronatus una cum re vendita ad emptorem licite defertur.

VIII. Dummodo pretium pro ipso patronatu speciatim non augeatur.

IX. Pariter ad emptorem hereditatis, vel cessionarium una cum hereditate vendita, vel cessa.

X. Omnium iurium venditio, et cessio patronatum realem rei adnexum complectitur.

XI. Personalem patronatum, qualis est hereditarius, generalis cessio, nisi exprimatur speciatim, non continet.

XII. Labem simoniae in prohibita patronatus venditione purgare nequit adsensus Ordinarii.

XIII. Usum rei materialis in Ecclesia vendere licet.

XIV. Transactio, *dummodo ineatur sine pretio, potest patronatum transferre.*

XV. Quam Episcopus diiudicare ante debet, ac probare.

XVI. Si tamen inter ecclesiasticos patronos transactio fiet, adsensus requiritur apostolicus.

XVII. Novam transactio legem fert patronatui, et primaevam innovat.

XVIII. Personam primi adquirentis transigens assumit.

XIX. Qui semota fraude successoribus proprio iure venientibus praeiudicat.

(1) Archidiac. *in cap. unic. de iurep. in* VI. *num.* 2. — (2) *Cap. nemo potest* 79. *de reg. Iur. in VI., et l. nemo plus iuris* 55. *D. eod. tit.*

XX. Praesertim si heredes fuerint ipsius transigentis.

XXI. Partem transactionis acceptare, partem respuere prohibentur successores transigentium.

XXII. Nam rei transactioni in totum stare, vel ad primaeva iura litigiosa redire debent.

XXIII. Vitia transactionis adhibitis solemnitatibus minime abluuntur.

XXIV. Permutari *patronatus cum re temporali vetitum.*

XXV. At patronatus alter cum altero licite commutantur cum adsensu Ordinarii.

XXVI. Donatio *quoque legitimum efficit patronatum.*

XXVII. Donare laicus patronatum laico nequit sine adsensu Episcopi.

XXVIII. Quin suspicionem vitiosae, et illicitae donationis purgat auctoritas episcopalis, quum donationem possit inficere simonia.

XXIX. Ecclesiae tamen laicus patronus recte donat, inscio etiam Episcopo.

XXX. Post donationem privativam fere nequit donator patronales actus exercere.

XXXI.. Dummodo eam donatarius acceptaverit.

XXXII. Nam donatarius potest sub spe, seu conditione futuri adsensus praesentare.

XXXIII. Donatio enim ante adsensum quoque Ordinarii implicitum validitatis statum habet.

XXXIV. Quum possit re integra subsequi adsensus.

XXXV. Et denegari sine causa nequeat.

XXXVI. Donatarius tamen, antequam adsentiatur Episcopus, nullum reapse ius adquirit.

XXXVII. Quin posterior donatarius adsensu ante obtento priorem vincit excluditque.

XXXVIII. Nedum subsequi, sed concomitari, et praecedere donationem valet adsensus.

XXXIX. Quin tacitus etiam sufficit ex lapsu XXX. annorum.

XL. Verum non retrotrahitur ad diem donationis.

XLI. Adsensum eiusmodi nequit Vicarius Episcopi sine, expressa delegatione impertiri.

XLII. Compatrono quisque ius suum in patronatu recte donat sine adsensu Episcopi.

XLIII. Itidem futuro ad patronatum successori.

XLIV. Si compatrono patronatum familiarem obtinenti accesserit Ius donantis hereditarium, patronatus in totum erit familiaris, vel mixtus.

XLV. Consanguineo facta donatio inter pios actus accensetur.

XLVI. Cumulativa, non privativa in dubio praesumitur donatio patronatus.

XLVII. Nisi donans omni iure semetipsum spoliaverit expresse.

XLVIII. Partialis hinc donatio distinguitur a totali.

XLIX. Perpetua item differt a temporali.

L. Perpetua in dubio praesumitur.

LI. Inter vivos facta donatio quoque differt ab ea, quae fit causa mortis.

LII. Iuris praesentandi donatio maxime partialis est.

LIII. Pro *una vice talis donatio aequipollet mandato ad praesentandum irrevocabili.*

LIV. Sub conditione, si sine filiis decesserit, donans patronatum, ad donatarium, non ad monasterim, si monachus fiat, transmittit post mortem.

LV. Rescinditur supervenientibus donanti filiis donatio.

LVI. Difformibus actibus etiam irritatur, si eam nec donans, nec donatarius observaverit.

LVII. Legari *etiam patronatus compatrono, et Ecclesia potest sine adsensu Episcopi.*

LVIII. Extraneus, et laicus vero patronatum sibi legatum non adquirit, nisi adsentiente Episcopo.

LIX. Adsensus ad diem mortis testatoris retrotrahitur.

LX. Et praesentationem ab herede interea factam irritat.

LXI. Si legatum legatarius non agnoverit vivens, patronatus ab hereditate non abdicatur.

LXII. In lucrativo legato praesumitur acceptatio, secus in oneroso.

LXIII. Ad heredes legatarii fere non transmittitur legatum conditionale.

LXIV. Nisi heredi potestas sit adimplendae conditionis.

Successionis ad patronatum universalis titulo hactenus explicito cum diversis eiusdem speciebus, et qualitatibus, operae pretium est de particularibus succedendi titulis nunc edisserere, qui duas in classes commodissime dividuntur. Alii sane ad causam onerosam, et ultro, citroque obligatoriam pertinent, qualis est emptio, venditio, permutatio, transactio: alii ad gratuitam, qualis est donatio, legatum, fideicommissum.

I. Utrisque titulis sive onerosis, sive lucrativis transferri ad particulares successores patronatum, palam est. Hoc tamen interest universales inter, et particulares successores. Universales ipso facto, ipsoque iure sine aliquo Ordinarii adsensu plenum ius adquirunt, quod demortui obtinebant patroni. Particulares vero successores, nonnisi adsentiente Ordinario, valent patronatum fere adipisci, nonnullis tantum casibus exceptis, quos mox animadvertam.

II. Verum hereditarius tantum patronatus ad particulares transire valet successores: propterea quod heres patroni de patronatu disponentis voluntatem, factamque patronatus translationem impugnare, aut rescindere nequaquam potest, ex rationibus supra expensis *cap.* X. *num.* XXX. (III.) Secus vero dicendum in gentilitio, et familiari, mixtove patronatu, quem ad extraneos transferri quovis titulo non posse tradunt unanimiter Doctores (1). Quoniam quaesitum successoribus ex propria persona venientibus, ab ipsoque fundatore vocatis ius auferre, infringere, vel quomodolibet minuere nequeunt patroni notissimis iuribus: quin nec fundator ipse post perfectam adsentiente Episcopo fundationem mutare unquam potest voluntatem suam detrimento, damnoque successorum (2).

IV. Quoadusque tamen vixerit patronus, ius suum, etsi familiare, ac gentilitium potest quidem in extraneum transferre, cum nemini tunc praeiudicium inferat, nullamque iniuriam, qui iure suo utitur (3).

V. His generatim praelibatis ad singulos successionis particularis titulos enucleandos accedimus: et primo ad venditionem Patronatum principaliter, et speciatim vendi nequaquam posse ob simoniae labem, irritamque prorsus venditionem haberi probe definivit Alexander III. (4): *quum inconveniens sit* (ait) *vendi iuspatronatus, quod est spirituali adnexum.* Simoniae crimen hinc Doctores producunt ad venditionem, aliamque quamlibet, aliquo dato, vel retento translationem; propterea quod rebus tam spiritualibus, quam spirituali adnexis temporalem, seu pecuniariam dari aestimationem canones haudquaquam patiantur. *Quasi simoniam* in patronatus venditione committi rectius dixit Florens (5): quod non spiritualis quidem rei natura patronatui indita est, sed coniunctio solum, et adhaesio ad rem spiritualem. *Ne* itaque *iuspatronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant* (VI.): *si secus fecerint, excommunicationis, et interdicti poenis subiiciantur, et dicto iurepatronatus ipso iure privati existant*, ut sanxere Tridentini Patres (6). Quorum sententia tam ementes, quam vendentes procul dubio afficit. Ementes quidem, seu comparantes quovis iurepatronatus omnino spoliandos esse, definiverat speciatim Alexander III. (7). Quod vero ad vendentes, distinguere oportet ius hereditarium a gentilitio, et familiare praetereaque unitatem, a pluritate patronorum. Venditor quippe simoniacus hereditarium patronatum eatenus sibi, suisque heredibus in perpetuum amittit, ut, si unicus fuerit Ecclesiae patronus, Ecclesia fiat libera: si autem alii adsint compatroni, ius noxii venditoris non accrescat innoxiis, sed ad Episcopum devolvatur, non aliter, quam hereditario iure ad eumdem devolvi, tamquam compatronum, diximus supra *cap.*

(1) Tondut. *par.* 3. *quaest. benefic. cap.* 144. *num.* 14., *et* 15. Covarr. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 14 — (2) *Cap. mutare* 33. *de reg. Iur. in* VI.
(3) Garzia *par.* 5. *de benefic. cap.* 9. *num.* 70. Piton. *alleg.* 11. *num.* 14., *et alleg* 66. *num.* 20. — (4) *In cap. de Iure*, 16. *de Iurep.* — (5) Ad cap. 22. *de Iurep* tom. 2.
(6) Sess. XXV. de ref. cap. 9. — (7) In Cap. *quia clerici* 6. *de Iurep.*

XI. num. XXXI. sicut enim culpa unius, alteri nocere non debet, ita e contrario nec utilitatem afferre (1). At familiarem patronatum, vel gentilitium sibi dumtaxat venditor amittit, quoadusque vivet: non successoribus de familia, genteque compatronorum innoxiis, qui nullum a noxio defuncto caussam habentes suo Iure ad patronatum adipiscendum, exercendumque veniunt.

VII. Cum aliqua tamen universitate bonorum temporalium, puta feudo, castro, villa, posse iuspatronatus reale, nullo etiam accedente consensu Ordinarii, per contractum onerosum venditionis, vel dotis, vel emphyteusis, aliusve id genus transferri accessorie ad eum, qui talis rei dominium non modo plenum, sed vel directum, vel utile quaesiverit, explorati iuris est (2), hoc tamen pacto, ut nullum pretio fundi, aut castri augmentum patronatus speciatim fiat. *Et quamvis praxis doceat, ut in aestimatione feudorum seu castrorum, locorumque iurisdictionalium aliqua de huiusmodi iuribus honorificis a peritis ratio habeatur, attamen id non videtur inducere simoniam, aliamve infectionem: tum quia haec non datur, sine pacto, quod est eius essentiale requisitum, tum etiam, quia maior aestimatio non pendet ab eo, quod ipsum iuspatronatus veniat in pretio, et aestimetur, sed quia haec et similia iura, quamvis nullam bursalem utilitatem praeseferentia, qualificant castra, seu feuda, ut scribit Card. de Luca* (3). Hanc ob rem non illicitum est deducere patronatum in conventione, et palam exprimere in pactis venditionis eius translationem *demonstrative* accessoriam, declarando quod de iure inest, ac tacite continetur in eiusmodi venditione (4). Enimvero contractu oneroso, minimeque gratuito, qui celebretur super temporali bonorum universitate, Doctores omnes unanimi sententia comprobant, velut licitam patronatus translationem accessoriam (5).

VIII. At vero si certam pretii partem e patronatu accipere voluerint contrahentes, pretiumque feudi, castri, fundi speciatim adaugere, aliudve quid temporalis intuitu patronatus dare, aut adquirere, patronatum ipsum in vendendo feudo divisim aestimando, illicita procul dubio erit, ideoque irrita ipsius venditio: quum non accessorie fiat, sed principaliter.

IX. Eodem iure ad hereditatis, et universi patrimonii emptorem, aut cessionarium devolvitur patronatus in ea, eove consistens ob accessionem (6). Heres enim fundatoris, et patroni recte dicitur, qui hereditatem eius non successione sanguinis, sed emptione legitima nactus sit: quemadmodum Iacob sese primogenitum Esau dixit sine mendacio, quum a fratre natu maiori venditam primogenituram ipse comparave-

(1) Lambert. lib. III. quaest. 8. art. ult., et Card. de Luca disc. 35. de Iurep. n. 18. — (2) Cap. *ex litteris* 7., et cap. *eum saeculum* 13. *de Iurep.* (3) Discurs. 55. de Iurep. n. 15. — (4) Rot. *decis.* 17. *num.* 28., *et seq. par.* 7. *rec. et cit.* de Luca *disc.* 5. *de Iurepatr. num.* 11. — (5) Fagnan. *in dicto cap. ex litteris num.* 5., *et* 45. — (6) Roch. de Curte *de Iurepatr. verb. ipse, vel is num.* 46. Paul. de Cittadinis *in eod. tract. quaest.* 1. *nu.* 11. Fagnan. *in cit. cap. ex litteris num.* 37.

rit. *Non enim dixit sese primogenitum nascendo, sed ius primogeniturae, illo vendente, rite adeundo,* inquam cum Gratiano (1). Quoniam vero patronatus in hereditate consistens reapse *personalis* est, qui autem in feudo, villaque inest, *realis*: ob diversam alterius ab altero naturam dispar de utroque ratio habetur in accessoria translatione per universitatis venditionem, quoties contrahentes silentio praeteriverint patronatus quasi spiritualis accessionem.

X. Quaeritur sane, ac dubitari solet in praxi, an cum hereditate, vel feudo vendito generatim cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis translatum ipso Iure, taciteque iuspatronatus fuerit ad emptorem? Quam dubitationem haud raro experta est Rota Romana (2). Ad eamque dirimendam haec distinctio fere adhibita est patronatus *realis*, et *personalis*: quatenus patronatus *realis* tacite comprehensus, ac translatus intelligatur in rei universae, cui adhaeret, venditione: quoties in ea patronatum ipsum venditor expresse non exceperit, ut perspicue innuit littera textus (3).

XI. Secus autem dicendum de *personali* patronatu. Quoniam heres universum hereditatis patrimonium vendens, revera non hereditatem defuncti vendere dicitur, quae post factam aditionem desivit esse defuncti, effectaque est proprium ipsius heredis patrimonium; nec ius heredis ossibus ipsius heredis adfixum. Qui propterea universa hereditatis adeptae bona si vendiderit verbis generalibus, non universitatem, seu ius universum vendit: quia verbum generale bonorum omnium ab homine prolatum non efficit proprie universitatem, nec venditionem iure universalem. Sed talis venditio respectu verborum dumtaxat erit universalis, quae proinde universitas verbo tenus resolvitur in singularitates, singula nimirum bona comprehendendo, quae realia sunt hereditatis: non iura personalia, quae a bonis hereditariis seiuncta Ius presumit: ideoque nec iuspatronatus personale, licet ad heredes transit cum universitate bonorum (4). Ut autem hereditatis emptor iuspatronatum hereditarium adquirat, opus est, ut venditor declaret in contractu sese illud etiam transferre velle ad emptorem. Et contra poterit venditor nedum hereditatis, sed feudi etiam sibi expresse reservare patronatum, eiusque translationem emptori adimere, quod aperte monuit Alexander III. (5). Consequens hinc etiam est iuspatronatus haudquaquam transire ad emptorem palatii, vel fundi, cum omnibus iuribus illius, in quo existat Ecclesia, vel capella quoties ius ipsum patronatus non *reale* fuerit, sed aliunde competens, quam iure accessionis ad palatium, fundumque: eo vel maxime quod palatium, et fundus reapse universitatem non praeseferunt, sed quid singulare: aliter ac feudum, et castrum (6).

(1) Post *can. quaeritur fin. caus.* XXII. *quaest.* 2.
(2) *Decis.* 207. *par.* 6. *rec. decis.* 228. *par.* 7. *decis.* 164., *et* 266. *par.* 11., et aliae innumerae. — (3) *In cit. cap. ex litteris* 7. *de Iurep.*
(4) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 11. Aloys. Ricc. *dec.* 179. *num.* 146. Bald. *lib.* 3. *cons.* 1. Cravetta *cons.* 139. *num.* 5. — (5) *In dict. cap. ex litteris* 8. *de Iurepatr.* — (6) Fagnan. *in cit. cap. ex litteris num.* 21.

XII. His ita se habentibus, Episcopo fas non erit Ecclesiae, beneficiive patronum non habere legitimum hereditatis, vel alterius rei universae emptorem, quem nullo simoniae crimine infectum agnoverit. Quemadmodum e contrario adsensus Ordinarii super illicita venditione impertitus, et episcopalis auctoritas non poterit unquam suffragari ad diluendam contractam simoniae labem, neque ad remittendas poenas sacris canonibus inflictas (1). Nullibi enim tanta facultas Ordinariis locorum in Iure data est.

XIII. Usum tamen licet non profanum, sed religiosum rei materialis, puta pavimenti ad excavandam sepulcri foveam, parietis ad extruendam Capellam, aramque, ceterorum id genus a patrono vendi posse, pretioque accepto in alium transferri, consentiunt, et cousuetudine adprobant Doctores (2). Non aliter, quam materia vasorum sacrorum licito iure venditur. Qua de re alibi opportunius.

XIV. Ad alterum nunc titulum onerosum transferendi patronatus in particulares successores progrediamur, scilicet *transactionem*. Haec etiam, si nihil temporalis a transigentibus detur, vel vicissim adquiratur iurispatronatus intuitu, rata habebitur quod ad articulos ius ipsum spectantes: quemadmodum e contrario nullius erit momenti, ubi temporalis rei gratia concordiam super controverso patronatu iniverint. Porro ex definitionibus Alexandri III. (3) *transigi super re sacra et litigiosa non potest*: ***etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato vel retento, sive promisso, speciem credimus simoniae. Alias si gratis, et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare.*** Idem propterea Pontifex damnavit ut simoniacam pactionem, transactionemque super iure praesentandi initam inter laicos, et religiosos ob temporalem fructuum portionem reservatam religiosis, qui praesentationem laicis contra dimiserant (4).

XV. An vero licita, nec ne habenda sit transactio, Ordinarius loci perquiret, quum paciscentes ab eo adsensum desuper necessarium postulaverint. Hi quippe substantiam patronatus ad extraneas personas inter vivos transferre, nisi Ordinarius assentitus fuerit, nequaquam possunt; cuia interest pastorali sollicitudine providere, quominus in re sacris maxime adnexa quidpiam illicitum contra canones admittatur: eamque ob rem iuspatronatum in privato hominum commercio sine superioris ecclesiastici auctoritate non existere dixerunt Pitonius (5), et Card. de Luca. Attamen si transactio non substantialem patronatus transmissionem in extraneos, aut alienationem spectet, sed qualitates solummodo declaret, ac disponat inter compatronos, et ius quaesitum obtinentes ad lites vel componendas, vel impediendas, transigentes nullo adsensu Ordinarii opus habebunt (6), adeout hereditariam pa-

(1) Card. de Luca *disc.* 55. *de Iurepatr. num.* 18. — (2) Gratian. *discept.* 110. *num.* 6., *et* 10. de Luca *disc.* 52. *de Iurepatr. num.* 10., *et disc.* 53. *num.* 3. Piton. *alleg.* 43. *de contr. patron. num.* 18. Genuen. *in prax. cur. Archiep. cap.* 41. *num.* 18. — (3) In Cap. *super eo* 7. *de transact.*
(4) Cap. *praeterea* 9., *de transact.* — (5) Discept. eccl. 53. n. 19.
(6) Disc. 15. de Iurep., n. 9., et 24.

tronatus qualitatem convertere in gentilitiam, vel familiarem valeant, et e converso gentilitiam deficiente familia commutare in hereditariam, praesignando successores patronatus (1). Et Clemens V. in Concilio Viennensi aequum putavit patronos ipsos inter se posse *libere convenire* de rectore ab eis alternis vicibus praesentando (2). *Libere*, hoc est sine auctoritate Episcopi, ut ibidem observant Glossa, Abbas, ceterique.

XVI. Quibus autem in casibus laici transigentes adsensum Ordinarii ad firmandam concordiam petere coguntur in iisdem, si ecclesiastici etiam patroni ad transigendum concurrerint (puta Capitulum, et Collegium ecclesiasticum, aut aliqua ex dignitatibus eclesiasticis), tunc beneplacitum apostolicum omnino requiritur (3): quoniam speciem alienationis transactio continet.

XVII. Tanta vis in transactione rite confecta inest, ut primaevos pertinentiae titulos extinguat, novisque legibus patronatus subiiciat (4). Talis enim transactio locum poeniteutiae non dat, neque instaurari amplius litem sinit (5) (XVIII.): quum transigentes personam primi adquirentis assumere putentur, praeditam facultate obligandi successores etiam a fundatore vocatos ad pacta conventa servandum, iisque simul ac sibimetipsis praeiudicandi (6). (XIX.) Quandoquidem si bona fide litem reapse dubiam super patronatus pertinentia motam legitima transactione diremerint; successores proprio etiam iure venientes ad gentilitium, aut familiarem patronatum afficiunt (7).

XX. Eoque magis devinciunt, obligantque sui ipsorum heredes, quibus nefas est impugnare facta, resque gestas defunctorum, unde causam, et commodum hereditatis habuerint: aut contra auctoris sui prosilire iudicium, commonente Gelasio Papa (8).

XXI. Successores proinde transigentium nequeunt pacta conventa partim rata, partim habere irrita, sed aut in totum agnoscere, aut a toto recedere, iuxta Pauli Iurisconsulti sententiam (9). (XXII.) Si quo igitur vitio infirma fuerit transactio, aut si eam partes vel consensu mutuo, vel actu contrario dissolvere velint, poterunt litem reintegrare cum primaevis iuribus, et actionibus (10). Et speciatim in re patronatum spectante, vel standum transactioni, vel redeundum ad primaeva iura liti obnoxia, censuit Rota (11).

XXIII. Si qua tamen transactio iniusta, et vitiosa fuerit, qnod ad

(1) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 55. de Luca *discurs.* 60 *num.* 22.

(2) Clement. *plures de iurep.* — (3) Arg. *cap. veniens* 8. *de transact.* Rot. *decis.* 191. *num.* 8. *par.* 5. *rec.*, *et decis.* 129. *num.* 19. *par.* 7. Piton. *de contr. patr. alleg.* 63. *num.* 20., *et seq.*

(4) Arg. cap. 1. de transact. Rota coram Merlino dec. 854. n. 5. dec. 140. n. 16., et seq. par. XVI. rec. dec. 777. n. 8. par. XVIII. tom. 2. — (5) L. quamvis 38. C. *de transact.* — (6) Piton. *alleg.* 91. *de contr. patron. num.* 16., *et* 37. — (7) Piton. *loc. cit. num.* 12. post. Urceol. *de transact. qu.* 27.

(8) *In can. Sylvester* 13. *caus.* XI *qu.* 1., *et l. cum a matre* 14. *Cod. de rei vindicat.* — (9) In L. *cum quaeritur.* D. *de admin. tutor.* — (10) *L. si diversa* 14, *et l. sive apud acta* 28. *Cod. de transact.* — (11) Dec. 327. n. 8. par. 15. rec.

substantiam, puta quod inita sit super certo, liquidoque iure (*), aut lis per fraudem, et simulationem excitata; aut consensus alicuius interesse babentis defecerit; eatenus irrita erit, ut quaevis adbibitae solemnitates adsensus vel Ordinarii, vel Pontificis eam convalidare haud valeant (1).

XXIV. *Permutari* quoque patronatus cum re temporali non poterit, quod permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur a Gregorio IX. (2). (XXV.) Quum vero canones permutationem Ecclesiae cum Ecclesia, seu beneficii cum beneficio (quod in iure spirituali consistit) accedente Episcopi auctoritate permittant, (3) tum vel maxime patronatum cum alio patronatu commutare concedant necesse est ob temporalem naturam iuripatronatus inditam. Quid enim caussae erit, cur clericis beneficiariis beneficia sua spiritualia commutare liceat, patronis vero laicis patronatus iura ne spiritualia quidem, sed spiritualibus adnexa prohibeatur?

XXVI. De onerosis huc usque titulis transferendi patronatus ad particulares successores dictum est: deinceps lucrativos, et gratuitos percurram; in primisque *donationem*, quae personas e sanguine fundatorum extraneas non raro efficit legitimos beneficiorum patronos. Quoniam vero Ecclesiarum patroni olim ius advocationis, seu patronatus titulo donationis, aliisque ad libitum contractibus pro voluntate sua contra canonum regulas in alios transferre non dubitabant, Lucius III., praecipue decrevit contractus eiusmodi nullam vim habere (4). (XXVII). Quoties nimirum Episcopi consensus, vel Summi Pontificis auctoritas Episcopo abnuente non intercederet (5). Laicus idcirco patronus in extraneum laicum, nisi Dioecesanus adsentiatur, patronatum donatione baud transferre potest. (XXVIII.) Auctoritas enim Episcopalis, omnino requiritur ad simoniae labem, et illicitarum, tacitarumque pactionum suspicionem submovendam, ac purgandam (6), adeout si quando Episcopus simoniacam esse inspexerit, tamquam ipso iure irritam improbet, abiiciatque.

XXIX. Si tamen laicus patronus non laico, sed Ecclesiae, locove religioso, puta Canonicis, vel Monachis, aliisve personis, ac dignitatibus ecclesiasticis intuitu Ecclesiae, non personae patronatum absque

(*) Et iure, meritoque. Transactio enim definitur: *conventio, qua res dubia dato aliquo, vel retento, vel promisso*, deciditur (L. 1. D. L. 28. C. h. t.). Unde de re certa inita, in alium transit contractum. Licet vero illa iuriurando, et rei iudicatae aequiparanda sit (L. 20. C. h. t. L. 31. de iureiur.), ac proinde impugnari nequeat per indebiti condictionem (L. 32. C. h. t.): aut ob laesionem enormem (L. 10., et 16. C. h. t.): aut ob instrumenta noviter reperta, nisi in caussa pupillari, et reipublicae (L. 36. D. de re iudic.); attamen ob metum, dolum, falsaque instrumenta rescindi potest (L. 14. 13., et 19. C. h. t. L. 1. C. si ex fals. instrum).

(1) Rota *dec.* 348. *num.* 9. *par.* 14. *rec.* coram Coccino *decis.* 391. *num.* 3., *et alibi.*—(2) In cap. fin. *de rer. permut.*—(3) *Cap. ad quaestiones* 6., *et cap. cum olim* 7. *de rer. permutat.* — (4) Cap. praeterea 23. de iurep.

(5) *Cap. nullus* 17. *eod. tit.*, et Glos. *in eodem cap. praeterea ver. contractus.*—(6) Lambertin. *lib.* 1. *par.* 2. *qu.* 1. *art.* 12. *num.* 7., et Vivian. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 21.

adsensu Episcopi donaverit, non immerito quaeritur de actus eiusmodi valore. Quod nullus fere laicus nec decimas, Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici iuris est, sine concessione sui Pontificis, monasteriis, vel Canonicis conferat, decrevit Alexander III. (1). Ubi *Ecclesiam* Glossa accipit pro patronatu. Idem nihilominus Pontifex (2) palam distinguens Ecclesiam a patronatu, rescripsit Wintoniensi Episcopo laicum sine auctoritate Episcopi nemini posse Ecclesias dare, *licet religioso loco iuspatronatus conferendi liberam habeat facultatem.* Pariterque Bonifacius VIII. efficacem censuit eiusmodi patronatus collationem, seu donationem a laico Ecclesiae factam, quamvis absque adsensu Episcopi: voluit tamen per eamdem in aliquo non derogari iuri Episcopi, qui adsensum non praebuit; puta instituendi quos donatario praesentaverit Ecclesia (3). Hinc patronatus laicalis ad Ecclesiam transiens tunc naturam, et qualitatem ecclesiasticam induet, reservationibus pontificiis obnoxiam, de quibus inferius.

XXX. Duplex forma in donationibus patronatus inspicienda est: scilicet *privativa*, et *cumulativa*. Si patronatus nihil sibi iuris reservaverit, sed totum donatario contulerit, *privativa dicitur*. *Cumulativa* vero, dum alium compatronum una cum seipso donante adsciverit, suumquo ius donatario participaverit. Priori forma, ubi donator ab semetipso patronatum omnino abdicaverit, et valida, perfectaque donatione in alium transtulerit, patronumque legitimum sic privative creaverit, nequibit amplius de patronatu disponere, nec patroni iura exercere (4), ubi Alexander III. irritandam rescripsit institutionem clerici, quem laicus olim patronus post donationem patronatus religiosae domui collatam praesentaverat. Incivile est enim, atque inusitatum semel voluntate libera factas donationes, atque translato dominio in donatarium temere, ac sine caussa revocare, vel regressum ad res donatas habere (5). Tantoque magis haec firma esse, si piis actibus, vel religiosis personis donatio deputata sit, inquam cum Iustiniano (6).

XXXI. Idque nullam fert dubitationem, ubi a donatario fuerit acceptata donatio, et eam Episcopus nondum acceptaverit. (XXXII.) Quandoquidem donatarius bene poterit praesentationes, aliosque patroni actus gerere sub conditione futuri adsensus ab Ordinario impetrandi, eodemque tempore adsensum postulare, quo firmabitur donatio non vitiosa, neque illicita.

XXXIII. Etenim ante adsensum Ordinarii donatio patronatus etiam laico facta eatenus implicitum statum validitatis habet, maxime ob iuramentum, fidemque humanam naturali Iure servandam, ut revocari nequeat, vel rescindi sine periurio, ac perfidia (7) *Nec nos* (ait Alexander III.) *alicui dare materiam volumus veniendi contra iura*.

(1) In cap. nullus 17. de iurep. — (2) In praeced. cap. *Illud praetereundum* VIII. eod. tit. — (3) In Cap. un eod. tit. in VI.

(4) *Dict. cap. illud praetereundum* 8. *de iurep.*

(5) *L. incivile* 12. *Cod. de revocand. donat.* — (6) *In l. si quis argentum* 35. §. *fin. Cod. de donat.* — (7) Rot. *dec.* 80. *nu.* 50., *et seq. par.* 17. *rec.* et in Maceraten. 1. Iun. 1711. impressa per Pitonium *post alleg.* 40. *num.* 30.

mentum proprium , ne auctores periurii videamur (1). (XXXIV). Nihil quippe erit , cur donationem non simoniacam , nullaque labe maculatam non adprobaturus re integra sit Ordinarius , cuius quidem adsensus donationem , et quamlibet dispositionem fere subsequitur , et ratibabitione adprobat.

Quam ob rem non substantiam donationis , sed accidentalem solemnitatem spectat adsensus episcopalis. Non enim de substantia, et forma esse potest solemnitas , quae subsequatur (2). *Hinc tutor statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri : post tempus vero, aut per epistolam interposita eius auctoritas* nihil agit , monente Caio Iureconsulto (3). Quoniam *auctoritas* tutoris ad formam , et substantiam contractus pupilli pertinet : secus autem *consensus* , et voluntas , qui quaeve post finitum etiam negotium ratihabitione, et actu quolibet sine verbis accedit. Quod erudite observat Gothofredus (4), ut patet exemplo consensus paterni super obligationibus filiorumfamilias (5). *Necesse est enim patris ratihabitionem , vel principali mandato patris vel consensui non esse absimilem , quod generaliter omnis ratihabitio prorsus retrotrahatur, et confirmet ea, quae ab initio subsecuta sunt , ait Iustinianus Imperator.*

XXXV. Hoc solum discriminis inter paternum consensum , et adsensum Ordinarii advertere heic iuvat : quod pater volens nullo cogente iure contractus filiorum , si lubeat , approbet : Episcopus etiam invitus necessitate iuris compellitur ad adsentiendum donationi patronatus , quae nullo vitio laboret : eoque sine causa, ac temere nolente supplebit eiusmodi solemnitatem Superior vel Metropolitanus, vel Curia Romana in gradu appellationis (6). Ius enim *ad rem* tribuit donatio per Ordinarium non adprobata , quod adimere haud potest Ordinarius sine iniuria : seu actionem conditionalem , spemque iuris quaerendi. Nam docente Ulpiano , *conditionales* creditores dicuntur et hi, quibus nondum competit actio , est autem competitura : vel qui *spem* habent ut competat (7). Cuiusmodi spes ius ad rem proculdubio constituit.

XXXVI. At vero nullum *ius in re* donatarius adquirit ante adsensum, qui nonnisi postquam Episcopi donationem probaverit, efficitur patronus , ac patronatum canonice adipiscitur. (XXXVII.) Consequens inde est priorem donationem adsensu destitutam adeo inefficacem haberi, ut si alteri secunda fiat donatio patronatus cum Dioecesani adsensu , haec tempore posterior praevaleat, et potior sit in iure, quae proinde plenum *in re* ius quaesitum , patronatumque transfert reapse in posteriorem donatarium , post habito priore : nisi prior donatarius re integra adsensum ab Ordinario postulaverit , et per ipsum non steterit , quominus obtinuisset. (8). Sane conditio adsensus impetrandi pro

(1) Cap. *si vero* VIII. *de iurep.* — (2) Felin. *in cap. cum dilecta num.* 6. *de rescriptis , et cap. quoniam ut lite non contest.* Fagnan. *in cap. qui presbyterum num.* 62. *de poenit., et remiss.* — (3) *In l. obligari* 9. §. *tutor* 5. *D. de auctoritate , et consens. tutor.*

(4) *Ad eam. rubr. D. de auctor. et consens. tutor.* — (5) *L.* 7. *seu fin. C. ad Sen. Cons. Maced.* — (6) Rota *post cit.* Pitonii *alleg.* 40. *num.* 38.

(7) L. *conditionales* 54. D. *verb. signif.* — (8) Rota *decis.* 306. *num.* 9. ,

impleta respectu prioris donatarii habebitur, si aliunde impedimentum intervenerit, quam ex facto suo. *Plerumque enim haec conditio, si dederit, si fecerit, ita accipi oportet, quod per eum non stet, quominus det, aut faciat, inquit* Marcellus (1).

XXXVIII. Cuiusmodi adsensus, et praecedere, et concomitari, et subsequi potest donationem, aliasque dispositiones, in quibus requiritur, transferentes patronatum: quum necessum non sit formam simultaneo eius concursu ingerere, sed solemnitatem solum actui superaddere ex antedictis *num. XXXIV.* (XXXIX.) Quin praesumptus etiam ob lapsum triginta annorum, tacitusque sufficit ob tributam donationi observantiam, puta ob institutionem clerici a donatario praesentati (2). Namque *non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam actu*, docuit Scaevola Iurisconsultus (3).

XL. Ad diem nihilominus donationis retro minime trahi adsensum, ne ius interea quaesitum alicui alteri laedatur, unanimi sententia DD. fatentur, et Rota Romana pluries definivit in casibus relatis apud Piton (4). Tametsi ob favorem ultimae voluntatis retro ad diem mortis testatoris trahitur super legato, de quo paulo inferius *nu.* LIX. Consequitur exinde validam haberi praesentationem ab herede donantis factam, antequam Episcopus donationem acceptasset, vel donatarius adsensum episcopalem postulasset, ut censuit Rota coram Emerix iun. (5): quum donator, eiusque heres, quasi possessione presentandi non decidat, nisi post probatam ab Ordinario donationem, ex perpensis a Pitonio (6).

XLI. Vicariis Episcoporum generalibus ex generali commissione officii non competere facultatem confirmandi donationes patronatum, nisi eam Episcopi mandato speciali delegaverint, indubium est (7), ex rationibus expensis super *cap. VI. de adsensu dioecesani num. LVII.*

XLII. Nonnullos mox casus percenseam, quibus opus non est adsensui episcopali donationem patronatus comprobare. Compatronus bene quidem ius suum compatrono sine ulla Episcopi auctaritate donat, ac cedit. Ratio enim iuris individui, quale patronatus est, efficit, ut donans iste semetipsum tollens e compatronorum numero ius suum potius extinguat, quam transferat ad donatarium compatronum: et vicissim donatarius hic, ob ius non decrescendi, pleniorem sortiatur patronatus consolidationem (8). Neque urgere contra videtur ea suspicio fraudis, illicitarumque pactionum in personis compatronorum iam ab

et 10. *par.* 11. *rec.* apud Mantic. *decis.* 86. *num.* 7, Card. de Luca *disc.* 56. *de Iurep. num.* 7. *ad* 11. Piton. *alleg.* 40. *num.* 2.

(1) In L. *uter* 23. D. *de condit. instit. L. Titius* 14. D. *de condit., et demonst.* — (2) Vivian. *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. Piton. *alleg.* 100. *n.* 314. — (3) In L. *non tantum* 5. D. *ratam rem haberi.* — (4) *Alleg.* 100. *n.* 229. 234., *et seq.*. et Card. de Luca *in mantiss. decis.* 25. *num.* 12.

(5) Decis. 573. 593. 620., et 654. — (6) Alleg. 40. sub num. 12.

(7) Piton. alleg. 7. n., et alleg. 66. n. 39.

(8) Lambertin. *lib.* 1. *par.* 2. *quaest.* 1. *art.* 12. Duran. *dec.* 87. Gratian. *discept.* 577. *num.* 27.

Ecclesia probatis, quae novas, extraneasque personas ab quaerendo patronatu eliminat.

XLIII. Idemque dicendum, si donatio fiat non actuali compatrono, sed futuro, proximoque successori tam necessario, quam voluntario, sub conditione, vel in diem, qua verificata, vel adveniente, donatarius reapse donantis successionem titulo universali adeptus fuerit (1). At pendente conditione, atque ante diei adventum donatio non proderit futuro successori, nec etiam filio: nisi eam Episcopus confirmaverit (2). Nam filius vivente patre in hereditario, vel mixto patronatu nullum ius quaesitum obtinet, neque certam succedendi spem, quum valeat parens ad extraneum heredem, filio posthabito, et patronatum, et universam, salva portione legitima hereditatem deferre. Nihilominus inspecto Naturae ordine filius quum regulariter putetur proxime successurus patri, donatione universali bonorum omnium redolente praeventivam potius successionem, quam particularem alienationem, patronatum accessorie sine adsensu episcopali etiam adquiret. Sicuti enim regius adsensus non requiritur in feudi refutatione, et praeventiva cessione, quam possessor fecerit successori proximo in iuvestitura comprehenso (3), ita in patronatu refutando haud necessarius esse videtur Episcopi adsensus.

XLIV. Si compatrono, qui patronatum familiari, vel gentilitia qualitate praeditum obtineat, compatronus ius suum hereditarium donaverit, totum patronatum effici familiare, aut gentilitium censuit Pitonius (4) ea ratione ductus, quod pars donata accedens ad totum consolidandum unam, eamdemque totius naturam induere debeat: nec diversitas qualitatum, quae in pluribus personis, lineisve admittitur, toleranda sit in una, eademque persona. Pro suaque sententia laudat Bellon. (5). Quam sententiam amplecti non abnuo, dum pars donata minor sit, philosophis docentibus adiunctum cedere subiecto: et iureconsultis accessorium sequi principalis naturam. Quum vero pars isthaec foret fortasse maior, vel certe aequalis alteri, cui accrescit, aliter ipse sentirem, perpenso iure accessionis, et commixtionis. Maior sane pars trahit ad se minorem. Et aequalium alterutra suam naturam in commixtione adhuc retinere potest, vel certe *mixtam* ex utraque assumere: quum perinde facilis sit earum separatio post consolidationem, atque ante fuit earumdem divisio in plures personas, et diversitas in qualitatibus (6).

XLV. Consanguineo factam donationem inter pios, ac laudabiles actus

(1) Lambertin. *de iurep. lib.* 1. *par.* 2. *qu.* 6. *art.* 2. *num.* 4. Rota apud Piton. *post alleg.* 20. *num.* 23.—(2) Gratian. *loc. cit.*, et Vivian. *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 8.—(3) *Cap. imperialem de prohibit. feud. alienat. et Regni constit. incip. Constitutionem divae memoriae.*—(4) Alleg. 92. n. 63.

(5) *De iure accres. cap.* 9. *qu.* 44. *num.* 1., et Rot. *in Tridentina beneficii* 20. *Iunii* 1712. §. *fortius* coram Ansaldo, coram Royas *dec.* 446. *num.* 10. coram Bichio *dec.* 206 *num.* 6. *dec.* 336. *num.* 4. *par.* 5. *rec.*, *et* 663. *num.* 13, *par.* 18. *tom.* 2.—(6) Arg. *l.* *idem Pomponius* 5. §. 4. *D. de rei vindic.* et *L. lacus* 12. §. *de adquir. rer. domin.*

accensuit Rota (1). At haec pietatis ratio non supplet necessariam adsensus Episcopi solemnitatem, ex iam dictis *num.* XLIII.

XLVI. Donatio patronatus fere praesumitur cumulativa, eoque animo facta, ut patronus aliorum sibi compatronum adiungeret (2). Eam etenim interpretationem dare donationi debemus, quae minus noceat donanti (3). XLVII. Si tamen ipse verbis perspicuis declaravit a seipso abdicare totum patronatum, illudque solidum transferre donatario velle, quod semel ei placuit, amplius displicere non poterit.

XLVIII. Complures hac in re donationis species discernendae sunt. Et primo *particularis*, et *cumulativa*, quae participem cum alio, vel aliis facit donatarium de patronatu a *totali*, qua unicus creatur patronus.

XLIX. Rursus modo *perpetua*, modo *temporalis*, seu ad vitam donatariis, seu ad dictum temporis spatium erit donatio patronatus (L.) In dubio tamen praesumitur esse perpetua. Natura enim donationis postulat devolutionem, ac transmissionem iurispatronatus incessantem ad donatarii heredes, et successores in perpetuum etiam extraneos, Rota *dec.* 264 *num.* 2. *par.* 13. *rec*, et contrahentes de stylo etiam stipulari declarant tam pro seipsis, quam pro eorum heredibus, et successoribus.

LI. Insuper et *causa mortis*, et *inter vivos* pro libito contrahentium patronatus iura donantur.

LII. Si quis praesentandi ius tantum donaverit, bene partialis donatio erit: dum cetera onerosa, et honorifica, et utilia patronatus iura donanti patrono salva permanent. Eademque ratione qui iura tantum honorifica in alium transtulerit, vel cum alio communicaverit partem patronatus, non totum donasse putatur, ex Baldo (4).

LIII. Quin ius praesentandi si cui pro una vice dumtaxat contulerit patronus, illud aequipollet potius mandato irrevocabili ad praesentandum, quam donationi (5). Quod propterea morte mandantis extingui, censuit articulo mature discusso Rota (6), ex regula Textus (7). Tametsi ad valorem donationis eiusmodi requiritur etiam adsensus episcopalis (8).

LIV. Conditiones quandoque multiformes donationibus patronatus adponuntur, quae nisi evenerint, donatarii nullum ius exinde adquirunt, ex iuris axiomate (9). Et contra postquam extiterit, impletaque sit conditio, effectum suum donatio sortitur. Eo autem casu, quo patronus

(1) Coram Othobono *dec.* 182. *num.* 26. coram Cerro *dec.* 321. *num.* 30.

(2) Rota penes Piton. *post alleg.* 52. *num*, 77., *et* 78. idemque Doctor *alleg.* 39. *num* 9., *et alleg.* 100. *num.* 166. Decius *tot. cons.* 542. Carol. Maranta *resp.* 6. *num.* 14. *par.* 3. Rota *decis.* 385. *num.* 8. *par.* 1. rec.—(3) Capodia *de reg. Iur. in* VI.

(4) *Lib.* 3. *cons.* 32., *et* 285. Roch. de Curte *verb. ipse, vel is num.* 44., *et* 45. Lambertin. *lib.* 2. *par.* 2. *qu.* 5. *art.* 19. — (5) Lambertin. *lib.* 2. *par.* 1. *qu.* 8. *art.* 11. *num.* 2. Rota *dec.* 257. *num.* 3. *par.* 2. *rec.* — (6) Dec. 583. coram Emerix. iun.—(7) In L. *mandatum* Cod. *mandati.* — (8) Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. — (9) *In l. cedere diem* 213. *D. de verb. sign. totoque tit. D. de condition.*

sub conditione, si decesserit sine filiis, donasset patronatum, deinde illiberis solemnem professionem in aliqua religione emisisset: moriens non ad Monasterium (quod alias pro filio fictione iuris habetur), sed ad donatarium transmittit iuspatronatus, ob impletam conditionem mortis naturalis sequutae filiis non relictis (1).

LV. Quoties tamen filii patrono, qui donavit, supervenerint, sive ex primis, sive ex secundis nuptiis, irrita fit donatio patronatus, quamvis pure, ac sine aliqua conditione in favorem cuiuslibet etiam consanguinei, locive pii confecta, ob tacitam conditionem, si sine filiis decesserit, quam optime iura praesumunt in donationibus (2). Idque ad rem hanc ipsam pluribus comprobat Vivian. (3) (*).

LVI. Rescinditur quoque donatio actibus eidem adversantibus: dum scilicet donatario eam non acceptante, nec reclamante donator iura

(1) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 41.

(2) *L. cum avus D. de condit.*, *et demonstr. L. cum acutissimi C. de fideicomm. et l. si umquam. C. de revoc. donat.* — (3) Lib. 4. cap. 4. n. 31., et seq.

(*) Quamvis soli patrono civiles leges Ius donationem revocandi ob supervenientiam liberorum olim concesserint (L. *si numquam* 8. C. h. t.), plerique tamen Doctores ad quosvis donatores beneficium istud extendi tradunt. Aiunt enim: donatio ab illo facta, qui liberos non habet implicitam conditionem in se continere videtur, si liberi ipsi postea nati non fuerint. Quod si de iis cogitasset, profecto donationem non fecisset: quippe quod nemo praesumitur in Iure successiones alienas propriis anteponere. (L. cum avus 102. *de condit.*, et L. *cum acutissimi* 30. C. *de fideicom.*).

Atvero Vinnius, Antonius Faber, aliique gravissimi docent pro patronis dumtaxat hanc revocandae donationis speciem fuisse in iure introductam, tum quia ea fuit mens Constantini, cuius est d. Const. *si numquam* ad Praefectum Praetorio directa, tum quia quoties lex certis personis aliquid beneficii tributum vult, ad alios illud non pertinere, explorata res est. (L. *si vero* 64. §. penult. *solut. matrim.* L. *constitutum* 21. *de test. mil.*) Addunt: nec Graecis illud extenditur (Basil. 47. tit. 2. Harmen. tit. 2.): nec aliter sancitum L. 5. Cod. Theodos. *de revoc. donat.*. quam interpretatus est Anianus, qui Alarici Regis tempore floruit, multis annis ante Iustinianum.

Praeterea instat Vinnius: in singulis Digestorum Libris nulla mentio de hac specie revocationis generaliter cuilibet donatori concessa reperitur: tum Iure Canonico: Augustinus (cap. ult. cap. 17. quaest. 4.) summis laudibus Aurelium Chartaginensem Episcopum prosequutus, quod bona donatori ob susceptam sobolem reddidisset; quae prius Ecclesiae donaverat, inquit: *in potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.* Quare cum ea lex de patronis, et libertis tantum caveat, et interpretis non sit ad alios casus, vel extraneos eam producere, infert Vinnius ad quoslibet donatores illam minime pertinere.

Illud vero heic animadvertendum est, quod contraria sententia in praxi obtinuit, et diserte Iure Novissimo Cod. LL. civ. art. 885. sancitum legimus: *quaslibet donationes inter vivos ab illis factas, quibus liberi, aut descendentes viventes tempore stipulationis huius actus non essent, quocumque titulo, et licet reciprocae, et remuneratoriae, illis etiam non exceptis, quae propter nuptias a quovis confectae fuerint, praeter ascendentes in favorem coniugum, aut ab his reciproce, ipso iure revocari ob supervenientiam filii legitimi donantis, quamvis posthumi, aut ob legitimationem per subsequens matrimonium filii post donationem nati.*

patroni exercuerit, praesertim in praesentandis beneficiariis, et capelanis. Unusquisque enim iuri suo renunciare nedum expresse, verum etiam tacite potest: eoque vel maxime ius quaerendum respuere haud acceptando donationem (1). Attamen quotiescumqne agatur de donatione mere lucrativa, prodest acceptatio Notarii absentibus, et omnibus aliis, quorum interest (2).

LVII. Quod iuris in donatione patronatus viget, id locum quoque obtinet in legato, et fideicommisso particulari, de quo dicendum superest, quum de universali fideicommisso iam dictum sit superius (3). Enimvero compatronus compatrono, et Ecclesiae, vel Monasterio sine adsensu episcopali patronatum valide legat, fideique committit. (LVIII). Secus autem extraneo, ad quem, nonnisi probante Episcopo, transfertur iuspatronatus, vel legato, vel fideicommisso particulari relictum (4). Huc spectare videtur textus (5), unde monumenta quidem legari non posse manifestum est: ius autem mortui inferendi legare nemo prohibetur. Cum enim religionem spectarent monumenta, et sepulchra apud gentiles etiam (6); cura sepulchrorum ad Pontifices pertinebat, et nonnisi Pontificum permissu (salva religione) refici, vel in eis quid innovari poterat (7). Quemadmodum hodie ad christianos Praesules, et forum ecclesiasticum pertinet.

LIX. Verum adsensus Episcopi ad diem mortis testatoris retrotrahitur ex recepta sententia Zabarellae (8), quam seqnuta est Rota coram Duran. (9) (LX.) Hinc sequitur gesta per heredem interea nullius esse momenti, et heredi patronatus iura exercenti praevalere legatarium, ac fideicommissarium, praesertim in praesentando.

LXI. Dum vero legatarius non agnito, quoad vixit, legato decesserit, patronatus in hereditate permanet, ab eaque haud abdicabitur (10). Quod intelligendum de oneroso legato. (LXII.) Quod enim ad lucrativum, acceptatio praesumitur, adeout eam in iudicio probare non opus sit (11). Heres idcirco legatarii aequo poterit consensum Episcopi postulare, ac posset vivens legatarius (12). Dummodo legati lucrum pure, ac sine conditione relictum fuisset. (LXIII.) Nam legatum conditionale fere non transmittitur ad heredem legatarii ante impletam conditionem decedentis (13). Quidquid aliter sit in stipulatione conditionali (14). Quod fusius edisserui altera praelectionum recitata in concursu ad instit. Iu-

(1) *Rota Alleg. 46. num. 14.* — (2) *Piton. dec. 365. num. 5. par. 13. rec.* — (3) *Cap. 10. num. 25., et seqq.* — (4) *Card. de Luca Disc. 56. de iurep. num. 6.* — (5) *In l. monumenta 14. C. de legatis.* — (6) *L. 1. §. 6. D. de mortuo inferendo, et sepulcro aedificando.* — (7) *L. ult. D. eodem., et l. ossa 8. D. de religiosis, et sumptibus funerum.*

(8) *In cap. cum saeculum num. 3. de Iurepatr.* Roch. de Curte *in verb. ipse, vel is num. 16.* — (9) *Dec. 463. num. 10.*, et coram Celso *dec. 85. num. 4.* — (10) Rol. coram Otthobono *dec. 230. n. 20., et dec. 243. n. 10.*

(11) Rota *dec. 217. num. 12. par. 9. rec.* Card. de Luca *de legatis disc. 28. num. 3.* — (12) Rota coram Emerix iun. *dec. 1019. num. 16.* Menoch. *lib. 4. praesumpt. 201. num. 34.* — (13) *L. si post diem 5. D. quando dies leg. vel fideicom. ced. et l. un. §. sin autem 7. Cod. de caduc. tollen.*

(14) L. *is cui 42. D. de oblig., et act.*

stin. (LXIV.) Vix autem legatarii heres, si ei testator adimplendae conditionis potestatem dederit, spem adipiscendi legatum habebit: aut si conditio non ab homine, seu testatore sit expresse apposita, sed a lege solum tacite intellecta, iuxta celeberrimam Papiniani sententiam (1).

De modis adquirendi, ac transferendi patronatus dictum est hactenus: deinceps, ut initio proposui, de nominandi, ac praesentandi iure, effectibusque patronatus dicendum.

CAP. XV.

DE ACTIVO NOMINANDI AC PRAESENTANDI IURE.

I. Maxima ex praerogativis patronorum consistit in iure nominandi, ac praesentandi.
II. Vetusta ordinandorum oblatio conversa est in praesentationem, seu nominationem.
III. Qui nominationem a presentatione distinguunt, eam a privilegio, hanc a patronatu iustitiae defluere putant.
IV. Alii nominationem praesentationi praeambulam dicunt.
V. Praesentare idem sonat, quod praesentem exhibere personam idoneam Superiori ecclesiastico.
VI. Nominare idem, quod aut praesentem, aut absentem designare.
VII. Nominari, ac praesentari plures insimul possunt, eligi nonnisi unus.
VIII. Electus porro maius ad rem ius adquirit, quam praesentatus.
IX. Ecclesiastici patroni praesentatio electioni aequipollet.
X. Laici patroni possunt bis cumulare praesentatos: ecclesiastici nequaquam.
XI. Etiamsi indignum scienter praesentaverint laici, possunt cumulando iterum praesentare: ecclesiastici bona tantum fide excusantur.
XII. Possunt nihilominus, ac solent praesentantes cumulationi renunciare.
XIII. Tam verbis expressis, quam tacitis, et aequivalentibus.
XIV. Antequam exhibeatur Ordinario prior nominatio, fas est ecclesiastico patrono alterum praesentare.
XV. Cumulatio nonnumquam subsidiarie fit in deficientiam prioris nominationis.

(1) *In l. conditiones exstrinsecus 99. D. de condit., et demon.* Peregrin. *de fideicom. art. 21. num. 23.*

XVI. Non perficitur praesentatio, nisi auctoritate vel Episcopi, vel Vicarii generalis.

XVII. Metropolitae non fit praesentatio, nisi ex expressa lege fundationis.

XVIII. Si ad Papam institutio pertineat, in Dataria facienda est praesentatio.

XIX. Coram illegitimo Superiore facta praesentatio non valet.

XX. In Metropolitana Curia, vel Rota Romana, nonnisi post coeptum appellationis iudicium licet patronis praesentare.

XXI. Praesentatum idoneum nequit Ordinarius sine causa repulsare, sed omnino debet instituere.

XXII. Et ubi votis dissentaneis compatroni plures praesentaverint, institutio debetur ei, qui plura vota sortitus sit.

XXIII. Quia maior praesentantium pars praesumitur sanior.

XXIV. Nisi maior pars indignum praesentaverit.

XXV. Praesentatus a maiori parte idoneus confirmandus est, posthabito magis digno a minori parte nominato.

XXVI. Ad curata etiam beneficia laici patroni idoneos praesentare non prohibentur.

XXVII. At ecclesiastici patroni magis dignos tenentur praesentare.

XXVIII. Maior pars fere spectatur, quae medietatem excedit.

XXIX. Vel quae singulas minores praesentantium partes exuperat.

XXX. Nisi ad collegium pertineat praesentatio, in quo maior pars debet omnino excedere medietatem.

XXXI. Votorum computatio multas causatur quaestiones.

XXXII. Singuli confundatorum coaequale votum habent.

XXXIII. Et quisque eorum vocem suam ad successores transmittit discretive.

XXXIV. Quatenus minor pars successorum unius fundatoris a maiori eorumdem absorbeatur.

XXXV. Successores in patronatu mere hereditario, vel mixto votum dant in stirpes.

XXXVI. In gentilitio autem, vel familiari praesentant in capita.

XXXVII. Divisis in patronatu gentilitio stirpibus, omnes insimul personae cuiusque stirpis, nonnisi vocem unam constituunt.

XXXVIII. Quo casu maior pars minorem in qualibet stirpe absorbet, nec minor pars unius alteri stirpium adhaerere potest.

XXXIX. In familiari, ac gentilitio filii cum parentibus ad praesentandum concurrunt.

XL. Nisi fundator maluisset praerogativam graduum in praesentando servari.

XLI. Duobus cumulative compraesentatis, neuter quaesitum ius ad institutionem habet.

XLII. Pluresque si praesentati sint, alius alii vota sua cedere non potest sine adsensu pontificio.

I. Maximam patronatus praerogativam, usumque praecipuum consistere in iure nominandi, et praesentandi beneficiarios quotidiana docet experientia. Donec in ipso ordinationis actu clerici praebendam, seu beneficium obtinebant ea in Ecclesia, cui serviendae per ordinantem Episcopum adscriberentur, patroni *offerebant* Episcopis vel laicos, vel clericos ordinandos. (II.) Quo autem ex tempore a collatione ordinum seiuncta est collatio beneficiorum, patroni clericos in beneficiis vacantibus instituendos *praesentare*, hoc est in praesentia Episcopi personaliter offerre coeperunt. Veterum hinc oblationem postea nuncuparunt *praesentationem*, itemque *nominationem*, quae uno, eodemque sensu vocabula accepta sunt a Iustiniano (1). Graeco sermone Iustinianus verba ονομαζειν επιλεγεσθαι usurpavit, quae Iulianus antecessor vetus Novellarum interpres in latinas voces *nominationis*, et *electionis* produxit: Patres autem, et Scriptores mediae aetatis in Conciliis usi sunt saepius verbo *commendationis*, et *commendandi*, ad id significandum, quod sub vocabulo *praesentationis* hodie intelligimus, ut observat eruditissimus Franc. Florens (2). Quandoquidem hos inter Leo III., qui sedit exeunte octavo, et ineunte nono saeculo in epistola ad Carolum Regem (3), codem sensu rescripsit contra Sanctorum Patrum censuras fuisse presbyteros expulsos ab Ecclesiis, in quibus tempore ordinationis eorum *nominati*, alias *denominati*, vel introducti fuissent. Verbum nihilominus istud *denominationis*, seu *nominationis* heic accipi non debet pro simplici nominatione, ex qua sola perperam infert Glossa (4) ius consequi nominatas personas, sed pro canonica institutione, atque adscriptione ad Ecclesiam, ex censura Correctorum Romanorum *ibidem*.

III. Posterioribus vero temporibus ius *nominationis* plerumque distinxerunt DD. a iure *praesentationis*: autumantes eam a privilegio, et extraordinario patronatu gratioso, hanc ab ordinario patronatu iustitiae promanare. Regiae hinc *nominationis*, non praesentationis passim esse dicuntur viginti quatuor Cathedrales Ecclesiae, ad quas iure Concordatorum inter Sedem Apostolicam, et Carolum V. Imperatorem Rex noster in singulis vacationibus deligit, nominatque novos Praelatos Summo Pontifici confirmandos, et ordinandos. Quo eodem nominandi iure utuntur Reges Galliae vigore etiam Concordatorum tam in Ecclesiis Cathedralibus, quam Abbatiis, et Prioratibus conventualibus (5). Praetereaque Universitatibus, seu Academiis celebrioribus Galliae, et

(1) Nov. CXXIII. cap. 18. — (2) Par. 1. de *antiq. iurep.* — (3) Fragmentum huius a Gratiano adfertur *in can. contra Sanctorum 29. caus. XVI. qu. 7.*
(4) In eod. can. 29.
(5) Duarenus *de sacris Ecclesiae ministris lib. 5. de benefic. cap. 12.*, et Ioan. Dartis *in tractatu de benef. sect. 7. cap. 4.*

Delphinatus, Viennensis concessa est nominatio scholastica graduatorum ad beneficia, quae Ordinarii debent graduatis simplicibus conferre mensibus Aprilis, et Octobris: graduatis vero nominatis, mensibus Iunii, et Ianuarii iure Concordatorum inter Leonem X., et Franciscum I. Regem (1).

IV. Rursus *nominatio* a peritis pragmaticis rectius accipitur pro actu praeambulo ad praesentationem, seu pro scripto instrumento, epistolaque patroni designante personam sibi placitam ad vacans beneficium de suo iurepatronatus adipiscendum. Praesentatio autem reapse fieri dicitur, vel quando patronus praesens coram Ordinario sistit personam sibi nominatam; vel quando exhibitio nominationis instrumento in Curia Dioecesana, Ordinarius interloquitur eam acceptando cum clausula *si*, *et in quantum* (2). Id discriminis perspicui agnovit Clemens III. (3) dum inquit: *Unus presbyter a patrono eligitur, et pro institutione habenda loci Episcopo praesentatur.* Hinc Rota coram Penia (4) mandatum ad nominandum minime continere facultatem praesentandi definivit: et mandatarium ad nominandum inutiliter, et ultra fines mandati praesentasse. Vulgo, et passim nihilominus pro synonimis accipiuntur electio, nominatio, praesentatio (5). Quia nominatus a patrono putatur constitutus procurator ad exhibendam Ordinario suam nominationem (6).

V. *Definitur* ex hactenus dictis *praesentatio*, quod sit unius personae idoneae, vel plurium Ordinario, ad quem institutio pertinet, per patronum legitime facta exhibitio (7). Et Rochus de Curte (8) definivit, quod praesentatio sit personaliter exhibere clericum praesentem sensibus corporeis illius, qui praesentatum debet confirmare, atque instituere. (VI). Dum *nominatio* aeque aptatur ad designandum absentem, atque praesentem, qui vacantis Ecclesiae institutionem sit adepturus.

VII. *Electionem* ab nominatione, et praesentatione differre ex eo intelligimus, quia in electione unus dumtaxat segregatur, ac proponitur: at in nominatione, ac praesentatione plures etiam, puta duo cooptantur: cum eligere stricta notione significet unum e pluribus secernere. *Electio facta de tribus, dicenda potius nominatio*, *videtur* Innocentio III (9).

VIII. Electio item canonica certum electo ius tribuit ad Ecclesiam (10): cum nominatio plurium nonnisi probabile, incertumque ius singulis nominatis det ante institutionem, seu confirmationem Superioris. Praeterea

(1) Dartis loc. cit.
(2) Passerinus *in cap. 25. de electione num. 339.* Tondut. *quaest. benefic. par. 3. cap. 259. num. 15., et 16.* Rota *dec. 665. num. 8. par. 18. rec.*
(3) In cap. *nobis 25. de iurep.* — (4) Dec. 1141. n. 7.
(5) Card. Zampárella in Clem. *plures* §. *quibus n. 1. de iurep.* Pitonius alleg. 100. n. 390., et 391. — (6) Mandosius ad Lupum *alleg. 75. n. 6.* Lambertin. *lib. 2. par. 2. artic. 2. qu. 4. num. 2.* — (7) Panorm. *in cap. ea noscitur de his, quae fiunt a Praelatis.* — (8) In *praefat. ad tract. de iurep.*
(9) In cap. *quod sicut 28. de elect.* — (10) Totus tit. decretal. *de elect.*

electio collegialiter, ac rite fit semper ad formam praescriptam in Lateranensi Concilio sub Innocentio III. (1): vel scilicet per scrutinium, vel compromissum, vel inspirationem; dum praesentatio plerumque usurpatur singulariter a compatronis non uti universis, sed uti singulis; nisi alicui collegio universim reservata sit.

IX. Verum ecclesiastici patroni presentatio magis redolet naturam electionis. Patronus enim laicus nedum unam idoneam personam (X.), sed plures etiam praesentare potest, et cumulare tam uno, eodemque actu insimul, quam successive unam post alteram non quidem *variando*, hoc est priorem revocando nominationem: sed *cumulando* personam aeque, vel magis idoneam, ut sic Episcopus *gratificationem* exercere valeat, instituendo quam maluerit. At patronus ecclesiasticus nec variare, nec cumulare secundum praesentationem potest, sed unam solummodo personam praesentare (2). Ubi cum patronus *Clericum idoneum Episcopo praesentaverit, et postulaverit postmodum*, eo non refutato, *alium aeque idoneum in eadem Ecclesia admitti; quis eorum alteri praeferatur iudicio Episcopi relinquendum* credit Lucius III. ad Nowicensem Episcopum rescribens, si *laicus* fuerit; *cui ius competit, praesentandi. Verum si collegium*, *vel* ecclesiastica persona *praesentationem haberet, qui prior est tempore*, iure potior esse videtur eidem Pontifici. Cum hac distinctione intelligi debet Clementina *II. de iurep.* Quae permittit etiam *plures ad vacantem Ecclesiam posse eo modo praesentari personas, quod una ex eis eligi per Episcopum valeat, et admitti. Laicis itaque patronis tantum* indulta est cumulatio, seu variatio cumulativa in praesentando: haudquaquam ecclesiasticis, ex modo dictis *num.* VII.

Bina tamen cumulatio iisdem laicis permittitur, et non amplius, ne detur progressus indefinitus. Qui propterea ultra duos cumulando nequeunt nominare (3).

XI. Et si quando indignum praesentaverit laicus patronus, tam sciens, quam ignorans incapacitatem illius, eo per Episcopum reiecto, alterum adhuc poterit praesentare (4). Ubi Alexander III. affirmat persaepe cogi Episcopum diutinam Ecclesiarum vacationem perferre, *quia personae minus idoneae praesentantur a laicis patronis* (5). Secus tamen est de patrono ecclesiastico, qui praesentando, vel eligendo indignum scienter, pro ea vice cadit iure suo: tametsi bona fide per ignorantiam, vel errorem si fecerit praesentationem indigni, post illius repulsionem admittur ad alterum intra sex alios menses repraesentandum.

XII. Quoties tamen laicus praesentans, vel in epistola, seu instrumento nominationis, vel in actu praesentationis promiserit, aut simpliciter, aut cum iuramento sese ratam habiturum praesentationem, ab eaque nequaquam recessurum alium praesentando, et renunciaverit be-

(1) In cap. *quia propter 42. de elect.*
(2) Cap. *cum autem 24. de iurep.* — (3) Lambertin. *lib. 2. par. 1. qu. 4. princ. art. 6.* — (4) Arg. *cap. cum vos de offic. ordin.* — (5) Thomassinus *par. 2. lib. 1. cap. 32. num. 12.*

neficio cumulationis, cui reapse solet saepenumero renunciari: tunc procul dubio exerceri amplius non poterit facultas cumulandi, ut vitetur periurium, dataque fides non falletur (1). Sane simplicem non cumulandi promissionem sine iuramento valere ad irritandam posteriorem praesentationem, tenuit Lupus (2) (XIII.). Quin promissionem non cumulandi verbis etiem aequivalentibus, et praesumptive induci, ac valere, puta si patronus nominare, ac praesentare dixerit Titium *solum, et non alium*, tenuit Pitonius (3).

XIV. Quoadusque tamen nominatio exhibita non fuerit, nec praesentata Dioecesano superiori, non impeditur ecclesiasticus etiam patronus, quominus possit alterum nominare, ac praesentare ob incompletam minimeque perfectam priorem praesentationem (4).

XV. Posterior praesentatio si fiat cum clausula *citra praeiudicium prioris praesentationis*, non cumulationem continet, sed subsidiariam solummodo praenominationem eo casu, quo prior praesentatio suum non sortiretur effectum (5). Nequit vero semel perfectam praesentationem patronus amplius revocare citra iniuriam; quia tolleret uni praesentato quaesitum ius ad rem (6).

XVI. Perficit praesentationem auctoritas ecclesiastici Superioris dioecesani (7). *Non licet enim patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem ad beneficia sui iurispatronatus, nisi Episcopo, aut loci Ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquomodo praesentare: alias praesentatio, ac institutio forsan secutae nullae sint* (8). Coram Vicariis generalibus, et Officialibus Episcoporum recte fit etiam praesentatio, utpote qui de iure possunt instituere praesentatos iuxta decretalem Alexandri III (9), Curiamque Ordinarii repraesentant (10). Secus coram iudice commissario, seu delegato, qui tametsi ab Epicopo facultatem cognoscendi, et definiendi quaestionem inter praesentatos super institutione habuerit, praesentationes tamen admittere sine expresso mandato nequibit, ex allegatis per Pitonium (11).

XVII. Si tamen in limine fundationis alius ab Episcopo, puta Metropolitanus, vel Summus Pontifex, praesignatus fuisset ad instituendum, praesentatio nonnisi coram volito per fundatorem superiore facenda est, ex supradictis (12). (XVIII.) Et quoties Papa institutionem concessurus est, non alibi, quam coram Datario, vel Prodatario penes acta Cancellariae Apostolicae, seu Notariorum Camerae praesentationem

(1) Barbosa *lib. 3. de Iure ecclesiastico cap. 12. 177.* Rota penes Merlinum *dec. 433. num. 4., et seqq.* Card. de Luca *disc. 43. de iurep. num. 10.*
(2) *Alleg. 78.*, et Lambertinus *lib. 2. par. 2. qu. 7. art. 16. num. 2.*
(3) Alleg. 99. n. 5. — (4) Rota *dec. 739. num. 14., et seqq. par. 18. rec. tom. 2.* Lotterius *lib. 1. de re beneficiaria qu. 6. mum. 36.* — (5) Marant. *respons. 14. num. 22. par. 3., et respons. 39. num. 36. par. 4.* — (6) Rota dec. 323. n. 12. par. 16. rec. — (7) Cap. *cum laici de iurep.* — (8) *Sess. 14. de refor. cap. 13.* — (9) *In cap. ex frequentibus 3. de institut.*
(10) Rot. *dec. 176. num. 14., et 15. par. 15. rec., et dec. 665. num. 10. par. 18.* — (11) *Alleg. 22. num. 14.* — (12) *Cap. 6. num. 26.*

confici debere, aliterque invalidam esse tradit Corradus (1). Nec etiam coram Cardinali Urbis Vicario factam valere ostendit Pitonius (2). (XIX.) Sed una corruere institutionem taliter praesentati ab incompetenti Superiore habitam ob insanabilem iurisdictionis defectum. Nec bona fides umquam tam praesentanti, quam praesentato suffragabitur ad nullitatem aut presentationis, aut institutionis convalidandam, sed vix ad impediendam re integra devolutionem provisionis, seu collationis ad Ordinarium institutorem, erroremque corrigendum nova, legitimaque praesentatione intra quadrimestrem ab die detectae nullitatis prioris praesentationis decurrendum (3).

XX. Coram Metropolitano autem, vel in Rota Romana (quae succedit in locum Ordinarii (4) ad facultatem instituendi) tunc solummodo licitam, ratamque fieri praesentationem quum caussa institutionis ad Rotam in gradu appellationis devoluta sit: ac detecta nullitate prioris, quae bona forsan fide secuta sit, secundae praesentationi locum esse coram iudice appellationis, erudite perpendit ibidem Pitonius (5). Aliter hinc dicendum de priori nominatione, ac praesentatione ante motam litem, vel propositam appellationem fortasse habita in Rotae auditorio, vel in Curia Metropolitana, hoc enim casu nondum successit in locum Ordinarii iudex appellationis.

XXI. Effectus praesentationis est, ut praesentatum a patronis idoneum, et capacem Episcopus, aliusve Superior omnino confirmare, atque instituere debeat, quem sine rationabili, et evidenti caussa nequit repellere: adeout si spreta nominatione, ac praesentatione beneficium alteri, quam praesentato idoneo conferatur, collatio, et provisio sit irrita, et retractanda per Superiorem (6). De quo in sequenti *cap. de institutionibus*. Idque planum est, ubi unus ab unico, vel ab universis concorditer compatronis praesentatus fuerit. Dum vero plures in una, eademque vacatione praesententur, iudicis ecclesiastici erit cognoscere, ac rite iudicare, uter duorum sit iure instituendus; perpensis singulorum casuum circumstantiis, quae faciunt, ut ex diverso facto diversum ius oriatur. Nonnullas earum, quae solent frequentius contingere, mox inspiciamus.

XXII. Si forte in plures partes, et personas patronorum se vota diviserint, ille praeficiatur Ecclesiae, qui maioribus iuvatur meritis, et plurimorum eligitur, et adprobatur adsensu, ex Concilio Lateranensi (7). Nam canones integrum putant iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur (8). Canonibus leges consonant. *Quod maior pars Curiae effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*, ait Scaevola (9). Ab

(1) *In prax. benefic. lib. 4. cap. 7. num. 34. Rot. decis. 352. num. 15. par. 16. rec.* — (2) *Alleg. 22. num. 15.* — (3) Piton. *ibid. num. 21.* Vivian. *lib. 5. cap. 2. num. 23.* Rot. *decis. 99. num. 15. par. 17. rec.* — (4) Clemen. *auditor III. de rescriptis.* — (5) Num. *34. in fine.*

(6) *Can. decernimus 32. caus. XVI. qu. 7. cap. quod autem 5. cap. ex insinuatione 14., et cap. significasti 18. de iurepatr. cum concord.* — (7) *In cap. quoniam 3. de iurep.* — (8) *Cap. prudentiam 21. de offic. deleg.* — (9) In L. *quod maior 19. D. ad municipalem.*

Ulpiano *refertur ad universos*, *quod publice fit per maiorem partem* (1). Ubi Dionysius Gothofredus censet maiorem Capituli partem esse attendendam inspecto numero, non autem ponderato zelo, et iudicio suffragantium (2). Quo reflexit Cicero (3), scribens: *Consule*, *aut numera*: Plinioque docente, *numerantur sententiae*, *non ponderantur*.

XXIII. Maior autem pars praesentantium patronorum ideo attenditur, quia sanior ipso iure putatur. Ubi maior numerus est, zelus maior praesumitur, ait Gregorius IX (4). In electionibus quidem ecclesiasticis copulative secundum canones requiritur et *maior*, et *sanior* pars eligentium (5). Praevaleat igitur, suumque habeat effectum, quod a maiori parte Capituli fuerit volitum, nisi a paucioribus, et inferioribus quid rationabiliter obiectum fuerit, atque ostensum (6). (XXIV.) Si quando itaque maior pars nominaverit indignum, et incapacem, minor vero dignum, et idoneum confirmabitur sanior minoris partis electio, spreta maiori (7). Eo enim casu praesumptio sanioris iudicii ex maiori eligentium numero promanans cedit veritati. Idque maxime servandum est nedum in electionibus ecclesiasticis, sed etiam laicorum praesentationibus, definiente Innocentio III. (8): *ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint*, *ille praeficiatur Ecclesiae*, *qui maioribus iuvatur* meritis, *et plurimorum eligitve*, *et adprobatur consensu*. *Si autem hoc sine scandalo esse nequiverit* (puta ob immerentem, indignamque personam a maiori parte nominatam), *ordinet Antistes Ecclesiam*, *sicut* melius *eam* secundum Deum *viderit ordinandam*: sequendo scilicet *meliora* suffragia minorum numero compatronum. Itaque maior pars non ea semper est in statera iustitiae, quae pluribus abundat suffragiis, quum haud raro sit levior: sed quae rectior, et sanior, quod plene demonstrat Quintilianus (9).

XXV. Verumtamen pro confirmanda maioris partis praesentatione sufficit in externo foro praesentatum idoneum in gradu positivo reperiri, scilicet non indignum: qualis habetur ille, cui nullum obstiterit canonicum impedimentum ad ecclesiastica beneficia obtinenda, posthabitis etiam dignioribus a minori parte delectis, ac praesentatis (10). Nam Romana Sinodus sub Eugenio II, et Leone IV. constructori, seu patrono Monasterii, vel Oratorii licere declaravit illud cum consensu Episcopi commendare illi *presbytero*, *cui voluerit*, ne *malus* existat (11). Et Innocentius III. Archiepiscopo, et Capitulo Capuano rescripsit electum *convenientis*, non eminentis litteraturae *pro defectu scientiae* ab

(1) L. *aliud est 160. D. de reg. Iur.*

(2) Ex dicta L. *quod maior*, *totoque tit. de eo*, *quod cuiusque universit. nomine.* — (3) Lib. v. epist. *ad Atticum.* — (4) *In cap. Ecclesia vestra 57. de electione.*

(5) Cap. *quia propter 42. de elect.*—(6) *Cap. 1. de his*, *quae fiunt a maiori parte Capituli.* — (7) *Cap. dudum 22. cap. congregato 53.*, *et cap. Ecclesia vestra 57. de elect.* — (8) In dict. cap. *quoniam 111. de iurep.* — (9) *Declam. 365.*, et Seneca *de vita beat. cap. 2.*—(10) Covarr. *in reg. peccatum par. 2.* §. 7. *num. 3.* Rota coram Molines impressa post Piton. *alleg. 30. num. 37.*

(11) *Can. monasterium 33. caus. 16. qu. 7.*

electione non excludi debere (1). Tametsi in foro interno peccare contra iustitiam distributivam eos, qui dignum posthabito digniori eligant, censent gravissimi Theologorum, et Canonistarum cum S. Thoma (2). Sane *in cap.* II. *de offic. custodis*, affertur Synodus Toletana sanxisse, ut ad officia Archidiaconi, Archipresbyteri, Custodis *tales ordinentur, quales* meliores, *et sanctiores esse viderint.*

XXVI. Idoneae simpliciter personae praesentatio non modo ad beneficia simplicia, et sine cura, sed ad parochiales etiam Ecclesias adnexam curam animarum habentes admittitur, si de iurepatronatus laicorum ea sint.

XXVII. Sin autem de patronatu fuerint ecclesiastico, digniores, et magis idonei sunt omnino praesentandi. Porro (aiunt Patres Tridentini) (3): *Episcopus, et qui iuspatronatus habet, infra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo praefigendum* idoneos *aliquot clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet... Peracto deinde examine..... si* iurispatronatus ecclesiastici *erit, ac institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur. . . . . Quod si iurispatronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis examinari, et nonnisi* idoneus *repertus fuerit, admitti.* Perspicuis hisce verbis Tridentina synodus praesentationem dignioris ad beneficia curata ab ecclesiasticis tantum patronis requirit in foro externo. Qua in re nonnullas quaestiones ab Archiepiscopo Florentino propositas resolvit sapientissimus Papa D. N. Benedictus XIV. in decretali ad eumdem Archiepiscopum data die IX. Aprilis 1746. (4). Easque opportunius referam *infra in cap. de institutionibus.*

XXVIII. Pars maior generatim illa aestimatur in actibus collegialibus tam electivis, quam decisivis, quae omnium patronorum, seu totius praesentantium universitatis medietatem excedit in uno, vel saltem dimidio voto: nisi aliud speciali statuto locorum cautum sit. Quandoquidem Innocentius III. Episcopo Baiocensi rescripsit ex septem compromissariis quatuor eligentes maiorem partem constituere (5): Et nonnisi de speciali providentia Concilium Lateranense sub Alexandro III. constituisse declarat, ut Romanus Pontifex a duobus Cardinalium partibus concordibus, licet tertia discreparet, eligeretur (6). Quemadmodum Ulpianus refert lege municipali speciatim in Urbe cautum: *ut ordo non aliter habeatur, quam duabus partibus, seu tertiis adhibitis* (7): cui consonat rescriptum Arcadii, et Honorii (8).

XXIX. Ad hanc tamen rem distinguere oportet patronos *iure sin-*

(1) Cap. *cum nobis* 19. *de elect.* — (2) 11. 11. q. 63. art. 2. ad 3. Fagnan. in cap. *cum dilectus* 8. *n.* 19. *de consuet.* — (3) Cap. XVIII. sess. XXIV. *de ref.* — (4) Tom. II. Bullar. ord. IV.

(5) *Cap. cum in iure peritus* 33. *de elect.* — (6) Cap. *licet* 65. *de elect.*

(7) *L.* 3. *D. de decretis ab Ordine faciendis.* — (8) *In L. nominationum* 45. *Cod. de decurionibus.*

gulari praesentantes ab aliis *iure collegii universim eligentibus.* In praxi enim receptum est in presentationibus, quae *singulariter* fiunt, maiorem partem eam esse, quae singulas minores partes excedit, etiamsi maior ipsa pars medietatem omnium votorum non aequet, neque minores easdem partes, si in unum aggregentur, exuperet: seu ut brevius luquuntur pragmatici, maiorem partem accipi comparative ad minorem, non ad totum. Quapropter ex novem *ex gr.* compatronis si duo praesentaverint unum, tres alterum, et quatuor alterum, hic praesentatus a quatuor censetur maiorem votorum partem habere respective ad alios duos sigillatim, quorum singuli cum eo comparati minorem partem exhibent (1).

XXX. At praesentantibus *collegialiter* patronis, maior pars comparatione totius collegii ad praesentandum congregati accipitur, adeo ut medietatem omnium debeat excedere.

XXXI. Acriores insuper quaestiones in foro saepius emergunt in numerandis praesentantium votis, pendendisque ad maiorem partem discernendam, quas pro vario patronorum concursu, et pro diversa patronatuum natura dirimunt periti. Aliud profecto iudicium de confundatoribus superstibus, aliud de illorum successoribus. Et aliter in patronatu hereditario, quam gentilitio, vel familiari computantur voces.

XXXII. Dum siquidem supersunt fundatores, qui patronatum una quaesiverint diversis titulis, unus videlicet praestatione soli, alter aedificatione Ecclesiae, tertius dotatione, licet inaequalem singuli contributionem fecerint, aequalem nihilominus habebunt vocem *regulariter*: nisi alia facta fuerit in limine fundationis inter ipsos expressa conventio (XXXIII.) Eorumque singuli vocem discretive suam ad proprios successores, heredesve universim transmittunt, nempe unam ex tribus: quatenus universi ab uno fundatorum descendentes, vel causam habentes, sive plures, sive pauciores numero sint, coaequalem vel uni soli, vel pluribus successoribus ex alio confundatore vocem contribuant, repraesentando personam auctoris sui, et unum corpus, aut collegium insimul constituendo diversum ab aliis aliunde promanantibus. Quo casu successores duorum fundatorum maiorem partem constituunt respective ad successores tertii fundatoris.

XXXIV. Et ubi contigerit successores unius, eiusdemque auctoris, seu fundatoris inter semetipsos discrepare in praesentando, maior eorumdem concordium pars minorem omnium absorbebit, et usque adeo suffocabit, ut minor ipsa pars discrepans frustra adhaereat, vel consentiat suffragiis aliorum a diverso stipite dependentium; neque ullatenus vocem alienae stirpis, vel universitatis adaugere possit. Quemadmodum pars ab humano corpore abscissa alterius hominis corpori nequit accrescere. Quidquid contra sensisset Hostiens. (2). Etenim Rota

(1) Abb. *in cap. quoniam* 13. *de iurep. et cap. Ecclesia vestra* 49. *num.* 4., *et seqq. de elect.* Barbosa *alleg.* 172. *num.* 198. Rota apud Merlin. *decis.* 443. *num.* 19., et 20. Card. de Luca *disc.* 61. *de iurep. num.* 17. Piton. *alleg.* 9. *num.* 31.—(2) *In cap. postulasti num.* 4. *de concess. praeben.*, *et* Barbosa *vol. decis.* 121. num. 18.

pluries eam opinionem Hostiensis, et sequacium eius reprobando, definivit ad singulos quidem de collegio, vel de universitate collective vocatos ius praesentandi pertinere, non ut singulos, nec singulariter, sed uti universos, et collective: quatenus pauci de collegio, et corpore suo recedentes ad aliud corpus, vel collegium haud accedere valeant (1). Quam sententiam, abiecta sua priori, amplexus etiam est Barbosa (2).

XXXV. Ad successores itaque devoluto patronatu, *si hereditarius* simpliciter, vel ex familiari simul, et hereditaria qualitate *mixtus* fuerit, vota praesentantium numerantur *in stirpes* secundum quotas hereditatis, posthabito personarum, seu capitum numero: adeout coheredum unus maiorem hereditatis quotam obtinens voto suo constituat partem maiorem, quam plures alii quotae minoris coheredes. Si autem aequaliter plures ad hereditatem patroni successerint, tunc plurium personarum numerus praevalebit (3). Similiter Papiano *maiorem esse partem creditorum pro modo debiti, non pro numero personarum placuit: quod si aequales sint in cumulo* debiti, *tunc plurium numerus creditorum praeferendus est* (4). Quod superius exposui *cap.* X. *num.* IV. Et quoties successores patroni praesentaverint, nil exprimendo quotam hereditatis ad singulos ipsorum obventam, in dubio praesumuntur pro virili, et votis aequalibus praesentasse (5).

XXXVI. Dum autem mere *gentilitius*, vel *familiaris* patronatus sit, compatroni praesentabunt *in capita*, singulis vocem coaequalem habentibus: ideoque plurium personarum in uno praesentando concurrentium numerus maiorem suffragiorum partem concludet, nulla unciarum hereditatis habita ratione, quod ore uno pragmatici tradunt. Idque planum est, ubi fundator nullam initio stirpium, linearumve divisionem fecerit, et ius praesentandi universis collective descendentibus certi generis, certaeve familiae reservaverit. (XXXVII.) Sed facessit negotium, si fundator primum pluribus divisim personis, deinde filiis, ac descendentibus earum reservasset patronatum ea perinde forma, quam *pacti, et providentiae* appellant Feudistae in feudorum investitura. Puta si ita dixisset: patronatum me mortuo habebunt Petrus, Paulus, Antonius quoad vixerint: tum eorum filii, ac descendentes in perpetuum. Eo quippe casu tot haberentur lineae, vel stirpes, vel universitates compatronorum, quot fuissent personae ab initio speciatim vocatae, tamquam stipites suarum respective linearum eum in finem, ut cuiusque lineae descendentes omnes *collective* praesentantes unam constituerent vocem *in stirpes* in concursu aliarum linearum: tantam scilicet, quantam stipes, et caput ipsius lineae obtinebat. (XXXVIII.) Singuli autem ex una eademque linea descendentes

(1) Rota *dec.* 308. *num.* 1., *et seq. par.* 1. *divers. dec.* 662. *par.* 3. *rec.* coram Cavalerio *decis.* 21., et 436. Burratt. *decis.* 942., et passim alibi.
(2) De potest. Episc. alleg. 72. n. 198.
(3) Clement. II. *de iurep.* — (4) L. *maiorem* 8. D. *de pactis.* — (5) Rota coram Buratto *decis.* 633. *num.* 2., Lambertin. *lib.* 1. *par.* 2. *qu.* 1. *art.* 25. *num.* 15.

praesentabunt *in capita* non singulari prorsus, sed ferme collectivo iure, praeseferentes quoddam veluti collegium, et universitatem (1). Quamobrem ex paulo ante expensis *num.* XXXIV. vota paucorum discrepantium a maiori parte cuiusque lineae adhaerebunt frustra votis alienae lineae, quum in unaquaque ius totius a maiori parte compleatur.

XXXIX. In his autem casibus gentilitii, familiarisve patronatus simultaneo tempore filii, ac nepotes una cum parentibus, avisque suis vota singula fere dabunt, quoties nulla graduum habita ratione fundator alicui familiae, vel domui, vel agnationi ius praesentandi reservaverit (2). (XL.) Quin ex observantia patronorum, si contemporaneas fecerint praesentationes filii una cum parentibus suis, et proximiores gradu, una cum remotioribus, presumitur qualitas gentilitia, vel familiaris in patronatu ad excludendam hereditariam, vel mixtam. Secus dicendum, si fundator vel palam, vel praesumptive maluerit praerogativam graduum successionis observandam, eoque magis, si eam demandaverit, excludendo simultaneum concursum filiorum cum parentibus in praesentando (3). Quod magis consentaneum est communibus fideicommissorum regulis (*).

XLI. In duas aequales partes si vota sua compatroni sciderint, adeout alter praesentatorum alteri aequalia connumeret; neuter ius quaesitum ad rem obtinet ex tali praesentatione, cum valeat Episcopus pro libito suo alterum, quem maluerit, ex duobus instituere, et gratificare (4). (XLII). Et ubi plures, quam duos compatroni inter se dissentanei praesentaverint, unus ex praesentatis nequit sine adsensu pontificio iura sua, seu vota sibi data in alius compraesentati favorem cedere, et cedendo auctoritate sua nihil ageret (5): qui proinde validam, ratamque velit efficere cessionem istiusmodi, opus habet obtinendi a summo Pontifice gratiosam cessionarii subrogationem in locum cedentis (6).

(1) Rota *decis.* 2., *et* 82. *par.* 7. *rec.* Vivian. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 18. Card. de Luca *disc.* 61. *de iurep. num.* 13., *et seq.* — (2) Rot. *decis.* 166. *num.* 14. *par.* 6. *rec. dec.* 82. *num.* 8. *par.* 7. *rec.* Card. de Luca *disc.* 54. *de iurep. num.* 5. *et seq.* — (3) Vitalin. *in Clem. plures num.* 42. *de iurep.* Tondut. *par.* 1. *cap.* 32. *num.* 5., *et seq.* Ansald. *in addit. ad suam dec.* 52. *num.* 57., *et seq.* Piton. *alleg.* 100. *num.* 606. — (*) Videsis quae Noster sapienter observat cap. XI. *de gentilitii, ac familiaris patronatus successione* n. VII; et seq. — (4) Rot. *dec.* 240. *num.* 4. *par.* 16. *rec.*, et coram Coccin. *decis.* 882. — (5) Rota coram Merlin. *decis.* 443. *num.* 18. Paris. *de resignat. lib.* 2. *qu.* 33. *num.* 32.

(6) Rot. *decis.* 678. *par.* 19. *recent. tom.* 2. Gomes. *ad reg. de subrogandis in praes. num.* 5.

CAP. XIV.

DE FORMA NOMINATIONIS ET PRAESENTATIONIS.

I. Certa forma non est praesentationi adtributa.
II. Ob id bene fit praesentatio per scripturam vel publicam, vel privatam, vel per patronos ipsos, vel per procuratorem.
III. Et consensus etiam post collationem beneficii superveniens aequipollet praesentationi.
IV. Modus tamen, speciesque vacationis debet exprimi in praesentatione.
V. Irrita enim est nominatio certae personae ante vacationem facta.
VI. At mandatum praesentandi personam incertam procuratoris arbitrio valet.
VII. Praesentatio post obitum beneficiarii sequuta non afficitur Cancellariae regula de verisimili notitia.
VIII. Nec erronea species vacationis nocebit praesentato, nisi patroni dissenserint.
IX. Pura, non conditionalis esse debet praesentatio.
X. Illicitae porro conditiones eam vitiant ob deficientem voluntatem praesentantium.
XI. Nisi ex clausulis futurae dispensationis, vel aliunde consensus eorum praesumatur.
XII. Licitae vero conditiones admittuntur.
XIII. Quae plerumque tacite intelliguntur, si non exprimantur.
XIV. Alia requisita praesentationis spectant personas praesentandas, tempus, et iura praesentantium.
XV. Non perficitur tandem praesentatio, nisi coram loci Ordinario fiat.
XVI. Qui eam acceptat duabus affirmantibus negationibus; eodemque tempore edicta contra interesse habentes decernit.

I. Nullam Ius formam verborum, vel scripturae, vel solemnitatis praescripsit pro conficienda nominatione, ac praesentatione ex traditis a Lapo (1). Sat proinde erit, si Ordinario collatori voluntatem suam quomodolibet significent patroni, certamque personam sibi placitam designent, quae vacans beneficium sit adeptura (2). Quare necesse non est ad praesentationem explendam, ut patroni personaliter ipsi exhibeant, vel deducant, vel offerant coram Ordinario personam nominatam, atque instituendam, quemadmodum vox ipsa praesentationis requirere vide-

(1) In alleg. 75. — (2) Rota *dec.* 285., *et* 398. *par.* 16. *rec.* dec. 176. *num.* 14. *par.* 15., et coram Emerix iun. *decis.* 30. *num.* 5.

tur, ex supradictis in praecedenti *cap.* XV. *num.* 4. (II.) Receptum porro est nominationem recte fieri per libellum iudicialem, aeque ac per scripturam extraiudiciariam, vel publicam, vel privatam, seu epistolam cum speciali procurationis mandato ad praesentandam coram Ordinario loci personam certam, atque instandum pro canonica illius admissione, seu institutione (1). Ubi Coelestinus III. minime improbavit personas idoneas a patronis praesentari aut *per* se, aut *per litteras* Episcopis Dioecesanis.

III. Quinimmo consensus patroni intra quadrimestrem superveniens ad Pontificiam gratiam collati beneficii ob speratam, expositamque patronorum praesentationem quoque admittitur, retroque trahitur; dummodo re integra non fuerit alteri praesentatio ius quaesitum. Nam ex regula Bonifacii VIII. *ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari* (2). Qui ergo adsentitur vel compatronorum praesentationibus, vel ratam habet provisionem apostolicam, aut ordinariam iam expeditam; praesentationem explere, et ius praesentandi exercere putatur (3). Verum ratum habere compatronus non tenetur, quod ipsius nomine gestum non est (4). Maxime ob clausulam *accedente consensu patronorum* consuetam in litteris pontificiis, quae gratiam efficit conditionalem, eamque dissentientibus patronis irritat (5). Quamobrem gratia pro praesentato concessa suffragari praesentando non debet, ob deficientem in expositis praesentationibus veritatem, id intelligendum est in casu, quo alius rite praesentatus fuerit, antequam provisus apostolicus consensum patronorum sibi comparaverit.

IV. Nonnulla tamen requiruntur, ut nominatio, et praesentatio valeat, suumque sortiatur effectum. In primis modus, speciesque vacationis exprimi solet, ac debet in nominationis instrumento, atque actu praesentationis. (V.) Quandoquidem a Concilio Lateranensi sub Alexandro III. sancitum: *ut nulla ecclesiastica beneficia tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum et beneficium se crediderit successurum: cum in ipsis etiam legibus gentilitium inveniatur inhibita futurae successionis expectatio* (6). Igitur vacatio beneficii ad valorem praesentationis omnino requiritur (7). Ubi Honorius III. declaverit irritas promissiones de non vacantibus beneficiis ecclesiasticis, in quibus Comitissa Flandriae ius obtinebat patronatus. Hinc sequitur mandatum speciale ad praesentandam certam personam in beneficio vacaturo nullius fere momenti, ut vitetur captandae mortis votum. (VI.) Verum Fridericus de Senis (8), quem sequuntur Rota coram Buratto (9), Lotterius (10), aliique plurimi, censuit valere mandatum generale ad prae-

(1) *Ex cap. ea noscitur* 6. *de iis, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli.*—(2) *Cap. ratihabitionem* 10. *de reg. Iur. in* VI.—(3) Gonzalez *ad regul.* 8. *glos.* 47. *num.* 19. Rosa *de execut. litterar. apost. par.* 1. *cap.* 7. *num.* 121. Rota coram Buratto *dec.* 481. *num.* 16. Piton. *alleg.* 4. *num.* 28., *et alleg.* 39. *num.* 11. — (4) *Cap. ratum* 9. *de regul. Iur. in* VI. — (5) Rota coram Molinedano *dec.* 6. *de iurep.* Piton. *alleg.* 74. *num.* 2.—(6) *Cap. nulla* 2. *de concess. praeb., et Eccl. non vacantis.* — (7) *Cap. cum dilecta fin. eod. tit.* — (8) Cons. 99. — (9) Dec. 21. — (10) Lib. 2. q. 6. n. 15.

sentandam personam incertam, quam procurator ipse maluerit, dum vacatio beneficii contigerit: hoc enim casu deficiente ratione voti captandae mortis deficere videtur prohibitio Concilii Lateranensis, et concordantium canonum. Sed tutior est praxis donandi pro una vice tantum ius praesentandi cum adsensu Ordinarii, quam periti, probique etiam viri passim usurpant.

VII. Cancellariae regula *de verosimili notitia*, irritans collationes beneficiorum impetratas ante verisimilem notitiam obitus beneficiatorum non afficit praesentationes patronorum, quae validae indicantur, dum sint post beneficiati obitum sequutum expletae ab eo, qui verosimilem obitus notitiam per cursum ordinarium non habuisset (1). Ubi refellit Pinsonium aliter sentientem (2).

VIII. Et si quando erronea species vacationis expressa fuerit, et alio reapse modo contigerit vacatio, quam litterae nominationis declaraverint, aut praesentantes opinati sint, valebit adhuc praesentatio, non contradicentibus patronis, taciteque assentientibus (3). Sane de stylo Cancellariae Apostolicae in bullis pontificiis ea adponitur clausula: *sive praemisso, sive alio quovis modo vacaverit, et vacet ad praesens.*

IX. II. Pure, ac sine conditione regulariter facienda est praesentatio: nam *actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem* (4). Et Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. in electionibus, et postulationibus speciatim *vota conditionalia, alternativa, vel incerta* penitus reprobavit, statuendo ea pro non adiectis haberi, electionemque ex puris consensibus celebrari (5).

Quaerunt nihilominus Doctores: si vel diem, vel conditionem praesentationi patronus adiecerit, vitiabitur ne conditio, an potius praesentatio? Hac in quaestione distinguendae sunt ab *illicitis licitae* conditiones. *Illicitae* sunt, *ex. gr.* adiectum onus renunciandi beneficii post certum tempus, vel solvendi pensionem annuam aut patrono, aut alteri designatae personae, vel quid aliud contra leges, vel contra fundatoris voluntatem faciendi. Quae vitiant ipsae regulariter actum praesentationis velut simoniacum, quemadmodum et institutionem, et collationem beneficii (6). (X.) Porro conditiones contra Ius appositae, turpesve, tamquam impossibiles de iure actum quemlibet inter vivos destruunt, quum voluntatem consensui contrariam inducant; praesertim ob clausulam consuetam, vel praesumptam *non aliter, nec alio modo.* Nam Ulpiano definiente *impossibilis conditio, cum in faciendum concipitur; stipulationibus obstat*, secus quam concepta in non faciendo (7). Tametsi in ultimis voluntatibus pro non scripta ha-

(1) Ioan. Bapt. Rigante *in eamdem reg.* 30. *num.* 39, *et sequ.*

(2) *Tom.* 3. *sur l'edit de Controle tit. reflexion sur la regl. de verosimil. notit.* §. *la huitieme question.* — (3) Lotterius *lib.* 2. *qu.* 6. *num.* 2, Vivian. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 14.— (4) *Cap. actus* 50. *de reg. Iur. in* VI., *et l. actus D. eodem.* — (5) *Cap. in electionibus* 2. *de election. in* VI.

(6) Fagn. *in c. nisi essent n.* 10. *de praebendis* — (7) *L. impossibilis* 7. *D. de verb. oblig.*

beatur, nec legatum, heredisve institutionem adimat impossibilis conditio (1).

XI. Verum si praesentans licere conditionem illicitam errabundus putaverit, vel clausulam adiecerit, *quatenus non esset sacris Canonibus contraria*, valebit praesentatio reiecta conditione ob tacitum, qui iure praesumitur, consensum patroni (2). Idemque dicendum, si conditio solvendae pensionis, aliave id genus subiiciatur pontificiae dispensationi impetrandae. Tunc enim etiamsi Pontifex requisitus adsensum suum, aut dispensationem denegaverit, praesentatio subsistet, et conditio non admissa perinde habebitur, ac si apposita non fuisset (3). Et ubi accesserit beneplacitum apostolicum intra mensas ad praesentandum statutos, eo vel maxime rata erit praesentatio conditionalis (4).

XII. *Licitae* vero conditiones, quae scilicet sacris canonibus non reprobantur, erunt, *ex. gr.* si nominatus fiat clericus, si aetatem habeat legitimam, vel ordinem sacrum pro canonicatibus Cathedralium, et capellaniis sacerdotalibus necessarium, si dispensationem legitimam obtinuerit super aliqua incapacitate, vel impedimento, si requisita secundum canones, vel fundationis legem ostenderit. Hae quidem, aliaeque similes permittuntur, suntque omnino adimplendae intra terminum quadrimestris, vel semestris (5). Intereaque praesentatio sustinetur, licet praesentationis effectus ab earum implemento, eventuque pendeat. (XIII.) Tacite enim insunt, ac subintelliguntur, quatenus si eas patronus non expresserit in praesentatione, velit nolit praesentatus, eas debet adimplere (6). Tametsi conditiones, quae tacite inesse videntur, non faciunt legata conditionalia, ex Papiniano (7): puta validitatem dispositionis non suspendunt.

XIV. Praeterea ut praesentatio valeat, plura alia requiruntur: si personae praesentandae, si tempus, si pertinentia, et quasi possessio praesentantium spectentur. De quibus dicendum separatim *in seq. cap.*

XV. Ad praeficiendum praesentationis actum libellus, seu instrumentum omnino debent intra tempus legitimum (de quo *in seq. cap. XVII.*) exhiberi Episcopo, vel eius Vicario generali penes acta Curiae Dioecesanae, seu Ordinarii, ad quem institutio pertinet: alias perinde habebitur, ac si facta non sit (8). Quod in superiori *cap. XV. num. XVI. et seqq.* uberius expositum est. Profecto antequam Superiori ecclesiastico reapse praesententur litterae nominationem compatronorum praeferentes, eae perfectam non ostendunt praesentationem, sed voluntatem praesentandi: seu potius mandatum, et designationem procuratoris specialis ad praesentandum, re integra revocabilem. Et quoniam Doctores inter se discrepant, aliis volentibus praesentationem esse

(1) *L. 1., et 6. D. de condit. instit.* — (2) Card. de Luca *discurs.* 41. *de pension. num.* 4. Adden. ad Greg. *dec.* 417. *num.* 12. Piton. *alleg.* 100. *num.* 153. — (3) Card. de Luca *de iurep. disc.* 64. *num.* 27. — (4) Rota *dec.* 118. *num.* 12., *et seq.* apud Vivian., *et dec.* 323. *num.* 8., *et* 9. *par.* 16. *rec.* — (5) Vivian. lib. VIII. cap. 6. n. 24., et seq. — (6) L. 1 D. *de condit., et demonstrat.* — (7) In L. *conditiones* 99. D. *eodem.*

(8) *Cap. cum laici* 10. *de iurep.* Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 12., *et* 13.

actum *iudicialem* penes acta iudicii per libellum formaliter explendum: aliis vero extraiudicialem (1), praxis inolevit, ut nominationis epistola, seu mandatum praesentationis nedum debeat in Curia dioecesana exhiberi in manibus episcopalis Cancellarii, aut scribae: sed procurator etiam compatronorum personaliter coram Ordinario pro tribunali sedente sistens, ore simul, et reipsa praesentare personam a patronis mandantibus designatam. Quae vicissim vel praesens per semetipsam, vel absens per procuratorem cum speciali mandato acceptet praesentationem, postulando canonicam sui ipsius institutionem in vacanti beneficio. (XVI.) Ordinarius autem intellecta, et audita utriusque voluntate, ac postulatione praesentantis, et praesentati, talem praesentationem admittit sub ea conditione, *si canonica sit, et iure probanda.* Et quoniam *actus legitimi*, praesertim decreta iudicis *conditionem non recipiunt*, *neque diem*, *ex antedict. n.* IX, non verbis quidem affirmativis, sed duobus, quae affirmant, negantibus, tacite admittitur praesentatio potius, quam expresse, ne conditio expressa repugnare videatur actui legitimo. Quare decretum sic solet plerumque a peritis concipi: *Illustrissimus Dominus Episcopus*, vel *Reverendissimus Generalis Vicarius praesentationem istam non admisit*, *nisi si*, *et in quantum fuerit admittenda*: *et mandavit expediri edicta contra omnes interesse habentes.* De quibus omnibus Cancellarius, vel Notarius inibi adsistens legitimum actum conscribet ad futuram rei memoriam, ut tradit Lapus (2).

Hoc actu explicito praesentatus procul dubio adquirit *ius ad rem*, seu ad beneficium ex recepta Doctorum sententia, propter accedentem praesentationi auctoritatem Ordinarii: antea non item: quoniam nominatio, et praesentatio Ordinario non exhibita habetur, tamquam actus incompletus, et imperfectus, et re integra revocabilis, et locum dans poenitentiae.

ADDITIONES

De modis quibus Iuspatronatus probandum est.

Quemadmodum sacri Canones, et Pontificum Constitutiones legitima patronorum iura sarta tecta tueri passim docent, ita beneficia ecclesiastica liberae collationis patronatui censeri obnoxia minime permittunt. Quamobrem ut debita in omnibus ratio observetur, et humana perfidia, quae vel prudentissimos fallit, Ecclesiae iura impudenter non invaderet, permulta constituta fuerunt ad patronatum probandum, quae heic breviter recensere duximus.

Et principio cum omnia beneficia in Iure liberae collationis praesumantur (3): neque iudici quidquam debeat esse notum, nisi de quo ipsi ex actis satis constet (4): aperto colligitur ab allegante iuspatrona-

(1) Vivian. lib. VIII. cap. 7. n. 38.
(2) *Alleg.* 75., et Rota coram Cavaler. *decis.* 28., *et decis.* 302. *part.* 1. *rec.* — (3) Can. 10. caus. 16. q. 7. cap. 5. ver. *quia vero de except.*
(4) L. 6. § 1. ff. *de off. Praes.* L. 2. §. 2. ff. *de testibus.*

tus demonstrandum, probandumque esse in ecclesiastico foro. Non autem in omnibus casibus similes probationes requiruntur, sed modo illae evidentes sint oportet, modo remissioribus argumentis locus datur, modo coniecturis indulgetur, praesertim si graves sint, inspecta temporis diuturnitate, cum illi expresse faveant canones, qui patronatus quasi-possessionem elleget a priscis Maioribus ad se usque traductam.

Itaque plures designantur modi, quibus Ius-patronatus in iudicio est probandum. Utque vero res accurate introspiceretur, distinguenda omnino tempore censemus, quae Tridentinam Synodum praecesserunt, et recentiore, quorum disciplina illius decretis regitur.

Et sane quod spectat ed tempus elapsum ante Concilium Tridentinum: iurispatronatus probatio fiebat (I.) per tabulas fundationis, seu per instrumenta demonstrantia fundationem, constructionem, eut dotationem.

II. Testes quoque edhiberi licebat, si instrumentis patronatus probari nequibat. *Neque* enim *semper*, ad rem scripsit Hadrianus Imperator (1), *per publica monumenta cuiusque rei veritas deprehenditur.* Quare Ecclesiae canones testes etiam vocari sinunt, dummodo illi aut dicerent se publica instrumenta conspexisse, ex quibus de patronatu constaret, aut de ipsius iuris fama testimonium ferrent (2). Adhaec probatio fiebat per plures enunciativas in diversis instrumentis expressas, quae praesertim in entiquis publicam exhibent fidem: elleganti vero onus probandi incumbebat se in quasi possessione extitisse spatio XL. annorum.

III. Praeterea iuspatronatus comprobari poterat per insignia familiae, aut nominum inscriptiones vetustas, in quibus ipsius iuris expresse mentio fieret, aut si ex illis dumtaxat coniecturas inferri daretur, aliis istae edminiculis iuvarentur.

IV. Per multiplicatas centum annorum praesentationes, quae tamen effectum sortitae fuerint, licet titulus non satis perspicue demonstraretur, ac potiori iure si praesentationes tanto tempore factae fuissent, ut nulla esset initii memoria. Profecto possessionem istam immemorabilem loco cuiusque optimi tituli esse existimandam expresse in Decretalibus fuit sancitum (3).

V. Per Episcopi sententiam, qua aut alimente elicui tamquam patrono decreta fuerint, aut post iuridicam concertationem iuspatronatus agnitum, vel denique tempore visitationis cautum Ecclesiam, aut beneficium patronatui esse obnoxium et publicis actis ita descriptum.

VI. Denique e Clemente V. diserte statutum patronatum probari per Pontificis assertionem, seu, ut elii vocant *narrativam*, qui in concessione beneficii Ecclesiam aut ipsum titulum patronatu affectum dixerit, dummodo consuetam clausulam, *ut fertur*, aliamve non addiderit, qua eiusdem Pontificis certam sententiam non fuisse posset inferri. Videsis quae ad rem colligere studuit de Fargna (4).

(1) In L. 3. §. 2. ff. *de testibus.* — (2) L. 18. in fin. C. *de testibus;* L. 5. eod. *de fide instrum.* cap. XII. *de privilegiis.* — (3) Cap. 1. in fin. *de praescript.* in VI. — (4) *De iurep.* par. v. can. 12. cas. 1. n. 6., et seq.

Quod vero ad novissimam disciplinam spectat, non alia reor mens Tridentinis Patribus fuit, ut Noster etiam passim demonstrat (1), nisi, exceptis patronatibus Supremis Principibus pertinentibus, privilegia omnia liberaliter concessa abrogare, quae saeculo xv., et xvi. in Ecclesiarum, et beneficiorum detrimentum invaluerunt. Quare rigidiorem patronatus probationem non postularunt indiscriminatim ab omnibus, sed ab iis dumtaxat, in quibus esse poterat usurpationis suspicio. Hinc cap. ix. sess. xxv. decernunt:

I. titulum iurispatronatus esse debere ex fundatione, vel dotatione, *qui ex authentico documento, et aliis Iure requisitis* ostendatur.

II. vel ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, *qui hominum memoriam excedat.*

III. ex aliis Iure *requisitis, secundum Iuris ordinem.* Quibus sane verbis veterem disciplinam Tridentinos Antistites confirmasse sat luculenter colligi datur.

Atvero diserte ab illis plura constituta fuerunt, quae certas personas, Universitates, et Communitates respiciunt, de quibus vide quae sapienter Noster observat Cap. vii. §. xxv. et seq.

Illud denique hic observatu dignum illos omnes, qui in indicata parte Tridentini Decreti non sunt comprehensi, posse iuspatronatus probare iis modis, quos proponi ante Concilium potuisse superius tradebam.

CAP. XVII.

DE TEMPORE PRAESENTANDI.

I. Ab interstitio quatuor anni temporum originem habuere menses ad praesentandum concessi iure olim non scripto.

II. Saeculo nono Synodi episcopales tres menses indulgere iure scripto coeperunt.

III. Ab Alexandro III., et Innocentio III. constitutum lites laicorum compatronorum fore dirimendas intra quatuor, vel sex menses.

IV. Exinde Bonifacius VIII. quatuor menses ad praesentandum datos laicis patronis comprobavit, sex vero ecclesiasticis.

V. In mixto patronatu semestre indulgetur utriusque patronis.

VI. Terminum istum fas est patrono breviare, vel protrahere.

VII. Terminus decurrit a die scientiae vacationis.

VIII. Quae scientia in dubio non praesumitur.

IX. Etiam si plures anni, a vacatione effluxerint.

X. Nisi vacationis ignorantia appareat crassa, et supina.

XI. Unus compatronorum ignorans vacationem aliis scientibus prodest pro termino protrahendo, non e contrario.

XII. Scientia morosi tutoris pupillo nocet.

XIII. Cursum termini sistit quodlibet legitimum impedimentum.

XIV. Puta absentia, captivas, custodia.

(1) Cap. viii. *de privilegio* § xv., et seq.

XV. Quin praesentati cessio , mors, reiectio, ignorata incapacitas novo termino locum dat ad alterum praesentandum.
XVI. Lis etiam inter patronos cursum temporis impedit.
XVII. Secus inter simpliciter nominatos.
XVIII. Tempus praesentandi continuum , non utile est , in quo dies scientiae non computatur.
XIX. Lapso quadrimestre , vel semestre si neminem patroni praesentaverint , libera collatio beneficii pertinebit ad Ordinarium, deinde ad Metropolitanum , tandem ad Papam.
XX. Terminum iuris non potest Ordinarius breviare.
XXI. Eoque decurrente, Sedes etiam Apostolica a conferendis beneficiis de iurepatronatus abstinet ex regula Cancellariae, secus post lapsum illius.
XXII. Uno patronorum praesentante solet edicto episcopali terminus Iuris breviari.
XXIII. Si tamen quis postulaverit re integra expectari terminum Iuris integrum , breviatio revocanda est : secus si nemo comparuerit.
XXIV. Praesertim si comparens ius passivum ad vacans beneficium habeat.
XXV. Prorogare quadrimestrem , aut semestrem ad sex alios menses licet ordinario collatori.
XXVI. Qui propagationem indulsisse praesumitur, si admiserit praesentationem extra terminum.
XXVII. Nisi quis praesentatus , vel praesentans prorogationi obstiterit.
XXVIII. Reges nullo termino obstringuntur ad praesentandum , secus feudatarii , et barones.
XXIX. Reservatione mensium apostolicorum an afficiautur omnia beneficia de iurepatronatus per Caucellariae reg. IX, *olim. VIII.*
XXX. Vix quidem officitur iuspatronatus ecclesiasticum , nisi aliter in fundatione cautum sit.
XXXI. Haudquaquam laicale, et mixtum, nisi ex privilegio gratioso quaesitum sit.
XXXII. Lite pendente praesentationes fere non licent.
XXXIII. Scilicet dum contenditur de patronatus existentia cum fisco episcopali.
XXXIV. Et ubi ante vacationem lis coepta sit super pertinentia inter patronos cum inhibitione praesentandi.
XXXV. Secus dicendum, si nulla inhibitio facta sit , et litigantes extiterint in quasi possessione praesentandi.
XXXVI. Litigantibus de pertinentia patronis solet Papa conferre, sine praeiudicio patronatus , vel iuris alicui quaesiti.
XXXVII. Praesentatis de institutione contendentibus non prohibentur patroni praesentare , lite pendente.
XXXVIII. Practerquam in casu , quo alter praesentatorum liti cesserit , vel decesserit.
XXXIX. Ob litem indecisam superstes collitigans impetrat ab Sede Apostolica subrogationem in iura defuncti.

Tria potissimum in hoc capite sunt edisserenda. I. Numerus mensium iure concessorum patronis ad praesentandum. II. An reservatio mensium apostolicorum. III. An litis pendentia impediat patronos, quominus praesentent.

I. Spatium temporis olim trium, vel quatuor mensium patronis concessum ad praesentandum probabiliter putatur defluxisse ab interstitio quatuor anni temporum: oblatos enim a fundatoribus Ecclesiarum Episcopi postquam rite examinassent, iduneosque novissent, ad ordines ecclesiasticos promovebant Sabatho quatuor temporum, titulo Ecclesiae, ad quam nominati, ac praesentati fuissent, in eaque ipsos uno, eodemque tempore instituebant (1). Idemque moribus primum, deinde iure scripto inductum. Antiquis sane canonibus certum tempus ad praesentandos, offerendosque clericos Episcopis ordinatoribus praefinitum non legimus usque ad saeculum IX. (II.) Prima omnium Romana Synodus sub Eugenio II. celebrata anno 826., aliaque sub Leone IV. anno 853., (2) sanxit ab Episcopis Dioecesanis admonendos fore homines saeculares, sub quorum iure essent constitutae Ecclesiae, ut presbyteros intra trium mensium spatium deputarent ibidem: eoque dilapso Principem de neglectu esse commonendum.

III. Tum Lateranense Concilium sub Alexandro III. (3) decrevit, *ut ordinet* Antistes Ecclesiam sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam . . . . *si de iure patronatus quaestio emerserit inter aliquos, et cui competat, intra tres menses non fuerit definitum*. Ita legimus *in cap. IV. de iurepatr. in prima compil.* In diversis Conciliorum editionibus autem legimus intra *quatuor menses*, quemadmodum et in textu Gregoriano (4), eumdemque terminum *quatuor mensium* propter discordias *laicorum* interim definiendas expectari debere Innocentius III. rescripsit ad Episcopum Conventr. (5).

Praeterea idem Alexander III. (6) *illas Ecclesias* (ait), *de quarum patronatu controversia fuerit, si infra sex menses, postquam vacaverint, non fuerit terminata, licitum sit Episcopo de persona idonea ordinare*. In hoc textu quoniam desideratur pars intercisa, quam neque Antonius Augustinus in antiquis compilationibus Decretalium, nec Emmanuel Gonzalez redintegravit, nescii sunt reapse Interpretes quonam in casu, in quibus circumstantiis, et cuinam decretalem istam rescripserit Alexander, qua trimestrem, vel quadrimestrem extendit ad sex menses.

IV. Ad conciliandam varietatem hanc trimestris, vel quadrimestris a Lateranensi Concilio, et Innocentio III. praefixi cum semestre per decretalem Alexandrinam indulto, excogitarunt primum Doctores distinctionem patronatus *laicalis*, *et ecclesiastici*, opinando quatuor menses *laicis* patronis attributos ad praesentandum: sex vero menses *Ecclesiasticis* largitos. Eorumque interpretationem comprobavit aper-

(1) Thomassin. par. 2. lib. 1. cap. 31. n. 6.— (2) Can. XXIV.— (3) Can. XVII. — (4) Cap. *quoniam III. de iurep.*— (5) *In cap. cum propter discordias laicorum* 27. *eodem titulo.* — (6) In Cap. *eam te decet* 22. eod. tit.

tissime Bonifacius VIII. (1), sic inquiens : *licet patronus laicus ad praesentandum tempus habeat* quadrimestre *dumtaxat*, *Ecclesia tamen*, *vel monasterium tempus habet semestre*. Ubi Glossa *verb. quadrimestre non habebamus olim*, *inquit*, *de hoc ita expressum textum*, *sed ita servabamus*.

V. Si tamen mixtum ex ambabus qualitatibus, laici, et ecclesiastica fuerit iuspatronatus, largiori spatio sex mensium omnes patroni tum ecclesiastici, tum laici coutuntur, cum attendi qualitatem favorabilem definiverit Rota (2). Etiamsi pro minori, vel minima quota patronatus ad ecclesiasticos pertineat : qui dissentientibus laicis nequeunt semestre spatium restringere ad quadrimestre (3). Praecipuus enim effectus mixturae qualitatum, seu societatis patronorum saecularium cum ecclesiasticis est, ut unius privilegia socii communicentur alteri (4). Istaque ratio efficit, ut quoad alios favorabiliores effectus patronatus laicalis in patronatu mixto ecclesiastici gaudeant favoribus compatronorum laicorum.

VI. Longior tamen, vel brevior terminus ad praesentandum praefiniri potest lege fundationis cum adsensu Ordinarii (5).

VII. Currere incipit tempus istud quadrimestris, aut semestris, aut alius a fundatore constitui *a die* non vacationis quidem, sed *scientiae*, puta cognitae per patronos vacationis, ex recepta Doctorum sententia apud Rotam (6). *Certae*, inquam scientiae, et verae : (VIII.) quia praesumpta, vel interpretativa scientia non sufficit regulariter ad inchoandum temporis cursum. Praesumitur quippe ignorantia, ubi scientia non probatur (7). Cum itaque praesumptio Iuris faveat patrono, is iudicatur in dubio vacationem ignorasse, et praesentasse in tempore habili, praesertim si Ordinarius praesentationem eius admiserit post plurimos menses (8). (IX.) Quin post lapsos quinque annos a die vacationis computandos, si patronus tardissimam scientiam vacationis habuerit, eum adhuc intra quadrimestrem esse audiendum, censuit Rota (9). Quae propterea definivit non esse locum Regulae *de triennali* in beneficiis de iurepatronatus laicorum, ne iure praesentandi defraudetur patronus, cui nulla potest imputari negligentia in casu ignoratae vacationis (10). Nisi praesentatus neglexerit iura sua experiri contra possessorem intra triennium : hoc enim casu possessio triennalis nocebit ob negligentiam culpabilem praesentati, quum iura praesentantis directe non laedat, ut Mandosius, Kochier, et alii Commentatores tra-

(1) In cap. *unico de iurep.* in VI. — (2) *Decis.* 250. *par.* 12. *rec. num.* 13. Vivian. *cap.* 2. *lib.* 7. *num.* 10. Rigant. *in reg.* 42. *Cancellar. num.* 44. *tom.* 3. — (3) Cabassut. *in theor.*, *et prax. iur. can. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. — (4) *L. si commune D. quemadmodum servitus amittatur*, *et l. si is*, *qui duos D. de liber. legata.* — (5) Vivian *Lib.* 7. *cap.* 1. quod iam expositum est *cap.* 6. *huiusce tract. num.* 17. — (6) *Decis.* 421. *par.* 1. *divers.*, *dec.* 221. *par.* 7. *rec.*, *et alibi*, Vivian. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 7.
(7) Cap. *praesumitur* 47. de *reg. Iur.* in VI. — (8) Piton. alleg. 96. n. 4., et 5. — (9) In Ostunen. *benefic.* 10. *Decembris* 1708. §. *tamen coram Crispo.* — (10) Iohan. Bapt. Rigant. *in reg. Cancell.* 36. *tom.* 3. *num.* 176., *et seq.* Piton. *alleg.* 74. *num.* 2.

dunt (1): sibique tribuat patronus, qui personam desidem, atque oscitantem praesentaverit.

X. Quae dicta sunt de praesumptione ignorantiae vacationis, quandoque limitantur in casu crassae, et supinae ignorantiae ob circumstantias loci, et personarum. Si enim mors beneficiati contigerit eo in loco, ubi continuum, fixumque domicilium habeant compatroni, tunc vacationem ignorasse non praesumuntur quidem, sed potius scivisse: quum turpe sit nescire, quod omnes fere concives sciunt: et crassa ignorantia facti aequipollens scientiae probabili neminem excusare debeat, nec aliquod beneficium iuris tribuere (2).

XI. Unius tamen patroni scientia non officit alteri vacationem ignoranti: tametsi huius ignorantia prodest scienti ad impediendum temporis cursum ex ea ratione, quod in iuribus individuis unus conservat ius aliorum (3).

XII. Verum scientia, et mora tutoris, curatoris, aliusve administratoris nocebit pupillo, minori, furioso quoad lapsum quadrimestris ad praesentandum, quemadmodum ea nocet in negotiis profanis ex clara sententia Ulpiani (4). Iniuriosum porro esset, ac damnosum Ecclesiis vacantibus tamdiu expectare provisionem earum, quoad cessaret minor aetas, vel defectus iudicii compatronorum. Quibus incolume, atque salvum ceteroqui permanet ius praesentandi pro futuris vacationibus.

XIII. Nedum ignorantia vacationis, sed quodlibet etiam legitimum impedimentum causatur, ne tempus praesentandi decurrat, nisi a die sublati obstaculi. Noluit sane Honorius III, quod *tempus lapsum ante concessam* Capitulo S. Iuliani Lemovicensis Dioecesis *licentiam eligendi eis currat*; quum constitutio, quae de huiusmodi lapsu temporis loquitur, contra negligentiae vitium fuerit promulgata: et hi dici nequeant negligentes, quum non possint eligere (5). Idque notissimo iuris axiomate nititur. Nam *imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*, ait Bonifacius VIII (6). Exinde Doctores proverbialiter aiunt, quod impedito non currunt tempora (7). (XIV). Huc opportune referri possunt caussae Iure civili probatae, quibus maiores etiam restituuntur in integrum, ut iura sua experiantur, non obstante lapsu temporum. Quales sunt absentia reipublicae causa, publica legatio, militaris custodia, captivitas, et quoties necessitas, vel aequitas restitutionem suggerit (8).

XV. Inter talia impedimenta potissimum recensetur effectus praesentationis minime sequutus, seu canonica institutio praesentato non con-

(1) In Cancell. reg. *de triennali.*

(2) Rot. *dec.* 377. *par.* 3. *rec. num.* 3, Card. de Luc. *disc.* 64. *de iurep. num.* 6. — (3) Rota coram Buratto dec. 18. n. 11.

(4) In L. *sed si servus* 3. in fin. D. *de tributor. act.*, et l. *ait praetor.* 10. §. 5. D. *quae in fraudem creditorum.*, et l. *si tutoris* 23. C. *de administr. tutor.* — (5) *Cap. cum bonae II. de elect. in quint. compilat. decretal.* apud Cironium. — (6) *In cap. imputari* 41. *de reg. iur. in VI.*

(7) Piton. *alleg.* 68. *de contr. patr. num.* 21. — (8) *L.* 1., *et seq. Cod. quibus ex causis maiores restit.*

cessa citra culpam patroni, puta ob renunciationem, vel mortem praesentati, ob ignoratam praesentati incapacitatem, ob reiectam ab Ordinario priorem praesentationem, ob clericalem tonsuram iniuria denegatam nominatio idoneo (1). Quoniam postquam sciverit patronus priorem praesentationem evanuisse, ei procul dubio datur alterum praesentare: quandoquidem *non praestat impedimentum, quominus denuo fiat, quod de iure non sortitur effectum* (2). Unde consequitur ut denuo detur illi spatium quadrimestris decurrendum a die notificatae reiectionis, vel mortis praesentati, aut cessae praesentationis. Si tamen nominatus simpliciter, antequam exhiberet Ordinario instrumentum, vel epistolam nominationis, renunciaverit iuri suo, novum tempus ad renominandum non conceditur, sed decurret primum: sibique tribuat patronus, qui negligentem, et cessurum hominem delegit, malamque fecit electionem (3). Aliter dicerem, si exhibita nominatione coram Ordinario, nominatus, vel praesentatus intra legitimum tempus non consenserit praesentationi, vel renunciaverit, caussamque sic dederit lapsui quadrimestris, vel semestris: hoc enim casu alterum tantum spatium indulgetur patronis a die detectae renunciationis, vel dissensus; si nulla fraus intercideril: non secus, quam electoribus datur, ubi electus electioni dissenserit (4).

XVI. Lis quoque inter compatronos super pertinentia patronatus, vel cum fisco episcopali super existentia patronatus, et Ecclesiae libertate impedit cursum quadrimestris: in praxi enim minime servari constitutionem Concilii Lateranensis (5) agnovit Rota (6). Profecto celebrior definitio litium fere non pendet a voluntate singulorum litigantium, sed potissimum aut ab iudice, qui facile posset eas protrahere ultra quatuor, vel sex menses devolvendi gratia sibi collationem beneficii de iurepatronatus, aut ab alterutro collitigantium, quorum unus plerumque morosas dilationes interiicit altero expeditionem celerem exoptante: et unius culpa aliis innocentibus obesse non debet (7), ibi: *non debet aliquis alterius odio praegravari. Itaque rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit*, ut rescripsit S. Gregorius (8). Nemo quippe sine culpa privandus est iure suo (9). Et civili constitutione Arcadii, et Honorii sancitum est *ibi esse poenam, ubi et noxia est: peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum* (10). Eodemque iure litem super nullitate dispensationis concessae nominato incapaci adeo legitimum

(1) Vivian. lib. 7. cap. 4. n. 30.
(2) *Cap. non praestat* 52. *de reg. Iur. in* VI.—(3) Card. Zampsrell. *in cap. fin. num.* 4. *in fin. de iurep.* Roch. de Curte *verb. honorificum num.* 74., Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 27.— (4) *Cap. si electio de elect. in* VI. Tondut. *quaest. benefic. par.* 2. *cap.* 4. *num.* 37., Roch. *verb. honorificum qu.* 42.—(5) *In cap. quoniam* 3. *de iurep.* (quam paulo ante exposui *num. III.*)
(6) *Decis.* 42. *par.* 3. *rec.*, et coram Gregor. *dec.* 94. Lap. *alleg.* 78. *num.* 17. Vivian. *lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 70. Lotter. *lib.* 2. *qu.* 6.— (7) *Cap. non debet* 22. *de reg. iur. in* VI. — (8) *Lib.* 7. *ep.* 35. ad Fortunatum Episcopum Neap. *in cap. cognoscentes* 2. *de constit.* — (9) *Can. satis perversum dist.* 56. — (10) *L. sancimus* 22. *Cod. de poenis.*

impedimentum causari, ut a die, quo noverit patronus reiectam nominationem, et irritatam dispensationem, novus quadrimestris decurrat, tenuit Pitonius (1).

XVII. Verum lite pendente inter nominatos simpliciter sine solemnitate praesentationis, terminum currere, idem Pitonius sensit (2).

XVIII. Ex hactenus dictis liquet nedum initium quadrimestris, vel semestris impediri quominus decurrat, sed incoeptum aliquando cursum interrumpi legitima superveniente caussa. Ceterum tempus istud est *continuum*, non utile, quum decurrat singulis diebus etiam feriatis sine ulla intercapedine (3). Quemadmodum minoribus, aliisque personis ad postulandam, et impetrandam restitutionem in integrum datur quadriennium continuum ab Iustiniano (4). Dies tamen scientiae vacationis non computatur in termino.

XIX. Si lapso termino quatuor, aut sex mensium nullus compatronorum praesentaverit, Episcopus beneficium de iurepatronatus iure ordinario conferet libere infra sex alios menses, ne diu maneat in suspenso: alias eo negligente devolvitur ad Metropolitanum, et a Metropolitano pariter negligente ad Summum Pontificem libera collatio, iuxta canonem Concilii Lateranensis (5). De quo uberius infra *in cap.* XXII. *de institutionibus*. Mora enim sua cuilibet est nociva (6), adeo ut exhibitae post terminum iuris nominationes nihil nominato suffragentur (7), nisi Ordinarius eosdem acceptare maluerit, ut dicam inferius *num.* XXVI. Verumtamen nullum patronis praeiudicium in posterum generari pro futuris vacationibus declaravit Clemens III. (8).

XX. Consequitur exinde non posse Ordinarium decreto, edictove suo contrahere, ac breviare canonicum terminum quadrimestris pro aucupanda libertate collationis, ne ius patronorum deminuat concessum sacris canonibus, quibus derogandi potestatem non habet Episcopus (9). (XXI.) Nec Summus Pontifex tali utitur potestate. Nam, ut ceteros praetermittam, sapientissimus D. N. Benedictus Papa XVI. in suis Cancellariae regulis *reg.* LXI. mandavit: *quod super quovis beneficio ecclesiastico de iurepatronatus laicorum non expediantur literae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod eius collatio ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a Iure praefixum lapsum existat.* Cuius regulae vigore solet Summus Pontifex conferre beneficia de iurepatronatus, tamquam devoluta ob lapsum quadrimestris, vel semestris praeveniendo collatorem ordinarium. Si tamen dubia fuerit devolutio, nec plene probetur ab impetrante, puta, quia incertum sit quo-

(1) *Alleg.* 2. *num.* 4. — (2) *Alleg.* 78. *num.* 9. — (3) Vivian. *lib.* 7. *c.* 4. Barbos. *alleg.* 172. *num.* 127.

(4) *In l. ult. Cod. de temporibus in integr. restitut.* — (5) *In cap. nulla ecclesiastica* 2. *de concess. praeb.* — (6) *Cap. mora* 25. *de reg. iur. in* VI.

(7) Piton. *alleg.* 22. *n.* 13. — (8) *In cap. sicut nobis* 2. *de supplen. neglig. Praelator.*

(9) Barbos. *dict. alleg.* 127. *num.* 143. Card. de Luca *de iurepatr. disc.* 49. *num.* 5.

nam die vacationem sciverint patroni, in dubio contra impetrantem deciditur quaestio, et sustinebitur praesentatio patronorum (1).

XXII. Uno tamen patronorum, aut pluribus ad praesentandum comparentibus, de stylo Curiarum ecclesiasticarum expediuntur statim edicta contra omnes interesse habentes, ut compareant infra peremptorium terminum brevitatum, sed congruum tot dierum, quot iudici videbuntur ad id sufficere, ut notitia vacationis beneficii, et factae praesentationis perveniat probabiliter ad absentes, impeditosque patronos: alias elapsis diebus edicto praefinitis, incusantur contumaciae, tum iudicium institutionis exercetur ordinarie: puta impertitur terminus ordinarius duorum, vel quatuor, vel plurium dierum ad probandum incumbentia, videlicet tam titulum, et quasi possessionem praesentandi eius, qui praesentaverit, quam idoneitatem, et capacitatem praesentati: ad extremum rite proceditur ad instituendum praesentatum, licet quatuor, vel sex menses minime defluxerint, nec alii compatroni comparuerint (2). Praesumuntur enim alii post admonitionem edictalem non comparentes compatroni iuri suo pro illa vice renuntiasse iuxta regulam Textus (3). Et qui tacet, consentire videtur (4). Cum scienti, et consentienti nulli fiat iniuria, et dolus, ex Bonifacii VIII. sententia (5), praxis hinc merito inolevit non expectandi alios incertos, vel absentes compatronos ultra terminum congruum edictorum, ne diuturna vacatio damnum inferat beneficio, et Ecclesiae: sufficiens porro videtur celeris praesentatio unius patroni vigilantioris, qui patronatum natura individuum bene tunc exerceat nomine omnium, dummodo citra fraudem, dolumve id fiat, praevia nimirum affixione edictorum in locis publicis, et consuetis cum termino ad comparendum congruo: quemadmodum in confirmatione electi servandum iussit Bonifacius VIII (6). Verum edicta eiusmodi contra interesse praetendentes nonnisi post perfectam praesentationem unius saltem relaxantur: et nequaquam post simplicem nominationem (7). Et ubi adsint compraesentatus, aliusve oppositor, nominatim (non per edictum) vocandi sunt ad iudicium, alias institutio nemine citato irrita fiet (8).

XXIII. Attamen si re integra quis interesse habentium comparens postulaverit prorogationem termini edicto breviati usque ad integrum quadrimestrem, vel semestrem, ut interea personam idoneam praesentaturus consulto inveniat, vel capacitatem alicuius sibi sanguine coniunctae expectet, puta aetatem legitimam superventuram, vel dispensationem pontificiam super aliquo impedimento: tunc ad institutionem nequit Ordinarius procedere, nisi lapsis mensibus Iure communi lar-

(1) *Num.* 8., *et seq.* Rota coram Emerix iun. *decis.* 1254. *num.* 1., *et decis.* 74. *num.* 13., *et* 14. *par.* 16. *rec.* — (2) Rota post Vivian. *decis.* 139. *num.* 29. Card. de Luc. *cit. disc.* 94. *num.* 2.

(3) *In l. si eo tempore* 6. *Cod. de remiss. pignoris.* — (4) *Cap. qui tacet* 43. *de reg. Iur. in* VI. — (5) *In cap. scienti* 27. *de reg. Iur. in* VI.

(6) *In cap. ult. de elect. in* VI. — (7) Lambertinus *par.* 2. *lib.* 2. *qu.* 6. *art.* 17. *num.* 2, Vivian. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 4 *et* 5. — (8) *Ex dict. cap. ult. de elect. in* VI.

gitis (1). Cessat porro taciti consensus ratio, qua sustinetur breviatio termini edictalis: et nemo invitus iure sibi canonibus tributo privari potest iuxta Pomponii sententiam (2). Quod ergo Iure communi competit, negandum non est, inquam eum Glossa (3). Et *indultum a Iure beneficium non est alicui auferendum*, monente Bonifacio VIII (4). Nec aliquorum consensus, et postulatio pro celeri institutione iam praesentati aliis dissidentibus nocebit: nam *quod omnes tangit, debet ab omnibus adprobari* (5). Atque *in re communi potior est conditio prohibentis* (6).

XXIV. Id vel maxime locum obtinet, si patronatu passivo quis potiatur, et terminum integrum expectandum postulaverit: nam breviatio termini edictalis non officit regulariter, quin valeat usque ad ultimum diem quadrimestris, vel semestris supplicare pro institutione sua, licet neglexerint ipsum praesentare patroni activum ius habentes (7). Sane quadrimestris, vel semestris perinde competit passive vocatis ad petendum suppliciter institutionem, atque patronis in iure activo ad praesentandum (8). Hac tamen de re opportunius infra *in cap.* XXI. *de passivo patronatu.*

XXV. Vicissim prorogare quadrimestrem, vel semestrem procul dubio potest Episcopus, et Sede vacante Capitulum, et quivis Ordinarius collator usque ad sex alios menses sibi tributos a iure pro collatione facienda in gradu collationis: sicque admittere patronos ad praesentandum, usque ad decimum, vel duodecimum mensem a die cognitae vacationis: dummodo sibimetipsi tantum Ordinarius praeiudicet: liberum enim cuique est favori, et iuri suo renunciare (9). Post vero indultam prorogationem poenitere nequit: *quod enim semel placuit, amplius displicere non potest* (10). Et remittentibus actiones suas non dant amplius regressum iura communia (11).

XXVI. Quin si post quadrimestre, vel semestre ordinarius admiserit praesentationem, praesumitur tacite prorogasse terminum iuris (12). Etiamsi eam admiserit cum consueta clausula *si, et in quantum*, quae spectat exceptiones competitorum, et collitigantium, non voluntatem Ordinarii adversantem prorogationi: quoties enim is non reiecerit praesentationem lapso termino exhibitam, probasse illam intelligitur (13).

(1) Rota coram Buratto *dec.* 737. num. 7., Vivian. *lib.* 7. *cap.* 7.

(2) *In l. id, quod nostrum* 11. *D. de reg. Iur.*, *et Clement. constitutionem* 4. *de electione.* — (3) *In can. de iis* 5. *dist.* 28. *verb. auferre.*

(4) In Cap. *indultum de reg. Iur.* in VI. — (5) *Cap. quod omnes* 29. *eod. tit. in* VI. — (6) *Cap. in re communi* 56. *eod. tit. in* VI. — (7) Cardinalis de Luca *dicto discure.* 49. *num.* 8., *et* 9. — (8) Piton. *alleg.* 65. *num.* 4. — (9) *Cap. si de terra* 6. *de privil.* Rota *decis.* 187. *par.* 18. *rec. num.* 4., *et* 5. — (10) *Cap. quod semel* 21. *de reg. Iur. in* VI. *l. sicut initio* 5. *Cod. de oblig., et action.* — (11) *Cap. ex transmissa* 3. *de renunciatione, et l. fin. Cod. de remiss. pignoris.* — (12) Piton. *alleg.* 96. n. 6. post Rot. *decis.* 74. n. 10. par. 16, rec. Barbos. *de potest. Episc.* alleg. 72. n. 170. Pax Iordan. tom. 2. *lucubrat.* lib. 10. tit. 7. n. 351.

(13) Lambertin. *lib.* 2. *par.* 2. *qu.* 1. *art.* 25. *num.* 8. Vivian. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 9.

XXVII. Prorogatio tamen quadrimestris, vel semestris sive expressa, sive tacita tunc, licet, ac sustinetur, quando vel unicus est patronus eam postulans, vel compatroni omnes unanimiter eamdem petant. Secus ubi dissentiant, et alii personam idoneam praesentaverint intra tempus legitimum, alii vero negligentes velint extra illud praesentare vi prorogationis. Haec enim velut gratia tollere non debet ius praesentatis quaesitum, nec nocere compatronis, qui praesentationem expleverint legitimam tam pro semetipsis vigilantibus, quam iure non decrescendi pro collegis omnibus negligentibus (1).

XXVIII. Quae hucusque dicta sunt de praefinito spatio temporis ad praesentandum, haudquaquam usuveniunt in patronatu regio. Profecto Reges, et supremi Princeps, eorumque Ministri nullo penitus termino, vel mensium, vel annorum coarctantur ad nominandum, et praesentandum in Ecclesiis, et beneficiis de suo iure patronatus: propterea quod maximae curae, quibus tempore tam belli, quam pacis occupantur assidue impedimentum quotidianum causari putantur, quominus de praesentatione, ac nominatione beneficiariorum cogitent (2). At Barones iura patronatus feudalia, seu feudo adnexa obtinentes intra quatuor menses praesentare obstringuntur. Tametsi enim ius patronatus feudale fere potitur privilegiis regii patronatus, tamquam realibus, quia a Rege transiens ad feudatarium, una cum feudo non amittit primaevam naturam, praesertim ob directum Regis dominium, ut superius expositum est *cap.* III. *num.* XIV; nihilominus illimitata potestas regia praesentandi, ac nominandi quolibet tempore, nulla quadrimestris habita ratione, praesefert privilegium personale, quod e persona Regis ad feudatarios non extenditur: neque in baronibus eadem, quae in Regibus ratio viget.

XXIX. Utrum reservationi octo mensium apostolicorum per Cancellariae regulam inductae subiaceant beneficia de iurepatronatus, non abs re nunc quaeritur. Hac in quaestione affirmativam sententiam suadere videtur littera Cancellariae Regulae olim VIII, hodie XI, *de reservatione mensium, et alternativa Episcoporum*, quam Nicolaus V. anno 1447. fertur primus omnium regulis praedecessorum Pontificum per semetipsum collectis superaddidisse, ut tradit Hieronymus Gonzalez (3), eamque innovarunt successores, et novissime omnium Summus Pontifex Benedictus XIV., qui nunc feliciter vices Dei gerit in terris, his verbis conceptam: *Item cupiens SS. D. N. pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia in singulis* Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iulii, Augusti,

(1) Rota coram Celso *decis.* 342. *num.* 10, *et decis.* 13. *num.* 4. *par.* 17. *rec.* Card. de Luca *discur.* 20. *de iurep. num.* 7. Piton. *alleg.* 61. *num.* 23., *et* 24. — (2) Solerzan. *de iurep. Indiar. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 19., Gabed. *de iurepatr. reg. Coron. Portugall. cap.* 28. *num.* 12. Barbosa *alleg.* 72. *num.* 137. Garzia *par.* 1. *cap.* 2. *num.* 3.

(3) In commentario ad eamdem reg. §. 1. *proem. num.* 5.

*

Octobris, et Novembris *mensibus usque ad suae voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura ad collationem*, praesentationem, electionem; *et quamvis aliam* dispositionem *quorumcumque collatorum, et collatricum saecularium, et quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, et quoscumque alios initis; et per eos, qui illa acceptare, et observare debuerant, acceptatis, et observatis, quae laedere non intendit, comprehensorum)* quomodolibet pertinentia; *dispositioni suae generaliter* reservavit. Cuiusmodi verbis omnia beneficia non modo ad liberam collationem spectantia, sed etiam ad *praesentationem* quorumcumque patronorum sine ullo discrimine videntur reservata liberae provisioni Sedis Apostolicae; ideoque sublata patronis facultas praesentandi, quotiescumque vacaverint in aliquo mensium reservatorum.

XXX. Attamen tali tenore non obstante receptum est patronatum ecclesiasticum solummodo affici reservatione mensium (1), nisi aliter in fundatione cautum sit, ut in omnibus, et singulis mensibus liceret ecclesiastico patrono praesentare coram Ordinario, exclusa Sede Apostolica, vel aliud acquipollens: in hoc enim adhuc servandam fundatoris voluntatem DD. propugnant (2). Consuetudo etiam antiqua, et legitima exemit alicubi patronatum ecclesiasticum a reservatione mensium: namque consuetudinis etiam vigore in Hispaniarum Regnis ecclesiasticos patronos in omnibus mensibus praesentare nonnulli tradunt (3). At quia per clausulam in dicta Regula expressam derogatur contrariis consuetudinibus etiam immemorabilibus, in foro ecclesiastico praesertim Romano minime probari consuetudines reservationi adversantes advertit Zypaeus (4), et censuit pluries Rota ab eodem laudata (5).

XXXI. Laicalem vero patronatum, itemque mixtum ex qualitatibus laicali, et ecclesiastica obnoxium non esse huic reservationi mensium, aeque ac aliis reservationibus Regularum Cancellariae, usque adeo receptum est, ut nemo sit, qui dissentiat (6). Dummodo patronatus iustitiae fuerit, videlicet quaesitus oneroso titulo fundationis, ac dotationis: secus dicendum in patronatu gratioso, qui ex privilegio competat (7), cui ad libitum Papa derogat, ut supra cap. VIII. n. 35.

XXXII. Alia quaestio discutienda superest, an tempore litis patroni praesentare possint? In qua negative respondendum videtur generatim

(1) Nicolarts ad Concordata Germaniae *tit.* 1. *dub.* 5. §. 7. Rebuff. *de nominationibus qu.* 8. *num.* 22., Covarr. *pract. qu. cap.* 36. *num.* 5.

(2) Corrad. *in prax. benefi. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 50., Wames. *tom.* 1. *cons. canon.* 252. *num.* 11. Rota *decis.* 243. *num.* 7. *par.* 19. *rec.* Lotter. *lib.* 2. *de re beneficiaria qu.* 10. *num.* 4.— (3) Garzia *de beneficiis par.* 5. *cap.* 1. *num.* 557. Frass. *de regio patron. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 48. Capon. *tom.* 2. *discept.* 74. *num.* 23. — (4) *Consult.* 1. *de iurepatr.* Leuren. *de for. beneficial. tom.* 2. Rigantius *in reg.* 12. *num.* 161. — (5) Ibidem n. 144. — (6) Gonzalez *in eamdem regulam* VIII. *gl.* 18. *num.* 2, Rigant. *in eamdem reg.* 12. *num.* 333. — (7) Wan-Espen *par.* 2. *tit.* 32. *cap.* 5. *n.* 32: Gonzalez *loc. cit.* n. 18., et 93.

ex generali Iuris regula defluente, ut lite pendente nihil innovetur, utque attentata viribus omnino careant: quam regulam in materia electionis speciatim usurpat Bonifacius VIII (1). Quo tamen dilucidior veritas effulgeat, oportet hac in re distinguere triplex litis genus. Primum, ubi contendit Episcopus, seu fiscus episcopalis pro beneficii, Ecclesiaeve libertate, ac vicissim patronus pro existentia patronatus. II. Ubi compatroni certant de pertinentia patronatus inter semetipsos, et certa sit existentia eiusdem. III. Ubi lis vertitur inter nominatos, ac praesentatos.

XXXIII. In primo litis genere nec praesentationes a patronis fieri possunt, neque ab Episcopis collationes liberae vacantium beneficiorum; quoadusque lis indecisa fuerit: quae impedit cursum quadrimestris, vel semestris, ut supra expositum est *num.* XVI.

XXXIV. In secundo si ante vacationem beneficii lis mota sit, ac pendeat indecisa inter compatronos de pertinentia contendentes, iisque inhibitio presentandi ab iudice facta sit specialim; nullus collitigantium praesentare poterit tam si extiterint, quam si non extiterint in quasi possessione praesentandi (2).

XXXV. At praesentationem iudex inhibere non debet regulariter sine rationabili caussa. Aequitas enim non patitur possessores commodo possessionis lite pendente privari, et in iudicio patronatus quoque interdictum praetorium *uti possidetis*, *ita possideatis* oportet adhiberi. Ideo quasi possessor patronatus recte presentabit post litem etiam super pertinentia, et petitorio motam (3). *Possessor* inquam ex propria persona, et facto suo, secus ex persona, factoque suorum auctorum, ut distinquit Rigantius (4).

XXXVI. Et ne propter longaevam vacationem iura beneficiorum depereant, solet Summus Pontifex lite pendente derogare toti patronatui, et conferre beneficium sine ullo patronorum collitigantium praeiudicio, eum clausula, *dummodo non sit alteri ius quaesitum*. Hac enim clausula intendit Pontifex non tollere ius quaesitum praesentato ab existente in quasi possessione praesentandi, quamvis collitigante, nec propterea isto casu gratiam patronatui derogatoriam suffragaturam impetranti (5). Secus autem dicendum de presentato a litigatore super pertinentia patronatus non existente in quasi possessione praesentandi (6).

XXXVII. In tertio tantem genere litis pendentis iuter praesentatos super institutione adipiscenda, poterit quidem patronus laicus alium cumulando praesentare, intra quatuor scilicet menses, si neuter eorum liti cesserit, nec decesserit (7). Eoque magis valebit tertius compatro-

(1) *In cap. 1. ut lite pendente in* VI. — (2) Piton. *alleg.* 40. *num.* 7., *et* 10., et Rota penes eumdem *num.* 31., *et alleg.* 75. *num.* 65. — (3) Piton. *dict. alleg.* 75. *num.* 56., *et alleg.* 16. *num.* 11.— (4) *Tom.* 3. *in reg.* 42. *Cancellar. num.* 272., *et seq.*

(5) Piton. *alleg.* 40. *num.* 7., *et seq.* Rot. *post. alleg.* 22. *eiusdem auctoris num.* 42.—(6) Rigant. *loc. cit. num.* 267., *et seq.* — (7) Piton. *alleg.* 2. *num.* 25. *alleg.* 3. *per tot.* in qua *num.* 8. reprobat opinionem Covarr., et Merlin., *et alleg.* 100. *num.* 27.

nus sive laicus, sive ecclesiasticus praesentare, vel alterutrum ex litigantibus, vel alium pro libito suo, intra curriculum quadrimestris, vel semetris (1). Nemini enim collitigantium facit iniuriam patronus, qui iure suo utitur (2). Quid vero caussae erit, cur hoc in casu patronus privari debeat, vel possit iure praesentandi aut simpliciter, aut cumulative intra quatuor menses? Nulla quidem si recte expendatur mens Bonifacii VIII; qui (3) vetando praesentationes lite pendente, loquutus est solum de casu mortui collitigantis lite indecisa, dum censuit non esse dandum superstiti novum adversarium competitorem novis praesentationibus, quae tunc litem longius protrahere. Bonifaciana proinde prohibitio ad casum viventis utriusque praesentati diversissimum extendenda non est, in quo diversa, quin et adversa ratio urget celerioris expeditionis litis: nam novae praesentationes vel maiora vota praesentato collitiganti adiicient, vel magis dignam, et idoneam fortasse personam exhibebit, quam poterit Ordinarius gratificando instituere, consulturus cito provisioni vacantis Ecclesiae. Hanc sententiam duce Lambertino propugnavit Pitonius (4), firmavitque Rota coram Molines in Hipporegien. Parochialis 21. Iunii 1700.

XXXVIII. Attamen alterutro praesentationem facere prohibentur, ex textu Bonifacii VIII. (5). Puta *donec contra superstitem lis finita fuerit, ne propter novos adversarios, qui malitiose interdum petitoribus subrogantur, litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat*, ut ratiocinatur Pontifex (6). Si porro decidetur superstitem in electione, seu praesentatione ius habere; puta ob vota, et suffragia maiora, secundam electionem, ac praesentationem penitus non valere, rescripsit ad Archepiscopum Coloniensem Honorius III (7). Quam decretalem pro viribus exposui in prima solemni praelectione concursus ad Cathedram Decreti. Si vero iudicabitur superstitem ius non habere tamquam praesentatum, vel electum a minori parte patronorum, tunc nonnisi post cassatam eius praesentationem, aut electionem, poterunt patroni alium praesentare, aut eligere (8).

XXXIX. Quare superstes evitandi gratia expulsionem suam solet ab Sede Apostolica impetrare sibi gratiam subrogationis in iure defuncti collitigantis vi antiquissimae Regulae Cancelleriae (9).

(1) Rota *post alleg.* 1. Pitonii *num.* 34. — (2) Arg. *l. iniuriarum* 13. *D. de iniuriis.* — (3) *In cap. 1., et 2. ut lite pendente in* VI. — (4) *Alleg. 3. num. 2., et seq.* contra Covarruvium *cap. 36. pract. quaest. num. 7. §. 3.,* et Merlin. *decis. 433. num.* 2.

(5) *In cap. 1., et 2., ut lite pendente in* VI.

(6) In cit. cap. 2. — (7) *In cap. ex parte tua* 10. *de arbitr.* — (8) *Cap. auditis* 29. *de elect. cap. post electionem de concess. praebendae.* — (9) *Hodie* 29. *de subrogandis collitigantibus,* de qua inferius *in cap.* XXIII. *de apostolicis derogationibus.*

CAP. XVIII.

DE PERSONIS PRAESENTANTIBUS.

I. Praesentandi potestas nonnullis datur sine pertinentia, et quasi possessione praesentandi.
II. Scilicet donatariis.
III. Administratoribus generatim.
IV. Tutoribus.
V. Etsi pupilli proximi pubertati ad praesentandum admittuntur, dissentiente tutore.
VI. Puberes eo magis minorem aetatem agentes vel per semetipsos, vel per procuratorem, aut curatorem praesentant.
VII. Curatoribus furiosorum quoque competit praesentatio.
VIII. Itidem curatoribus hereditatum iacentium.
IX. Maritis, ubi dotibus adnexum sit iuspatronatus.
X. Usufructuariis.
XI. Praesertim uxori fructuariae hereditatis viri.
XII. Et patri fructuario peculii adventitii filiorum, dummodo patronatus realis tali peculio adhaereat.
XIII. Sequestribus item.
XIV. Emphyteutis, et concessionariis ad firmam.
XV. Nisi dominus in concessione fundi sibi reservaverit patronatum.
XVI. At non conductoribus ad modicum tempus.
XVII. Neque creditoribus ob pignus, vel hypothecam in re, cui adhaereat patronatus.
XVIII. Regulares in familiari, et gentilitio patronatu praesentant cum Superioris consensu, in hereditario praesentat Monasterium ex persona professi.
XIX. Excommunicati, multique criminosi prohibentur praesentare.

I. Non modo veri patroni, sed putativi etiam, seu quasi possessores patronatus, praetereaque alii non patroni, nec possessores praesentare solent. De veris patronis, ad quos scilicet iuspatronatus pertinet ex titulo, vel iustitiae, vel gratiae, iam dixi in superioribus *cap. IV. ad XIV.* De putativis, et quasi possessoribus dicam in sequenti *cap. XIX.* Commodum heic recensere videtur alios praesentantes sine pertinentia, et sine quasi possessione patronatus, puta titulo donationis particularis, vel administrationis, vel utilis dominii, aliove id genus. Non repugnat sane patronatum spectare ad unum, ius praesentandi ad

alium (1), perinde ac in ordine naturali effectum separatim a caussa plerumque sua consistere.

II. In primis donatarium iuris praesentandi pro una, vel pluribus vicibus praesentationem recte facere, tametsi patronus donator ab semetipso non abdicaverit patronatum, nec aliud transtulerit in donatarium, quam solam praesentandi facultatem, explorati iuris est ex supradictis *cap.* XIV. *num.* III. Quin in dubio cedens ius praesentandi praesumitur non cessisse patronatum ab Archid. (2), et Paulo de Cittadinis (3). Quemadmodum reapse mansisse salvum Regi Poloniae patronatum post cessam aliis potestatem nominandi, definivit Rota (4). Regiumque patronatum Thesaurariae Panormitanae ad Regem adhuc pertinere, quamquam Senatus Panormitanus alternative cum Archiepiscopo ius habeat nominandi, pluribus ostendit Pitonius (5).

III. Administrationis titulus ius praesentandi tribuit tutoribus, baliis, fructuariis, maritis, emphyteutis, conductoribus perpetuis, sequestribus. Procul enim dubio generalis administratio alicuius patrimonii, vel hereditatis, vel universitatis secum fert facultatem praesentandi ad beneficia de iurepatronatus eius, cuius est patrimonium (6).

IV. Tutor idcirco administrans patrimonium pupilli exercet omnia patronatus iura ad pupillum pertinentia tam hereditaria, quam gentilitia. *Quia tutor domini loco habetur*, inquam cum Iuliano Iureconsulto (7). Istaque sententia nullam patitur dubietatem, si pupillus septennio minor sit, ac iudicio expers (8). (V.) Dum vero maior septennio, et proximus pubertati erit, dubitatur, an pupillus praesentare valeat sine auctoritate tutoris, et praesentantibus pupillo, ac tutore duos discordi consilio quisnam erit instituendus? Pro pupillo respondent Lambertinus, aliique (9). Namque in beneficialibus, aliisque caussis spiritualibus ab eisdem maiorem septennio pupillum cum auctoritate alterius procuratorem posse deputare, rescripsit Bonifacius VIII (10), ibi: *Tu ipse (si maior infantia fueris) cum auctoritate alterius eorumdem procuratorem ad eas poteris deputare.* Alterius eorumdem, puta vel Episcopi, vel curatoris ab Episcopo dati, ut glossa ibidem rectissime interpretatur. Non dixit autem Pontifex cum auctoritate tutoris. Ergo Episcopus praesentatum a pupillo idoneum potest, quin debet auctoritate sua admittere, posthabito eo, quem tutor praesentaverit, dissen-

(1) Roch. de Curte *verb. competens num.* 59. *vers. potest ergo*, Maranta *respons.* 43. *num.* 12. *par.* 3., Rota *dec.* 809. *num.* 13. *par.* 18. *rec. to.* 2.
(2) In cap. un. *de iurep. in* VI. *num.* 1. — (3) *Par.* 6. *art.* 3. *n.* 27.
(4) In Cracoviensi Parochialis 9. Febr. 1705. coram Caffarello, et Decius *cons.* 542. — (5) Alleg. 39. n. 11.— (6) Abb. *in cap. ex his de iure patr.* Decius *cons.* 127. *num.* 2., et 3. Garz. *par.* 5. *cap.* 6. *num.* 1., et seq. Rot. *dec.* 521. *num.* 7. *par.* 1. *rec.*, *et decis.* 2. *num.* 4. *par.* 13., et coram Pio in Urbanien. Canonicatus 20. Iun. 1698. apud Piton. *discept. eccl.* 4. *num.* 92., et 93. — (7) *In l. interdum* 56. §. *qui tutelam* 4. *D. de furtis.* — (8) Lambertin. *lib.* 2. *par.* 1. *qu.* 2. *art.* 10. Rebuff. *de nominat. qu.* 17. *num.* 55. Gutierez *de tutel. par.* 3. *cap.* 29. *num.* 7. — (9) *Lib.* 2. *part.* 1. *qu.* 2. *art.* 10, et Vivianus *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 18. —(10) *In cap. ult. de iudic. in* VI.

tiente pupillo: vel curatorem specialem dare, qui praesentationi pupilli accomodabit auctoritatem vice tutoris a pupillo discordantis.

VI. Puberes quidem natu minores, qui scilicet annum xxv. de Iure communi non excesserint, vel xviii. de Iure municipali (*) recte praesentant siue auctoritate Curatoris, vel per se, vel per procuratorem specialiter deputatum, ex eadem constitutione (1), utpote qui in beneficialibus speciatim negotiis ipsi tamquam maiores iudicantur. Dum tamen patronus natu minor se a praesentando abstinuerit, Curator eius vel generalis, vel specialis ad praesentandum procul dubio admittitur nomine minoris curae suae commissi. Namque iudex tam ordinarius, quam delegatus minoribus, si non habent, dare possunt curatorem ad illa explenda negotia, quae coram ipso ventilentur (2).

VII. Curator autem furioso, vel amenti datus iure praesentandi utitur, vel auctoritatem suam praestat patrono inter lucida intervalla praesentandi, aeque ac tutor pupillo. *Circa curatorem furiosi eadem dicenda sunt, quae circa tutorem, quia personam domini sustinet, ut ratiocinatur* Iulianus (3). Quia furore, aut mente capti legitimos actus nulliter faciunt (4).

VIII. Curatorem hereditatis iacentis recte etiam praesentare ad beneficium de iurepatronatus hereditario defuncti, receptum est, et articulo mature discusso, resolvit Archiepiscopalis Curia Neapolitana apud Ricc. (5): quam sententiam pluries comprobavit Rota Romana in recentioribus; eamque iam exposui (6). Nam Caius Iurisconsultus ante aditionem credidit *hereditatem dominam esse, et defuncti locum obtinere* (7). Quod autem hereditas iacens duplicem personam defuncti, et heredis repraesentare visa sit Rotae (8), id porro dissonat ab auctoritatibus Pandectarum supra laudatis (9). Nec duplicem repraesentationem comprobare valet textus Codicis (10) allegatus in decisione Rotali, qui affirmat hereditatem solummodo *personam domini* sustinere: nam domini vocabulum referendum est ad repraesentationem defuncti, ut vitetur antinomia. Itaque non hereditas ipsa iacens, sed curator hereditatis duplicem personam defuncti, et heredis declarandi repraesentat, ac utriusque nomine praesentare debet in iurepatronatus hereditario, ne desit suscepto officio tuendae hereditatis. Dummodo praeferat quinque requisita Iure communi praescripta. Scilicet primo, quod datus sit ad postulationem maioris partis creditorum. II. Requisitis omnibus in-

(*) Iure novissimo Cod. LL. Civ. art. 373. pupilli non emancipati, parentibus vita functis, usque ad ann. xxi. Tutorum auctoritate indigent, quoties quid gerant, ex quo deterior illorum conditio fieri posset: obtinet tamen illud Iuris axioma *meliorem facere conditionem pupillo licet sine auctoritate tutoris:* art. 1079. — (1) *Cap. ult. de iudic. in* VI., et Glos. *ibid. ver. ac si inanis.*

(2) Dict. cap. ult. in fin. — (3) *In cit. l. interdum D. de furtis.*

(4) *Can. neque furiosus* 32. *qu.* 7. Vivian. *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 19. — (5) Dec. II. par. 1. — (6) Cap. X. n. 41. — (7) L. *non minus* 31. *in fin.* D. *de hered. instit.*

(8) *In Barchionen. beneficii 1685. coram Matthaeo post alleg.* 14. *Piton. de controv. patr.* n. 15. — (9) Cap. X. n. 41. — (10) In L. *cum hereditas* 9. C. *depositi.*

teresse habentibus ad successionem. III. Cum termino congruo ad deliberandum super aditione. IV. Quod confecerit inventarium. Et V. Idoneam praestiterit cautionem. Quae requisita enumerat Capicius (1). Verum in his Regiis Tribunalibus curatores isthec requisita non adimplent, neque inventarium ipsi faciunt, neque praebent cautionem, ex quo (2) cautum est, ne redditus, et bona hereditatum iacentium, et patrimoniorum amplius pervenirent ad manus curatorum, neque scribarum, sed in publicis bancis deponerentur, ad finem liberandi cui de iure eum consensu curatorum, et decreto iudicis, auditis interesse habentibus (*).

IX. Maritus autem exercere non probibetur ius presentandi aduexum feudo, feudove dotali, uxore etiam dissentiente: quia effectivum dominium dotis inaestimatae *legum subtilitate* ad virum pervenit, iuxta phrasim Iustiniani (3): et tamquam dominus fructus dotales pleno iure lucratur, et facit suos, quum interea constante matrimonio quiescat naturale dominium uxoris (4): Quin si rerum dotalium administrationem ipsa mulier acceperit, viro ad inopiam vergente, quam sequestrationem, dotis appellant, adhuc maritus iura honorifica doti adnexa retinebit, exercebitque, quia dominium sibi iure concessum non amittit per eiusmodi sequestrationem, quod etiam notavi ibidem num. XII. Quoniam vero soluto matrimonio reviviscit naturale dominium uxoris, ad eam tunc praesentatio pertinebit una cum fructibus dotalibus. In patronatu nihilominus personali, qui ad uxorem pertineat iure sanguinis, vel iure hereditario extra dotem quaesito, uxor ipsa praesentabit. Et vir nonnisi nomine uxoris, et tamquam procurator eius ad praesentandum admittetur, dummodo uxor saltem non dissenserit. Pro rebus enim extradotalibus maritum posse nomine uxoris sine uxoris mandato etiam agere, coustitutum est (5). Si tamen vir unum, uxor alium praesentaverint, praesentatio uxoris hoc casu praevalebit.

(1) Decis. 87. — (2) *In pragm.* 88. §. 19. *de offic.* S. R. C. die 3. Aprilis 1653., et *pragm.* 25. §. 26. *de officialibus* die 30. Aprilis 1655.

(*) Iure novissimo Cod. LL. Civ. art. 730., et seq. cautum hereditatem censeri iacentem, quando elapso tempore a Lege definito ad inventarium conficiendum, et super hereditatis aditione deliberandum nullus appareat heres, qui bona defuncti revindicet, aut sit ignotus, vel si innotescat, hereditatem renunciaverit. Hinc Civile Tribunal, sub cuius potestate locum habuit defuncti successio, instantibus interesse habentibus, aut Regio Procuratore Curatorem eligit. Huic vero onus incumbit vires hereditarias in Inventario aperire, illius iura in iudicio persequi, exceptiones opponere, res fungibiles, necnon immobilia iuris ordine servato vendere: tum pecuniam, quae in defuncti patrimonio invenitur, rerumque distractarum pretium in publico Aerario deponere: tandem ad edendas rationes, praestandumque id quod interest illum obligari nemo unus ignorat. Itaque Legis dispositiones, quae heredem respiciunt tum in Inventarii confectione, tum in hereditatis administratione, atque in rationibus reddendis Curatorem quoque complecti expresse fuit sancitum.

(3) In L. *in his rebus dotalibus* 30. C. *de iure dotium* — (4) Arg. I. *doce ancillam* 9. C. *de rei vindicat:* le Roy *de iurep.* cap. 12. — (5) In L. *maritus* 21. C. *de procuratoribus.*

X. An usufructuarius fundi, hereditatis, vel universitatis, cui adnexum sit iuspatronatus, iura patroni exercere valeat, dubitarunt Doctores. Affirmativa tamen sententia, tamquam probabilior recepta est. *Quia appellatione domini fructuarius quoque continetur*, inquam cum Ulpiano (1). Atque ad edictum de possessionibus dandis Tullius *in orat.* pro Quinctio loquens fructuario, *dominum* (ait) detrudere non placet. Plane fructuarius non nudam fructuum perceptionem, et fundi possessionem habet, sed etiam dominium (2), ubi Ulpianus monuit habendam esse rationem domini, si propter novum opus intereat ususfructus. Et Paulo docente, ususfructus in multis casibus pars dominii est (3). Tametsi ab eodem Iureconsulto *ususfructus non dominii pars, sed servitutis esse dicitur* (4), ad probandum scilicet proprietatis dominium non deminui, neque disciudi usufructu; fundumque recte dici totum esse proprietarii, etiam cum ususfructus alienus est. Seu, ut planius explicat Papinianus (5): *Etsi ususfructus* in iure, non in parte *consistit*, *emolumentum tamen rei continet*. Perinde enim fructus omnes, et emolumenta universa rei alienae fructuarius *iure* percipit, ac dominus naturaliter in re sua. Praeter quam quod fructuarius *omnem rei curam suscipit*, ut docet Ulpianus (6). Puta tamquam procurator in rem suam a domino constitutus: nam eodem Iurisconsulto docente: *usufructuarius opus novum nunciare, aut usumfructum vindicare suo nomine non potest*, *sed* procuratorio *nomine potest* (7). Unde consequitur fructuarium universalem feudi, et hereditatis, excluso proprietario, praesentandi ius exercere sine iure condominii, saltem procuratorio nomine (8). Huic sententiae refragatur Ioannes de Imola, quem sequitur Renatus Choppinus (9), hac ratione ductus, quod quaecumque *non renascuntur singulis annis*, *minime habentur in fructu*, *nec quasi fructus fundum augent*. Rochus de Curte (10) questionem hanc maturiori examine expendendam reliquit ob varias Doctorum opiniones. Et Vivianus (11) monet ad lites tollendas proprietarium simul, et ususfructuarium concordi animo praesentare debere, quum eos putet esse quasi socios (12). At ratio Choppini maxime urgere videtur. Nam praesentandi ius non datur fructuario ob fructuum emolumenta ei debita, neque ob utilitatem temporalem, sed propter quasi dominium, aut procuratorium nomen, quo iura omnia dominica is exercet in re aliena. Consilium vero Viviani aequum est, sed iura fructuario faventia, quae ipsemet ante allegaverat, non destruit in casu discordiae.

XI. Ex hactenus dictis intelligere licet, cur ad uxorem a marito re-

(1) In L. *in venditionem* 8. D. *de rebus auctor. iudic. possid.*
(2) L. *semper* 15. §. 8. D. *quod vi*, *aut clam.* — (3) L. 4. D. *de usufructu.* — (4) *In L. recte dicimus* 25. *D. de verbor. signifi.* — (5) *In l. Maevius 66. §. 6. D. de leg. 2.* — (6) *In l. 1. in fin. D. usufructuarius quemadmodum caveat.* — (7) *L. 1. §. ult. D. de novi operis nunciat. Cuiac. lib. 1. observat. cap.* 9. — (8) Vivian. *lib. 4. cap. 7. num. 9., et seqq.*, et dixi supra *in cap. X. num. XXXI.*—(9) *Lib. 3. de dominio Gallico tit. 19.*
(10) *De iurep. ver. ille, vel is,* quem laudat Wan-Espen. *loc. cit. num.* 13.
(11) *Loc. cit. num. ult.* — (12) *Ex l. 4. D. de usufructu.*

lictam usufructuariam omnium bonorum, magis quam ad heredem proprietarium pertinere facultatem praesentandi in patronatu hereditario defuncti, concluserit cum Lambertino (1). Fagnanus (2), et definiverit Rota (3).

XII. Quemadmodum ad patrem usufructuarium peculii adventitii filiorum suorum, non ad filios, ubi bonis adventitiis adnexum sit iuspatronatus, spectare praesentationem, censuit eadem Rota (4). Aliter tamen se res habet in patronatu personali, quem filius familias ex titulo donationis, vel successionis, vel aliunde quaesiverit, velut adventitium. Pater enim familias in administrandis rebus filiorum suorum spiritualibus, vel spiritualibus adnexis, aut gerendis caussis easdem tangentibus se intromittere non potest; sed ipsimet filii puberes absque adsensu paterno agunt in beneficialibus, aliisque id genus ecclesiasticis negotiis, ex textu Bonifacii VIII (5).

XIII. Sequester patrimonii, hereditatis, feudi, in quo existat patronatus *realis*, eodem iure administrationis praesentare potest (6). Secus in patronatu *personali*, et minime adnexo bonis apud sequestrem depositi.

XIV. Concessionarius perpetuus, eoque magis emphyteuta iure utilis domini praesentationem facit ad Ecclesiam adnexam villae conductae, vel in emphyteusim acceptae. Quod plane rescripsit Alexander III. (7), ubi ratam habuit praesentationem factam a milite, qui *ad firmam tenebat* a Monasterio de Vinton. villam, in qua Ecclesia de iurepatronatus sita erat, reiecta praesentatione, quam Abbatissa dicti monasterii fecerat. Quoniam *Abbates laicis praedia sua dabant ad firmam, ad longum tempus, ad vitam, ad centum annos, ut ita eorum favorem, gratiam, et patrocinium emendicarent* (8). *Et ipse dixi* (9), ubi de precariis, seu praestariis concessionibus, et feudis presbyteralibus, ex quibus tam laici peregrini, vel pauperes, quam clerici pro pensionibus debitis acciperent necessaria ad victum, ac vestitum. In hoc textu Doctores interpretantur idem esse concedere *ad firmam*, quod ad annuum censum, vel ad longum etiam tempus, aut in perpetuum locare (10). Unde licet intelligere dominium utile transferri ad eum, qui contractu emphyteutico, vel censuali, vel longae locationis feudum aliquod ad firmam possideat, uti cum Fagnano, et Francisco le Roy

(1) *Part. 2. lib. 1. qu. 10. art. 3.*

(2) *In dict. cap. ex literis de iurep. num.* 57. — (3) Coram Mantica *dec.* 140. — (4) Coram Lancellotto in Florentina de Ricasolis 10. Martii 1603., Garz. *de benefic. par. 5. cap.* 9. *num.* 205., et Vivian. *lib.* 5. *cap. 3. num.* 14. — (5) In *dict. cap. si annum quatuordecimum 3., et ult. de iudic. in* VI. — (6) Innocentius, et Felinus *in cap. examinata de iudiciis*, Petr. de Ancharano in *clem. un. sequestrat. poss., et fruct.* Vivian. *par.* 1. *lib. 4. cap. 7. num. 2.*

(7) *In cap. ex literis 7. de iurepatronatus.* — (8) Franc. le Roy. *in dict. cap. 7.* — (9) *In tract. de beneficiis cap. 1. num. 21., et cap.* 9. *num. 9, et* 10. — (10) Fagnan. *in dict. cap. ex litteris num 12., et 13.*, et Gonzalez *ibidem*, du Cange *in glossario ver. firma.*

advertit Wan-Espenius (1). Iure merito igitur qui a Regia Camera Summariae feuda sequestrata, vel confiscata conducunt, passim admittuntur ad nominandum, et praesentandum beneficiarios in Ecclesiis de iurepatronatu feudali adnexo talibus feudis. His enim casibus praesentandi ius pertinet ad conductorem, non ad locatorem, tametsi locatoris, non conductoris sit reapse patronatus.

XV. Secus dicendum, si aliter cautum sit in contractu locationis: potest enim dominus in concessione ad firmam, vel emphyteusim sibi reservare patronatus exercitium, ex illis verbis *cit. cap. ex literis: non excepto iurepatronatus* (2).

XVI. Pariter locato feudo ad modicum tempus conductor praesentare nequit, in quem nec dominium utile, nec possessio civilis, sed nuda rei detentio transfertur cum iure percipiendi fructus (3). Patronatus autem feudalis non adquiritur, nisi feudum titulo emptionis, aliovo legitimo adquiratur, ut indicant illa verba textus (4). *Cum ratione feudorum emptorum, aliterve adquisitorum iuspatronatus in Ecclesiis Parochialibus adquisiveritis.*

XVII Nec etiam creditorem, qui iure pignoris, vel hypothecae feudum detineat, praesentare posse in patronatu feudali, definivit Innocentius III. (5): dum adiudicavit Ecclesiam ei, quem Bertoldus miles dominus Curiae praesentaverat, posthabito illo, quem miles pignoratarius eiusdem Curiae denominaverat. Quoniam nullum ius dominii neque utilis, neque directi creditor in oppignorata re obtinet: nec fructus pignoris facit suos, quos si perceperit, cogitur aut restituere debitori oppignoranti, aut in sortem computare (6).

XVIII. De monachis, et regularibus praesentantibus cum consensu Superioris in patronatu gentilitio, et familiari dixi *cap.* XI. *num.* XXIII, in patronatu hereditario monasterium ex persona professi dixi *cap.* X. *num.* XL. Scilicet Abbatem, seu Superiorem cum consensu Capituli, nisi aliter consuetudine, statuto inductum sit (7).

XIX. Explicitis iis, quibus praesentare licet iure tam suo, quam alieno, pro coronide nunc vel obiter commemorandi sunt, qui a praesentando penitus arcentur in poenam criminis, tametsi pertinentia, et quasi possessio patronatus eorundem sit. Videlicet excommunicati, haeretici, schismatici, eorumque fautores, apostatae, simoniaci, aliisque enormibus criminibus obnoxii, de quibus fuse *in cap. ult.* huiusce tractatus.

(1) *Par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 4. *num.* 8. — (2) Fagnan. *ibid. num.* 17.

(3) *L. si ut certum* §. *ex contrario D. de adquir. possess.* Fagnan. *loc. cit. num.* 13., *et* 14. Abb. *in cap. ex literis de iurep. num.* 5.

(4) *In cap. cum saeculum de iurepatron.* — (5) *In cap. cum Bertoldus* 18. *de senten., et re iudicata.* — (6) *Cap. cum contra* 6. *de pignoribus*, cui consonant *l.* 1., *et* 2. *Cod. de pignorat. act.* Fagnan. *loc. cit. num.* 16. Aloys. Ricc. *decis.* 11. *num.* 4. — (7) *Cap. novit., cap. ea noscitur, cap. quanto de his, quae fiunt a Praelat. sine cons. Capit.* Lambert. *lib.* 2. *par.* 1. *qu.* 2. *art.* 12. Vivianus *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 27.

CAP. XIX.

DE QUASI POSSESSIONE PRAESENTANDI.

I. Ius patronatus quasi possidetur, quia incorporeum.
II. Quasi possessio causatur praesumptionem tituli, et manutentionem.
III. Praesentatus a quasi possessione institutionem obtinet irrevocabiliter, evictoque patronatu non removetur.
IV. Quia fructus consumptos non restituit possessor bonae fidei.
V. Et praesentatus a quasi possessore institui debet, lite etiam pendente super patronatus pertinentia.
VI. Si nullo vitio laboret quasi possessio, omnibusque requisitis praedita sit.
VII. Quae sunt bona fides.
VIII. Titulus coloratus, seu fama tituli.
IX. Scientia, et patientia veri patroni, et Ordinarii in primo saltem actu possidendi.
X. Ultimus status.
XI. Unica ultimi status praesentatio effectum sortita, rite causatur manutentionem.
XII. Pariter actus praesentationi aequipollens, puta consensus institutioni, oppositio passive vocati, derogatio apostolica medietati vocum.
XIII. Clausula tamen in ultimo statu adposita sine praeiudicio interesse habentium, vel salvis iuribus, etc. enervat possessionem.
XIV. Quemadmodum transactio inter praesentantes inita in ultimo statu vel neutri, vel utrique suffragatur.
XV. Alternis a vicibus si praesentationes faciendae sint, turnarius, qui in ultimo statu solum praesentavit, in proximo sequenti non praesentabit.
XVI. Nisi alter turnarius praesentare neglexerit.
XVII. Unius compatroni praesentatio quasi possessionem aliis compatronis contribuit, et conservat.
XVIII. Tam ignorantibus, quam scientibus vacationem.
XIX. Nisi a diverso stipite, vel iure alii praesentare negligentes patronatum agnoverint.
XX. Vel nisi unus privative quoad alios praesentare declaraverit.
XXI. Vel nisi alii negligentes habuerint animum non conservandi ius suum.
XXII. Vel nisi a praesentando reiecti sint.

XXIII. Unus patronorum pro aliis absentibus, vel negligentibus sine mandato praesentans maxime conservat omnibus quasi possessionem, secus extraneus sine mandato.

XXIV. Defuncti possessio corporalium ad heredes non transit, secus incorporalium.

XXV. Quasi possessio praesentandi ad heredes, et successores transit quoad effectum iuris.

XXVI. Praesertim patris ad filium.

XXVII. Ad eum, qui per actum inter vivos succedit, etiam transit quasi possessio.

XXVIII. Puta ad donatarium vigore clausulae constituti, et precarii.

XXIX. Quae in testamentis etiam propterea usurpatur.

XXX. Pariter ad successorem dignitatis, vel officii praeditum qualitatibus requisitis.

XXXI. Ad successores quoque, et sanguinis, et familiae patronatus gentilitius, et familiaris.

XXXII. Dummodo agatur de personis unius, eiusdemque lineae: secus diversarum linearum.

XXXIII. Praesentans nihilominus quasi possessor non obtinet manutentionem, nisi in termino ordinario probaverit tam possessionem, quam titulum saltem praesumpticum.

XXXIV. Iudicium super institutione est ordinarium, quidquid aliter disposuerit Clementina dispendiosam *de iudiciis.*

XXXV. Quoniam in eo petitorium cum possessorio cumulatur ex Tridentina constitutione.

XXXVI. Licet possessorium a petitorio fere separetur in ceteris caussis.

XXXVII. Et petitorium adeo hac in re absorbet possessorium, ut patroni praesentatio praeferatur praesentationi quasi possessoris.

XXXVIII. Dummodo petitorium sit clarum, et in continenti probatum, scilicet ante institutionem.

XXXIX. Dum scilicet de petitorio constiterit per confessionem adversarii, vel fundationis instrumentum, vel rem iudicatam, vel aequipollentem probationem.

XL. Si vero petitorium illiquidum fuerit, possessoris praesentatio tunc praevalebit.

XLI. Lite inter praesentantes laicos ultra quatuor menses dilata Episcopus conferre Ecclesia Iure communi deberet.

XLII. Ex consuetudine tenetur litis exitum expectare, intereaque fructus Ecclesiae vacantis per Subcollectorem Apostolicum exiguntur.

XLIII. Praesertim ubi turbida sit quasi possessio praesentantis.
XLIV. Deficiente fundationis instrumento observantia patronorum tam ad praesentandum, quam ad qualitatem patronatus discernendam attenditur.
XLV. Observantia vel interpretativa, vel praescriptiva est.
XLVI. Interpretativa maiorem vim habet, si proxima fundationi, quam si remota fuerit.
XLVII. Praescriptiva nisi requisitis legitimae praescriptionis praedita sit, minime attenditur.
XLVIII. Contra claram fundatoris voluntatem nulla attenditur observantia.
XLIX. Hinc in patronatu gentilitio, et familiari praescriptio centenaria successoribus non officit.

I. Possideri possunt quae sunt corporalia inquit Paulus (1), *nec possideri intelligitur ius incorporale*, ut idem Iurisconsultus tradit (2): quum dari nequeat possessio naturalis, ac de facto, cuius etymologiam Doctores a pedum positione deducunt. Incorporalia nihilominus quasi possidentur (*); quamobrem iuspatronatus si possidetur quia incorporeum, et quasi possessio praesentandi rectius, quam possessio dicitur. Quae maximi momenti est in caussis beneficialibus quoad institutionem praesentatorum, et probationem in iudicio institutionis.

II. Longaeva quasi possessio sane inducit *praesumptionem tituli* fundationis, vel dotationis modo vehementiorem, modo leviorem pro diuturnitate, vel brevitate durationis, ut supra exposui *cap.* VII. Et quoniam praesumptio vicem probationis explet in iudicio, pertinentiam patronatus adeo probat quasi possessio legitima, ut onus probandi transferat in adversarium, et successor quasi possessoris ubi praesentaverit, minime teneatur ostendere descendentiam suam a fundatore, sed fere sufficiat eam deducere a defuncto novissimo, qui fuit in quasi possessione praesentandi, ut praesentatio ipsius admittatur, effectumque institutionis consequatur (3). Porro manutentionem in praesentando caussatur quasi possessio.

III. Quandoquidem praesentatio bonae fidei possessoris usque valet, ut praesentatus institutionem canonicam fere debeat obtinere, atque institutus vi talis praesentationis nullo umquam tempore possit a benefi-

(1) *In l. possideri 3. D. de adquir., vel omitt. possess.* — (2) *In l. sequitur 4. §. si viam 27. D. de usurpat., et usucap.* — (*) Stoici particulam *quasi* adhibebant quoties aliquid non proprie, sed quadam proportione ita dicendum existimabant. Illorum vestigia sequuti fuere Iureconsulti. Hinc non tantum contractus, delicta, possessiones, traditiones, et cet., sed *quasi contractus, quasi delicta, quasi possessiones, quasi traditiones* in Iure statuere opinati sunt.

(3) Rota post Vivian. *decis. ult. num. 9.*, et Doctores passim *in cap. consultationibus de iurep.*

ciò removeri etiam evicto patronatu, et coostito patronatum revera non pertinuisse ad praesentantem quasi possessorem ex celeberrima decretali Alexandri III. ad Abbatem S. Alberti (1). *Si enim quis clericus (rescripsit Alexander) ab Ordinario iudice in Ecclesia fuerit institutus ad praesentationem illius, qui eiusdem Ecclesiae credebatur esse patronus, et postea iuspatronatus alius evicerit in iudicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore praesentationis suae ille, qui eum praesentavit, iuspatronatus Ecclesiae possidebat: quum ex hoc ei, qui de iure debet habere, nullum in posterum praeiudicium generetur. Si vera non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus, quum non esset, poterit ab eadem Ecclesia removeri.* Concordi sententia Inoocentius III. (2) praesbyterum in Ecclesia Sancti Salvatoris institutum absolvit ab impeditione Oeconomi sanctae Agathae, cum sibi constiterit, *quod populus in quasi possessione praesentandi existebat, quando ipsum presbyterum ad illam elegit, salva quaestione super iurepatronatus inter Ecclesiam sanctae Agathae, et populum saepe dictae Ecclesiae S. Salvatoris.* Similemque definitionem protulit idem Pontifex (3).

IV. Decretales istae optima innituotur Iurisprudentia, propterea quod bonae fidei possessor fructus coosumptos facit suos irrevocabiliter, praesertim si exinde is haud locupletior factus sit: et praesentandi ius inter eos fructus patronatus connumerantur, qui patrooum non faciunt locupletiorem (4). Confert quod Iustinianus docuit (5): *Commodum possidenti in eo est, quod etiamsi res non sit eius, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, maneat in suo loco possessor.* Hinc effatum illud iurisconsultorum: *In pari caussa melior conditio possidentis* (6). Nec exceptiooes petitorium spectantes, quae altiorem requirunt indagioem, antequam res iodicata sit, impedire valent effectum possessionis, seu manuteotionem (7).

V. Sed instituendus est praesentatus a possessore non obstante lite super petitorio, et pertinentia, quoadusque non fuerit dirempta per tres conformes sententias, quae transiverint in rem iudicatam (8). Exinde quasi possessor manutentionem in praesentaodo regulariter obtinet contra petitorem pertioentiae patrooatus, qualeous praesentatus a bonae fidei possessore omoino debeat institui, et praeferri praesentato per proprietarium ooo possidentem.

VI. Plura tamen requiruntur ut quasi possessio praesentandi suffragetur ad obtiueodam praesentati institutionem: quum nullo vitio laborare debeat.

VII. In primis videlicet booa fides. Naio possessoris malae fidei nulla est praeseotatio (9).

(1) *In cap. consultationibus* 19. *de iurepatr.* — (2) *In cap. querelam* 24. *de elec.* — (3) *In cap. cum olim* 7. *de caussa possess.*, *et propriet.*
(4) Wan-Espen *part.* 2. *tit.* 25. *de iurepatronatus cap.* 4. *n.* 14.
(5) §. 4. *de interdict.* — (6) Cap. LXV. *de reg. Iur.* in VI. — (7) Piton. *alleg.* 94. *num.* 20. — (8) Rota post *alleg.* 40. Piton. *num.* 55. — (9) Ex allegatis per Pitonium *alleg.* 3. *num.* 16., et supra traditis in hoc tractatu *cap.* VII. *num.* 4.

VIII. Secundo, titulus coloratus, seu fama tituli, et credulitas hominum de pertinentia patronatus ad quasi possessorem, de quo inferius dicetur *num.* XXXIII; ut enim recte docuit Fagnanus (1), ius praesentandi deferunt quasi possessio, et fama tituli, seu communis credulitas: utque praesentatio valeat, suumque sortiatur effectum, non requiritur omnino, ut praesentatus sit revera patronus, sed sufficit si tempore praesentationis bona fide quasi possideat ius praesentandi. Quoniam vero possessio induit naturam tituli, unde promanat; si appareat umquam origo mala, et vitiosus possidendi titulus, tunc praesumptio boni tituli cedit veritati, et possessio non attenditur (2).

IX. Tertio, scientia, et patientia tam veri patroni, quam ordinarii collatoris, quorum interest hinc pertinentia patronatus, hinc beneficii libertas. Porro in rebus incorporalibus, in quibus pedum positio, et naturalis detentio dari nequit, adversarii scientia, et patientia tenet locum possessionis naturalis, titulumque putativum supplet (3). Receptumque est, ut patronus admittens extraneum ad praesentandum constituat illum in quasi possessione: videtur enim per implicitam praesumptamque donationem ei patronatum participare (tametsi patronum eumdem non efficiat), dummodo ordinarius consenserit, vel saltem non dissenserit (4). Verum ad continuandam possessionem legitime semel incoeptam talis scientia, et patientia interesse habentium necessaria non est, secus in primo actu possessionem inchoante (5).

X. Quarto, ultimus status: nimirum quod praesentaverit quasi possessor ultimos, et immediatos beneficiarios, et Capellanos, vel saltem vocem praesentandi pacifice dederit in ultimis Ecclesiae, et beneficii provisionibus (6): quo in textu Innocentius III. probavit quasi possessionem clericorum, quos constitit *electionibus trium Episcoporum (qui Ecclesiae Sutrinae ultimo, et immediate praefuerant) cum Canonicis Cathedralis Ecclesiae adfuisse, vocemque habuisse cum aliis eligendi.* Et protritum illud axioma Pragmaticorum hinc invaluit, in caussis beneficialibus ultimum statum maxime attendi, et praevalere. Si autem in actis ultimi status appareat enunciatio tituli, et eadem acta reproducantur, ad ostendendam quasi possessionem, non ad ostendendum titulum reproducta censuit Pitonius (7).

XI. Quae suum sortita sit effectum praesentatio in ultimo statu cum subsecuta praesentati institutione, licet unica, procul dubio quasi possessionem causatur, et conservat (8), quae opportune notat ex unico actu cum temporis longaevi cursu praescriptionem adquiri, eoque ma-

(1) *In cap. consultat. n. 1., et 3. de iurep.*

(2) Ex supradictis *cap.* VII. *num.* XVIII, quo spectant scripta per Piton. *alleg.* 63. *num.* 9., et 10. — (3) Rot. *dec.* 225. *n.* 3. *par.* 5. *rec.* — (4) Card. de Luca *discurs.* 63. *de iurepatr. num.* 2., *et seq.* — (5) Rota coram Emerix iun. *decis.* 764. *num.* 5, Card. de Luca *de iurisdict. decis.* 19. *num.* 9. Piton. *alleg.* 91. *num.* 57. — (6) *Cap. cum Ecclesia Sutrina 3. de caus. poss. et propriet.* — (7) *Alleg.* 59. *num.* 28 — (8) Fagn. *in cap. consultat. de iurepatr. num.* 17, Vivianus *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29, Piton. *alleg.* 100. *num.* 57., et Glos. *in cap. cum Eccles. Sutrin. de caus. posses. ver. Tertio.*

gis quasi possessionem praesentandi. Attamen Cardinalis de Luca (1) rectius docet a circumstantis facti pendere, num sufficiat unica praesentatio ultimi status pro manutentione obtinenda in sequenti vacatione: videlicet expendendum esse, an cetera omnia concurrant requisita, quae ostendunt famam tituli, et iustitiam possessionis legitimae.

XII. Quinimmo nedum praesentatio ad effectum institutionis canonice deducta, sed actus etiam aequipollentes praesentationi ad id sufficiunt: puta consensus resignationi Ecclesiae ad favorem certae personae in manibus Summi Pontificis, aut institutioni, et collationi antecedenter factae, vel permutationi beneficiorum, ceterisque beneficiorum provisionibus praestitus (2). Itidem oppositio passive vocati habetur pro praesentatione a Pitonio (3). Et insuper praesentatio simpliciter admissa per Ordinarium sine effectu institutionis valet, quoties praesentatus minori parte votorum suffultus succubuerit in iudicio institutionis compraesentato a maiori compatronorum numero, et suffragio: dummodo talis praesentatio fuerit pacifica, nec reiecta sit ex iuribus patroni (puta ob agnitum defectum iuris praesentandi, et contradictionem legitimam), quia continuatio possessionis in solo animo consistit, qui bene declaratur solo praesentationis actu etiam effectum non sortito (4). Idemque dicendum de Ordinarii gratificatione erga alterutrum ex praesentatis aequalia merita, et vota habentibus: necnon de Apostolica derogatione medietati patronorum, qui voces suas aequaliter in duas partes diviserint. Procul enim dubio conservatur quasi possessio praesentandi per derogationem pontificiam medietati patronorum indultam, tametsi praesentatio medietatis derogatae in ultimo statu non sortiatur effectum (5).

XIII. Salutares tamen clausulae, quae in ultimo statu adiectae sint ob dubiam praesentandi facultatem, et legitime controversam, solent vim possessionis aliquantulum enervare. Cuiusmodi sunt, *sine praeiudicio interesse habentium, vel salvis iuribus*, et ceterae. Praeterea si institutio ultimi status facta sit post motam super pertinentia litem, attendendus tunc non erit ultimus huiusmodi status. (6).

XIV. Eodemque iure ultimus status concordia partium collitigantium transactus, vel neutri, vel utrique suffragatur ad probandam quasi possessionem praeseutandi (7).

XV. At ubi constituta sit inter compatronos *alternativa*, conventio nimirum praesentandi alternis vicibus, unus eorum solus in una vacatione alter in altera sequenti, et sic deinceps, tunc utique compatronus, qui ultimum praesentaverit beneficiatum, non habebit manutentionem ad praesentandum in sequenti vacatione immediata, sed alter turnarius (8). Quoties vero turnarii omnes in ultimo statu ad

(1) *Discurs 64. de iurepatr. num. 25.* — (2) Piton. *alleg. 39. num. 11.*
(3) *Alleg. 52, num. 37.* — (4) Rota coram Bichio *decis. 382. num.* 25.
(5) Piton *alleg. 20. num.* 8.
(6) Postius *in tractatu de manutentione.*—(7) Rot. *decis. 301. par. 2. divers. in fine, decis. 615. n. 11., et 12., par. 19. recent. tom. 2.,* Vivian. *lib. 5. cap. 4. num. 54.*—(8) Piton. *alleg. 71. de controv. patronor. num. 13.,*

*

unam, eamdemque personam insimul praesentandam coiverint, nemini ea praesentatio computabitur: non consumitur enim turnus; nisi solus praesentet turnarius in vice ad ipsum spectante: ideoque in futura vacatione solus praesentabit, qui debebat in praecedenti proxima presentare, propterea quod turnus non fuit consumptus ob simultaneam omnium compraesentationem, sed suspensus, atque in eo statu praeservatus turnario, in quo esset, si vacatio praecedens non contigisset (1).

XVI. Turnario infra legitima tempora negligente praesentationem vicis suae, vel eo absente, ad alterum compatronum bene transferri ius praesentandi, quod eorum singuli in solidum habent, censuit Rota (2): ne individua, et communia laedantur iura societatis, quae inter omnes viget compatronos, et minime dissolvitur alternatione praesentandi conventa. Quilibet enim turnariorum non singulari quidem, sed communi omnium compatronorum nomine praesentat, et unus in turno suo praesentans aliorum non praesentantium quasi possessionem conservat (3). Laudata Bichii decisio non arridet eidem Pitonio, qui verius opinatur (4) ad Ordinarium collatorem turnario praesentare omittente devolvi provisionem liberam beneficii, his innixus rationibus. I., quia putat ius accrescendi inter turnarios sublatum in exercitio patronatus dividuo, sed permanere in proprietate individua. II, quia credit compatronum supplendo negligentiam turnarii non consumere turnum suum, et iterum in sequenti proxima vacatione pro vice sua praesentare debere: quod conventioni turnariae adversatur. Praetereaque animadvertit Bichianam decisionem fuisse obsequutam legi speciali fundationis, quae caverat in omnibus vacationibus patronos Ecclesiae provisuros de beneficiario. Tandem consilium dat adponendi pactum expressum in alternativae concordia, quod altero negligente alter in vice etiam non sua posset praesentare. At auctoritatem rotalis decisionis haud enervare mihi videntur rationes Pitonianae. Prima enim ratio de iure accrescendi sublato per alternativae conventionem, quam Pitonius adducit contra Rotam aliter e diametro sentientem, devolutioni ad Episcopum favere nequit: quoniam accrescendi ius turnaria divisione sublatum hoc pacto intelligitur inter ipsos vicissim compatronos, quatenus turnarius praesentans aliorum compatronorum excludat voces: secus turnario negligente, vel deficiente, quo casu non praesumuntur compatroni de alternativa paciscentes voluisse potius ad Episcopum, quam ad semetipsos transferre provisionem. Ratio altera minus urget; nam longe abest absurdum, quod Pitonius timet, de praesentatione iterata ab uno, eodemque compatrono in duabus continuatis vicibus. Si enim compatroni cum turnario praesentautes efficiunt, ut eiusmodi

et 14., Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glos. 45. §. 3. num.* 2., Rota coram Othobono *decis. 107. num.* 2.—(1) Tondutus *quaest. benefic. par.* 2. *cap. 3. §. 8. num. 37.*, Piton. *discept. ecclesiast.* 53. *num.* 20. *tom.* 1., et *dict. alleg. 71. num.* 2., et 4. *tom.* 2. — (2) Coram Bichio *dec. 106. num. 10.*, *et 11.*—(3) Card. de Luca *discurs. 65. de iurepatr. num.* 34., Piton. *de controv. patr. alleg. 90. num.* 30., *et 34.* — (4) Alleg. 74. n. 8.

praesentatio simultanea eam turni vicem non consumat, et nemini computetur, ex supra dictis *num.* XV; cur idem efficere non poterit ea praesentatio, quam compatronus vicem turnari negligentis, vel absentis supplendo faciat? Porro subsidiaria, seu extraordinaria provisio extra legem turni non computatur ad explendam vicem alternam, quae reintegrabitur in proxima vacatione, ex traditis ab eodem Pitonio *alleg.* 90. *num.* III, cum Gonzalez, et Garzia, ubi tenet, si Capitulum sede vacante contulerit beneficium, quod Episcopus vi turni conferre debuisset, neutri neque Episcopo, neo Capitulo turnum consumptum haberi, atque in subsequenti proinde vacatione collaturum Episcopum. Igitur non lex particularis fundationis Rotam cum Bichio movit ad iudicandum pro compatrono, qui suppleverat vicem turnarii negligentis reiecta extranei praesentatione, et devolutione ad Ordinarium: sed ius individuum, et solidum patronatus, quod viget, vel saltem reviviscit, dum extra legem turni facienda est provisio. Verum enimvero praesentationem compatroni in alieno turno factam vim tunc habere aio, quum ea expleta sit intra quadrimestre, vel semestre, quo tempore transacto, liberam beneficii provisionem devolvi ad Superiorem ecclesiasticum, et consumptum haberi turnum negligentis patroni. Quod senserunt in casu turni inter Episcopum, et Capitulum constituti (1).

XVII. Quoniam igitur in praesentando compatroni utuntur iure societatis, atque ut consocii habentur in re communi, merito factum est, ut unius compatroni praesentatio quasi possessionem adquirat, etiam contribuat, conservetque aliis compatronis ius suum eodem ex fundatore, vel stipite, vel fonte agnoscentibus (2). Et bene censuit Federicus de Senis (3), possessionem a fratre pubere praesentante speciatim conservari aliis fratribus tam impuberibus, quam puberibus. (XVIII.) Idque nedum vigebit, si compatroni scientes praesentationem a collegis factam non dissenserit, quia tunc iure praesumuntur, et ipsi praesentationem facere *tacitam*, quam alii *negativam* quoque vocant (4). Sed etiam si vacationem beneficii, et praesentationem consocii ignoraverint; quibus iura maxime subveniunt. Eos porro ignorantia facti excusat (5). Quinimmo negligentia praesentandi potius ignoratae vacationi, quam animo amittendi patronatus in dubio tribuitur (6).

XIX. Limitatur ibidem haec regula multifariam a Doctoribus. Et primo, si diverso iure plures sibi facultatem praesentandi contendant, et patronatum alii ex alio stipite, diversoque iure quaesitum agnoscant, possessio tunc unius non suffragabitur aliis. Cessat enim eo casu ratio communionis, et societatis.

XX. Secundo. Si praesentans declaraverit semetipsum presentare

(1) Rota *decis.* 162. *num.* 39. *par.* 12. *recent.* Gonzal. *ad regul.* 8. *Glos.* 45. §. 3. *num.* 16, et Garzia *par.* 10. *cap.* 3. *num.* 35. — (2) Fagnan. *in cap. cum propter num.* 59, *et* 73. *de iurepatr.* — (3) Cons. 102. — (4) Carol. Maranta *respons.* 43. *num.* 30. *part.* 3., Rota *decis.* 10. *num.* 6. *par.* 11. *recent.* — (5) *Cap. ignorantia* 13. *de reg. Iur. in* VI. — (6) Rota *in Sorana iurispatr. post alleg.* 100. Piton. *num.* 587.

privative quoad alios quoslibet suo plenario iure: talemque declarationem iteraverit, non conservabit utique, sed contra destruet aliorum possessionem (1).

XXI. Tertio. Vicissim ubi negligentes praesentare ostenderint quoquo modo habuisse animum non conservandi, nec retinendi sibi patronatum, suo tunc iure decidunt, et quasi possessione consociorum sese amplius adiuvare nequibunt. Quam rationem spectavit Vivianus (2), dum adfirmavit quasi possessionem praesentandi amitti, quoties compatroni vacationem scientes pluries neglexerint praesentare, tametsi unus consummaverit praesentationes. Eademque ratione qui numquam fuerit in possessione praesentandi, eis nec etiam praeservari a compatronis praesentantibus possessionem, definivit Rota coram Ludovisio (qui fuit Gregorius XV.) (3).

XXII. Quarto denique, dum constiterit aliquos praesentare voluisse, et reiectos a praesentando fuisse, illis quidem non prodesse poterit quasi possessio praesentantium (4).

XXIII. Ex antedicta regula consequitur aliquem patronorum pro collegis absentibus, vel negligentibus sine mandato recte praesentare, eiusque praesentationem illis, praesertim si sanguine coniuncti sint, suffragari ad quasi possessionem retinendam, si eamdem praesentationem Ordinarius admiserit, sive ratam postea vel tacite, vel expresse habuerint compatroni. Quam vero extraneus sine mandato egerit praesentationem nomine patroni, vel factam a compatrono compatronus ratam non habere declaraverit, vel Ordinarius non admiserit, ea nil proderit (5).

XXIV. Ad heredes, et successores an hacc quasi possessio una cum omnibus effectibus suis transeat, mox operae pretium est inquiramus. *Cum heredes instituti sumus, adita hereditate, omnia quidem iura ad nos transeunt: possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet*, scripsit Iavolenus (6). Cui consonat Paulus (7) inquiens, *quod heres meus, nisi ipse nactus possessionem, non poterit possidere: retinere enim animo possessionem possumus, adipisci non possumus*. Itidem *Neratius, et Proculus solo animo non posse nos adquirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio*, tenuerunt cum Paulo (8). Non transmittitur hinc regulariter possessio corporalis in facto nudo, seu positione pedum consistens sine facto, et adprehensione heredis actuali. Secus tamen est in quasi possessione incorporalium intellectuali, et interpretativa, quam in nudo intellectu consistere scripsit Accursius ad Glossam (9). Sane cum sine

(1) Rota *par.* 10. *recent. decis.* 4. — (2) *Lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 47.

(3) *Dec.* 417. *nu.* 10. — (4) Abbas *cons.* 54. *num.* 3. *lib.* 1., Spada cons. 22. *num.* 9. *lib.* 2., Rota penes Pitonium post *alleg.* 140. *nu.* 572. — (5) Rota *decis.* 172. *num.* 4, *et* 5. *par.* 13, *et decis.* 10 *num.* 6. *par.* 11. *rec.* Lambertin. *lib.* 2. *par.* 1. *quaest.* 4. *art.* 13. *num.* 9. Rochus de Curte *ver. honorificum nu.* 26. Piton. *alleg.* 94. *num.* 21., *et seq.*

(6) *Lib.* 1. *epist. in l. cum heredes* 23. *D. de adquir. vel amittend. posses.*

(7) *In l. qui universas* 30. §. 5. *D. eod.* — (8) *In l. cum possideri* 3. §. 3. *D. eod.* — (9) *In l. in suis.* 11. *D. de lib. et posth. verb. quodammodo.*

adprehensione transmitti ad heredes, et nos mandatum manutentionis obtinere ad quasi possidendum incorporalia sine nova adprehensione, probavit Posthius (1).

XXV. Verum distinguere ad rem nostram oportet *possessionem facti* corporalem a possessione *quoad effectum iuris*. Nam etsi possessio auctoris quoad factum non transeat ad successorem absque nova adprehensione, quod tamen *ad effectum iuris* efficax, et sufficiens est ad probandam pertinentiam, et adipiscendam re cognita in iudicio possessionem: aliter sequeretur absurdum, quod heres numquam posset facto suo adprehendere possessionem rerum hereditatis ad semetipsum delatae, utpote qui prima vice adepturus possessionem, et possidendi actus inchoaturus repelleretur ob defectum possessionis suae. Hoc possessionum discrimine animadverso, optime censuit Rota heredem patroni admittendum esse ad praesentationem, et praesentatum ab eo fore instituendum, tametsi heres ipse uumquam ante praesentaverit, propterea quod quasi possessio defuncti transeat in heredem active, et passive post aditam hereditatem, captamque hereditatis possessionem (2).

XXVI. Eoque vel maxime possessio patris transfertur ad filios heredes absque nova adprehensione, ut pluribus firmavit Pitonius (3). Filios enim, vivo etiam patre, quodammodo dominos existimari, eosque post mortem patris non hereditatem percipere, sed magis liberam bonorum administrationem consequi, respondit Paulus ad Sabinum (4). His refragari videntur Merlinus (5), et Cardinalis de Luca (6), qui indistincte opinantur quasi possessionem defuncti minime suffragari posse heredi etiam filio sine adeptione positiva, quoad effectum manutentionis in praesentando. At isthaec sententia cum antedictis facile conciliabitur, si distinguatur iudicium *manutentionis*, seu *retinendae* possessionis a iudicio *adipiscendae* possessionis: porro heres non retinere antiquam, sed adipisci, et adquirere novam debet possessionem.

XXVII. Successor autem per actum inter vivos translativum dominii vivente quasi possessore propter vim clausulae *constituti*, *et precarii* adquirit procul dubio possessionem iuris, quoniam sola cessio, et clausula precarii in incorporalibus vim habet traditionis, et exploratum est possessionem viventis esse communicabilem, licet maneat corporaliter adhuc penes transferentem, quoadusque vixerit (7).

XXVIII. Quamobrem possessionem donantis suffragari donatario definit Rota (8).

XXIX. Hinc praxis manavit adponendi in testamentis, codicillis, donationibus caussa mortis, aliisque similibus dispositionibus praedictam

(1) *De manutentione observ.* 55. *num.* 34, *et* 35. — (2) *In Salernitana iuris patronatus* 11. Martii 1715. coram Falconerio, et 13. Ianuarii 1716. coram Crispó, et alibi laudata per Pitonium *discept.* 28. *num.* 8. *tom.* 1., *et alleg.* 36. *num.* 4.

(3) *Allegat.* 21. *num.* 2., *et* 27. — (4) *In l. in suis heredibus* 11. *D. de liber., et posthum.* — (5) Dec. 563 *n.* 2. — (6) *Discurs.* 63. *de jurepatr. nu.* 31.

(7) Postins *dict. observ.* 55. *in princip.* — (8) *In Florentina canonicatus* 8. Maii 1705. coram Lancetta, et 2. Iulii 1706. coram Priolo, et *in Sorana iurisp.* 22 Ianuarii 1712. post Piton. *allegat.* 100. *n.* 569.

precarii clausulam, et *constituendi* beredem, vel donatarium ex nunc pro tunc, et praeambula mortis disponentis hora in possessione bonorum sive corporalium, sive incorporalium, quae post mortem ipsius disponentis ad illum naturaliter perventura sint (1).

XXX. Itidem ad dignitatis, vel officii successorem transit ipso iure defuncti possessio tamquam adnexa dignitati, et officio semper existenti, non autem personae transitoriae (2). Dum enim successor habeat qualitates auctoris sui, puta requisitas a fundatore, utitur quasi possessione illius in praesentando: secus, si non habeat (3).

XXXI. Pro obtinenda manutentione in patronatu familiari sufficere quasi possessionem auctorum, scripsit Pitonius (4), et cum eo bis definivit Rota in Mediolanensi, et Rhegiensi per eum laudatis. (XXXII.) Quoniam in patronatu familiari universitas familiae possidere praesumitur, quae universitas singulas familiae personas complectitur. Nisi plures, ac diversae lineae inter sese contenderent tam de pertientia, quam qnasi possessione patronatus ob dubiam fortasse voluntatem fundatoris: hoc enim casu possessio unius lineae non suffragaretur alterius lineae personis, sed solum descendentibus propriis, ut ibidem distinguit rectissime Pitonius auctoritate etiam Rotae *num.* 21.

XXXIII. Nemo tamen praesentantium in praxi obtinet manutentionem, nisi ante probaverit authenticis scripturis, et iuridicis probationibus in termino ordinario in Curia Dioecesana tam quasi possessionem, quam titulum aliquem legitimum quaesiti iuris patronatus: puta ex fundatione, vel dotatione, vel ex legitima praescriptione, vel ex privilegio, quos titulos supra expendi *cap.* v. *ad* VIII. (XXXIV.) In termino inquam ordinario. Nam iudicium super institutione cuiuslibet praesentati ad beneficium ecclesiasticum non amplius summarium est, sed ordinarium. Clementina (5) olim constituerat quidem, quod *in caussis beneficialibus super electionibus, vel provisionibus*, seu *quibusvis ecclesiasticis beneficiis procedi valeat simpliciter, de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii.* Hoc est cum forma iudicii summarii. At Concilium Tridentinum (6) irritavit, abrogavitque iura omnia patronatuum ex alio titulo praetensa, quam ex fundatione, vel dotatione, vel praescriptione legitima, et vim quoquo omnem quasi possessionibus inde sequutis ademit, illis verbis: *Reliqui patronatus omnes in beneficiis tam saecularibus, quam regularibus... et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocumque iure nominandi, eligendi, praesentandi... in totum prorsus abrogata, et irrita* cum quasi possessione *inde sequuta intelligantur.* Quae sane verba synodalia ostendunt nullius quasi possessoris praesentationem admittendam, nisi postquam rite constiterit de titulo praesentandi, et

(1) Rota apud Dunozzet. *decis.* 993., De Luca *discurs.* 63. *de iurepatron. num.* 34.

(2) Rota coram Cavalerio *decis.* 655. *num.* 9., *et decis.* 35. *par.* 5. *recent.*

(3) Merlin. *dec.* 824. num. 9. Piton. *allegat.* 100. *num.* 214. —(4) *De controv. patron. allegat.* 11. *nu.* 20. — (5) *Dispendiosam de iudic.* — (6) *Sess.* XXV. *de reform. cap.* 9.

iurispatronatus pertinentia ad praesentandum. Idque pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii interpres, laudata per Fagnanum (1): atque ita servari in Archiepiscopali Curia Neapolitana testatur Aloysius Riccius (2).

XXXV. Igitur iudicium super institutione praesentati ordinarium esse debet, quemadmodum in praxi exercetur, quoniam in eo petitorium cum possessorio cumulatur, vigore constitutionis Tridentinae, quam in petitorio, aeque ac possessorio locum habere censuit praelaudata Sacra Congregatio *ibidem*. Explorari porro iuris est probationem tituli, et pertinentiae, seu proprietatis faciendam esse in iudicio ordinario. Nec locum esse constitutioni Clementinae, ubi agatur de proprietate Ecclesiae, adnotavit etiam Glossa (3). Quare Fiscus episcopalis in qualibet caussa institutionis citari, et audiri debet ad contradicendum praesentationibus, et tuendum iura libertatis Ecclesiae contra servitutem patronatus. Et saepe contingit institutionem vacantis beneficii a pluribus praesentatis eo animo contendi, ut alius alium excludere studeat, vel ratione maioris partis vocum compatronorum, vel ratione pertinentiae iuris praesentandi. Quinimmo non semel una cum praesentatis contendunt in iudicio praesentantes super pertinentia patronatus (4). Quibus in casibus iudicium procul dubio esse ordinarium, et appellabile ob clarum petitorii mixturam, terminandum per tres conformes sententias, seu per rem iudicatam, tradit Cardinalis de Luca (5). Cuiusmodi praxis, quae usu adhuc viget, consentanea etiam est decreto Concilii Viennensis (6), quo permissum in caussis beneficialibus licere nedum petitorium, sed, et possessorium intentare. Ab istoque decreto non dissonat antedictum eiusdem Concilii Viennensis decretum (7), si illa perpendantur verba: *procedi valeat simpliciter etc.*: talia sane verba non necessitatem exercendi iudicii summarii in caussis beneficialibus induxerunt, sed magis facultatem arbitrariam Tridentina constitutione ademptam, et stylo Curiarum omnino aboletam.

XXXVI. Si Ius commune spectetur, possessorium a petitorio in omnibus fere caussis debet separari. Ut enim Ulpianus tradit (8): *nihil commune habet proprietas cum possessione, et ideo non denegatur ei interdictum, uti possidetis, qui coepit rem vindicare.* Porro iudicia possessoria vindicationem dominii sui natura praecedunt (9). Et ante omnem contentionem possessio ei relinqui debet, qui ante motam super proprietate quaestionem possidebat (10). Insuper *si actor, et reus in interdicto retinendae possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maxime iustificatam, cum melio-*

(1) *In cap. consultationibus de iurepatr. num.* 10., et Rota *in Compsana iurisp.* 23. Iunii 1704. coram Lieta, et alibi. — (2) Dec. 153. n. 47. — (3) In eadem Clem. *dispendiosam rer. beneficiis.* — (4) Rota penes Vivianum *decis.* 30. *num.* 4. — (5) *Discurs.* 31. *de iurepatr. num.* 5. — (6) In Clem. *un. de caus. possess., et propriet.* — (7) In Clement. *dispendiosam.*

(8) *In l. naturaliter* 12. *§. un. D. de adquir. vel amit. posses.*

(9) *Cap. pastoralis* 5. *de caus. posses, et propr.* — (10) *Cap.* 1., *et* 10. *de rest. spoliat.*

res probationes respectu possessionis adduxit, ex decretali Innocentii III. (1). Nihilo tamen minus utrumque solet saepe cumulari, praesertim consensu partium (2).

XXXVII. Quum *super possessorio , et petitorio simul est actum, utrumque una sententia debet terminari : sed licet in pronunciatione sit possessio praemittenda, in exequutione tamen debet proprietas praevalere* , *ut* rescripsit idem Innocentius III. ad Episcopum S. Andreae (3). Meritissimo hinc iure in concursu praesentationum, quas hinc verus patronus, hinc quasi possessor fecerint, praefertur praesentatio patroni, si ante institutionem plene constiterit ad ipsum, non ad quasi possessorem pertinere ius praesentandi. (XXXVIII.) Petitorio enim absorberi possessorium ore uno fatentur pragmatici; quoties petitorium erit clarum, et probatum *in continenti* (utar concepto verbo forensium cum Card. de Luca) (4), dum scilicet ante institutionem, et re integra plene constet de proprietate, et pertinentia, uti censuit Rota post Vivianum (5). Relinquendum esse boni iudicis arbitrio tempus , intra quod fieri debeat probatio *in continenti*, scripsit Panormitanus post Innocentium (6). Addiditque (7) non requiri , quod habeat quis probationes secum in promptu , sed satis esse , quod petat dilationes congruas: dicitur enim probationem *in continenti* offerre , quum intra breve tempus easdem se offert exhibiturum.

XXXIX. Plena tamen , et clara probatio pertinentiae patronatus in continenti facta tunc dicitur , quum ea liqueat vel *per confessionem* partis , vel per *fundationis in testamentum*, vel per rem *iudicatam*, vel *per aequipollentem* probationem: quia petitorium plene probatum, et clarum absorbet , ac destruit omnino caussam possessionis, et possessor succumbens omni iure tenetur fructus, quos percepit post litem contestatam, restituere; ideoque facultatem presentandi, veluti fructum iurispatronatus, dimittere (8). Quoniam vero semel *institutus* legitime privari non potest amplius beneficio, propter hanc impossibilitatem restituendi merito debet differri institutio , ut ratiocinatur Abbas (9). Hinc Clericis, vel Capellanis existentibus in possessione eligendi Episcopum Cumanum , exorta quaestione super iure eligendi , non valuit eorum vox , quum non constitisset id eis de iure competere , vel ex consuetudine iam praescripta (10). Atque Innocentius III. nec confirmandam duxit , neque infirmandam electionem a Monachis factam , pendente controversia possessionis , et proprietatis quoad ius eligendi (11).

XL. Secus tamen, si non constiterit ex uno trium eiusmodi proba-

(1) *In cap. licet 9 de probat.*—(2) *Cap. 1. de restit. spoliat.*
(3) *In cap. cum dilectus 6. de causs. possess., et propr.*
(4) Disc. 85. de iurep. n. 4. — (5) *Decis. 42.* Alphons. de Leone *de offic. Capellani qu. 4. prax. 4.* , et alii. — (6) *In cap. veniens 37. de testibus num. 11.* — (7) *In cap. ex litteris 13. de rest. spoliator. num. 6.*
(8) Abbas *in cap. ex litteris de iurepatronatus num. 7.* — (9) *In cap. ex litteris de iurepatr. num. 8.* , et glos. *ibid. ver. vel antequam.*— (10) *Cap. Cumana 50. de elect.*— (11) *Cap. cum venissent 2. de in integr. restitut.*

tionum genere petitorium ; quia tunc praefertur quasi possidentis praesentatio, ex recepta DD. sententia (1), et proceditur ad institutionem, reservatis actori patrono iuribus in petitorio iudicio magis plenario, ne diutius differatur beneficii provisio. Nam quousque super petitorio illiquido , ac turbido accesserit res iudicata, quae possessionem destruat, et absorbeat , possessor interea maiorem habeos assistentiam iuris non debet commodo suae possessionis privari.

XLI. *Si de iurepatronatus quaestio emerserit inter aliquos, et cui competat intra quatuor menses non fuerit definitum , ordinabit Episcopus Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam*, constituit Concilium Lateranense (2), nec differat exinde Ecclesiam ipsam de persona idonea ordinare propter discordias laicorum, ex decretali Innocentii III. ad Conventren. Episcopum (3). Et Alexander III. rescripsit licere Ordinariis de persona idonea Ecclesiis illis providere , de quarum patronatu controversia fuerit inter ecclesiasticos patronos, si infra sex menses postquam vacaverint, non fuerit terminata (4).

XLII. Verum quotidiana fori experientia docet lites beneficiales super institutionibus fere protendi nimis ultra quatuor , et sex menses non tam litigantium voluntate , quam ex insolitis fori abusibus , et dilationibus , et iure , et stylo Curiarum inevitabilibus: adeout Ordinarius loci , vel Episcopus post elapsum quadrimestrem , vel semestrem lite adhuc pendente inter praesentatos, vel praesentantes nequeant sine manifesto attentatorum, atque nullitatis vitio ad institutionem, vel collationem vacantis beneficii , vel Ecclesiae devenire , sed litis exitum, remque iudicatam debet omnino expectare. Talem consuetudinem , ac praxim firmavit lex Concordatorum novissima an. 1741. (5), dum indulsit cuilibet personae etiam laicae , passivum ius habere ad vacans aliquod beneficium patronale praetendenti , facultatem petendi ab Ordinario suo *intra tempus congruum* (puta quatuor, vel sex menses) litteras testimoniales quoad scientiam, bonosque mores, et litem postea instituendi , ac prosequendi coram iudice ecclesiastico contra clericos etiam contendentes de institutione , aut collatione beneficii , ut re iudicata victor initiari possit prima clericali tonsura. Unde facile intellectu est legislatores Concordatorum praefatum *congrui temporis* spatium constituisse ad comparendum coram Ordinario, obtinendasque litteras testimoniales , non ad litem beneficialem terminandam: proindeque derogasse obsoletis iam legibus decretalium in praecedendi *num.* XLI. commemoratis. Vacantis interea beneficii fructus apud aliquam personam idoneam , seu Oeconomum sequestrantur hoc in Regno per subcollectores Camerae Apostolicae, seu Commissarios Nuntiaturae Pon-

(1) Penes Vivianum *par.* 2. *de iurepatr. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 35., *et* 57. Fargna *de iurepatr. par.* 2. *can.* 26. *cas.* 1. *num.* 52. Carolum Antonium de Luca ad Gratian. *cap.* 557. *num.* 8.

(2) *In cap. quoniam* 3. *de iurepatr.* — (3) *In cap. cum propter* 27. *eod, tit.* — (4) *Cap. cum te decet* 22. *eod. tit.* — (5) *Cap.* 4. *art.* 6.

tificiae, et colliguntur persolvenda in favorem Camerae (*). Nec loci Ordinarius litigiosum, et vacans beneficium amplius sequestrat apud aliquam personam idoneam, *quae plenam de ipso beneficio, ac debitam curam gerens id, quod de fructibus ipsius (debitis eiusdem supportatis oneribus) superesse contigerit, illi restituat, qui finalem in caussa victoriam obtinebit*, ut praescripserat Clementina (1). Sed Commissarius Apostolicus fert onus nedum exigendi fructus ad Cameram pertinentes, sed implendi etiam onera consueta, vigore novissimarum Sanctae Sedis constitutionum, quas exposui *in tract. de beneficiis cap.* XVIII.

XLIII. Dum turbida sit quasi possessio praesentandi, procul dubio differenda est institutio praesentati a patrono putativo usque ad rem iudicatam super petitorio (2). Puta ubi coram uno, eodemque iudice institutionis contra possessorem, seu putativum patronum petitor sententiam sibi favorabilem obtinuerit, quae transiverit in rem iudicatam, quamque revocari in gradu restitutionis in integrum postulaverit possessor victus: vel ubi iudicium petitorium in exitu proximae expeditionis, aut in ultima instantia reperiatur: quoniam tunc possessor in mala fide esse videtur, et aequitas iuris non fert fructum praesentationis percipere possessorem eiusmodi. Secus, si coram diversis iudicibus penderent lites super institutione, et super proprietate, aut pertinentia patronatus: vel si longior fuerit expeditio petitorii turbidi, et altioris indaginis (3).

XLIV. Fundationis littera, et voluntas fundatoris primum detegit pertinentiam patronatus, et qualitatem. Deficientibus autem fundationis tabulis, observantia compatronorum in praesentando, et patrona-

(*) Concordatorum lege an. 1818. art. XVII. nonnulla constituta fuerunt, quae ad rem spectant.

Profecto in eo cautum: I. Administrationes Dioecesanas in qualibet utriusque Siciliae Regni Dioecesi constituendas esse, suppresso iam *Monte Frumentario*, seu Regia Procuratione spoliorum, et reddituum Mensarum Episcopalium, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum.

II. Decretum: Administrationes istas duobus Canonicis constare, quos Capitulum Metropolitanae, aut Episcopalis Ecclesiae tertio quoque anno per suffragiorum pluralitatem eliget, necnon Regio Procuratore a Pientissimo Rege Nostro designando.

III. Sancitum cuiuslibet Dioecesis Administrationi Episcopum, aut eius generalem Vicarium praeesse: Sede vero vacante Vicarium Capitularem.

IV. Postremo constitutum, quod fructus, qui ex beneficiis temporo vacationis percipiendi forent, in favorem Ecclesiarum, Hospitalium, Seminariorum, aliosque pios usus erogari debeant: pars vero dimidia reddituum Mensarum Episcopalium Pastoribus eligendis servanda.

Praeterea a Supremis Concordati Executoribus fuit declaratum Dioecesanae Administrationi etiam privati patronatus fructus temporo vacationis tribuendos esse. Heic conferre iuvat quae in nostris additionibus ad Cap. 1. huiusce Commenti.

(1) *Un. de sequestr. possess., et fruct.*— (2) Rota in Mediolanens. beneficii 1. Aprilis 1707. coram Ansaldo apud Piton. *alleg.* 3. *num.* 24. *in fin.*

(3) Lambertinus *lib.* 2. *par.* 1. *quaest.* 3. *art.* 4. *num.* 3., *et* 4. Piton. *alleg.* 3. *num.* 22.

tum exercendo potissimum attendi debet, qua concludenter probari qualificatam patronatus pertinentiam, pluries definivit Rota (1). Quotiescumque igitur, neglecto herede bonorum retro praesentaverint personae alicuius gentis, vel familiae qualitatem hereditariam non habentes, vel una cum maribus foeminae unius, eiusdemque familiae: iuspatronatus ex observantia praesumitur gentilitium, et familiare, non hereditarium. Vel ubi exclusis foeminis, masculi tantum praesentaverint, putabitur agnatitium. Quemadmodum quoque arguitur esse gentilitium, si admissi ad praesentandum fuerint pater, et filius, quum filius nequeat umquam, ut heres patris viventis praesentare in patronatu hereditario (2).

XLV. Duplex autem est observantia, vel scilicet *interpretativa*, vel *praescriptiva*. Observantia *interpretativa* dicitur, quae fundatoris voluntatem ambiguam, incertamque declarat, et ostendit qualis ab initio fuerit, et utram ex duabus interpretationibus diversis in quaestione voluntatis hinc, et hinc probabili amplecti consueverint compatroni. *Quaedam porro sunt, in quibus res dubia est, sed ex post facto retroducitur, et apparet, quod actum est*, inquam cum Marciano iureconsulto (3). Et monente Callistrato, *si de interpretatione legis quaereretur, in primis inspiciendum est, quo iure Civitas retro in eiusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo* (4). (XLVI.) Istaque observantia interpretativa maiorem vim habet, si *proxima* fuerit vitae fundatoris, et aliorum, qui voluntatem fundatoris verisimiliter nosse valuerunt, quam si *remota*, et longo post intervallo introducta. Et fas iudici non erit ab legitima observantia eiusmodi recedere. Namque electio tam contra statuti tenorem, quam etiam contra consuetudinem adprobatam, quae optima est legum interpres, minus canonice attentata, merito cassari debet, ex epistola Innocentii III. (5).

XLVII. *Praescriptiva* autem observantia locum habet, ubi voluntas fundatoris prorsus deficiat. Si enim per tempus longaevum, bona semper fide, actus univocos, et multiplicatos gesserint compatroni, pertinentiam patronatus sibi quaesitam iure arguunt, et comprobant; quod supra uberius expositum *cap.* VII. *de praescriptione*. Haec tamen observantia, si requisitis legitimae praescriptionis careat, inanis erit, minimeque attendenda. In eoque isthaec differt ab interpretativa, quae conditiones ad praescribendum requisitas non exigit.

XLVIII. Consequitur ex dictis, nullius omnino momenti esse observantiam contra claram, certamque fundatoris voluntatem, quae ubi apparest, omnes actus adversantes sibi destruit, ex rationibus, et auctoritatibus supra expensis *num.* XXXVII. *ad* XXXIX. Eamque ob rem nec centenariam quoque praescriptionem, seu observantiam parentum,

(1) Penes Farinacium dec. 251. dec. 152. n. 6. par. 13. rec. Vivian. lib. 4. cap. 2. n. 51. — (2) Rota dec. 103. par. 13. rec. *cum concord.* Card. de Luca *in animadver.* ad cap. 251. Gratian. n. 8.

(3) In L. *Quaedam sunt* 15. D. *de rebus dubiis*. — (4) *L. si de interpretatione* 37. *D. de legibus*. — (5) *In cap. cum dilectus* 8. *de consuet.*

maiorumque officere, vel praeiudicare successoribus de sanguine a fundatore vocatis in patronatu gentilitio, tenuit Pitonius (1).

CAP. XX.

DE PERSONIS NOMINANDIS AC PRAESENTANDIS.

I. Qualitates praesentandorum vel a Iure, vel ab homine requiruntur.

II. A Iure eadem sunt, quae beneficiariorum.

III. Ab homine sunt, quae fundatores praescripserint.

IV. Num actualiter, an habitualiter requirantur, disputandum.

V. Ad id quinque tempora sunt distinguenda.

VI. Si tempus vacationis, vel nominationis fundator designaverit, illud praeteriri non poterit.

VII. Provisionis verbum ad tempus institutionis refertur.

VIII. Si fundator nil caverit, tempore praesentationis fere debent verificari praescriptae qualitates.

IX. Earumque verificatio expectanda est usque ad ultimum quadrimestris diem.

X. Laicus intra quadrimestrem nominari potest sub conditione clericatus.

XI. Sique is alias idoneus sit, ad tonsuram clericalem arctatur.

XII. Eritque legitimus contradictor clericis ad idem beneficium praesentatis.

XIII. In meram nominationem resolvitur praesentatio laici.

XIV. Retrotrahitur clericatus assumptio ad diem nominationis.

XV. Clericum beneficia fere non cogunt ad ulteriores ordines, praeterquam sacerdotales praebendae, et canonicatus cathedralium.

XVI. Aliae ultra clericatum qualitates restringunt libertatem praesentandi.

XVII. Praesentans scienter indignum, puta infamem, criminosum, apostatam, inaniter agit, nec alterum poterit cumulare.

XVIII. Secus si bona fide non idoneum praesentaverit.

XIX. Distinguendus ab non idoneo indignus.

XX. Fas patrono est praesentare dignum, omisso digniori.

XXI. Quid in parochialibus, et curatis Ecclesiis hac de re censuerit Benedictus XIV?

(1) *Alleg.* 66. *num.* 29. Rota *decis.* 220. *num.* 26. *par.* 11. *rec.*, Rocca *disput. iuris cap.* 7. *num.* 4. Ciarlin. *controvers.* 107. *num.* 62. *tom.* 1.

XXII. Seipsum patronus praesentare nequit.
XXIII. Verum supplicatio patroni pro seipso instituendo aequipollet praesentationi.
XXIV. Praesentatio isthaec deprecatoria frequens est in patronatu passivo.
XXV. Utrum donatarius valeat donantem praesentare?

I. Quoniam ex defectibus praesentatorum incapacium irrita fit nonnumquam praesentatio, par est eas qualitates nunc advertere, quae si concurrerint, personam idoneam ostendunt; si defecerint, incapacem, indignamque illam detegunt. Qualitatum istiusmodi aliae quidem *a Iure*, aliae *ab homine* sunt. (II.) A *Iure* in persona praesentanda, non aliter, quam in persona beneficiarii, potissimum requiruntur clericatus, aetas canonica, et quod nullo vinculo censurae ecclesiasticae, aliove impedimento irretita sit, de quibus qualitatibus iam dixi *in tract. de beneficiis cap.* IX. *num. XII., et seq.* Eaeque hic repetitae habeantur. Quas enim qualitates personales beneficiarius liberae collationis habere iure cogente debet, easdem praesentatus ad beneficium de iure patronatus praeseferre tenetur.

III. Qualitates ab *homine*, puta ad libitum fundatorum, solent esse doctoratus, origo alicuius loci, vel sanguinis, ordo sacerdotalis, ceterae id genus.

IV. Utrum praesentandus sese utriusque qualitatibus praeditum actualiter ostendere debeat, an vero sufficiat easdem habere habitualiter, in quaestione potissimum esse contingit. (V.) Cuius solvendae gratia quinque tempora iuvat discernere cum Pitonio (1). Primum, vacationis beneficii: secundum, nominationis per instrumentum, vel per epistolam patroni: tertium, praesentationis rite faciendae coram loci Ordinario: quartum, institutionis ab Ordinario concedendae: quintum denique post institutionem.

VI. Si fundator aliquam personae praesentandae qualitatem praescripserit, vel expressis, vel aequipollentibus requiri in aliquo ex recensitis temporibus vel praeter, vel etiam contra Ius commune; voluntas eius adamussim est servanda (2). Itaque si fundator, ex. gr. dixerit, eum in qualibet vacatione esse instituendum de tali gente, vel loco, qui reperietur clericus, sacerdos, doctor; talis tunc qualitas requisita videtur tempore vacationis iuxta casum a Pitonio expensum (3). Qualitas vero a fundatore adiecta verbo nominationis, vel electionis eodem nominationis, aut electionis tempore concurrere debet, nec sufficiet habitualis capacitas, aut spes eam post adquirendi (4). (VII). *Provisionis* tamen verbum non refertur ad tempus nominationis, et praesentationis, sed institutionis: quoniam beneficii provisionem

(1) *De contr. patr. alleg.* 61. *num.* 26. — (2) *Ex superius dictis cap. VI. n.* 7., *et seq.* — (3) *Alleg.* 85. *num.* 6. — (4) Rocca *disput. Iur. cap.* 190. *num.* 13. Piton. *alleg.* 33. *num.* 19.

reapse facit Ordinarius instituendo, non patronus praesentando (1): adeout, si fundator demandaverit beneficii provisionem fieri debere, in favorem alicuius laureati doctoris, vel theologi possit utique praesentari non laureatus, institutionem non obtenturus, nisi post ademptum gradum doctoralem.

VIII. Dum tamen fundator silentio praeteriverit circumstantiam temporis, quo requisitae qualitates in personis beneficium adepturis reapse debeant concurrere; ex regula generali tum easdem verificari satis est tempore praesentationis rite coram Ordinario perficiendae, nec adiguntur patroni ad nominandum personas actu eisdem qualitatibus praeditas tempore simplicis nominationis (2). (IX.) Et quoniam potest praesentatio differri usque ad ultimum quadrimestris, vel semestris diem, secundum tradita in superiori *cap.* XVII. *num.* XXIII: interea expectari necesse est capacitatem, vel dispensationem nominatae personae superventuram, donec ipsa rite praesentabitur coram Ordinario (3).

X. Laicus propterea sub conditione clericatus assumendi intra terminum canonicum quadrimestris, vel semestris bene potest nominari (4), quatenus intra modo dictum spatium si clericus non fiat, nominatio irritetur, et evanescat (5). (XI.) Si tamen laicus a compatronis omnibus, vel saltem a maiore parte eorum ipse nominatus sit; ad primam clericalem tonsuram arctatus esse dicitur, quatenus ad eum ordinandum Episcopus vel invitus cogi valeat, dummodo nominatus ipse fuerit idoneus, ceterisque omnibus requisitis praeditus, nulloque impedimento canonico irretitus; ne alias certa spe adipiscendi beneficii, et iure quaesito ad illud privetur per iniuriam, et citra culpam. Compertum enim peritis sacrorum Canonum est fundatores, et patronos Ecclesiarum habere ius offerendi Episcopo Dioecesano personas idoneas in titulum vacantis Ecclesiae, et beneficii ordinandas (6). *Rectores idoneos iidem ipsi (fundatores) offerant Episcopis ordinandos*, verba sunt *cit.* Concilii Toletani: *Si dignos denominant, denominatos ordinari*, ait Iustinianus (7).

XII. Quia tamen ad unum, idemque beneficium postulandum plures aliquando laicos concurrere contingit, ne clericorum numerus frustra multiplicetur, cautum est novissimis Concordatis (8), singulos laicos quoad scientiam, bonosque mores, aliaque requisita idoneos cum litteris testimonialibus Ordinarii sui testantibus eosdem nullo canonico impedimento ad primam tonsuram irretitos posse litem instituere, ac prosequi in foro ecclesiastico cum aliis praesentatis etiam clericis: ut is, quem instituendum esse ceteris postbabitis index definiverit, clericali

(1) Rot. *dec.* 244. *num.* 35. *par.* II. *rec.* Piton. *d. alleg.* 85. *num.* 8.
(2) Rot. *decis.* 636. *num.* 4. *par.* 19. *rec. tom.* 2. Lotter. *lib.* 2. *qu.* 47. *num.* 94., Pirr. Corrad. *in prax. benefic. lib.* II. *cap.* 6. *num.* 30.
(3) Piton. *alleg.* 4. *num.* 23. Card. de Luca *de iurep. disc.* 45. *num.* 7.
(4) Corrad. *in prax. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 31., *et* 32. — (5) Passerin. *de elect. cap.* 25. *num.* 340. Corrad. *loc. cit.*
(6) *Can. decernimus* 32. *caus.* XVI. *qu.* 7. *ex Concil. Tolet.* IX, Novel. 57., *et Novel.* 123. *cap.* 18. — (7) *Dict. Nov.* 123. — (8) *Cap.* 4. *art.* 6.

primum charactere signetur, tum in beneficio rite instituatur. Laicus itaque nominatus novo iure Concordatorum legitimus est contradictor clerico etiam ad unum, idemque beneficium praesentato in caussa institutionis: abrogato antiquo iure, potius consuetudinario, quam scripto, quod laicum a limine iudicii repellebat.

XIII. Inanis exinde videtur esse quaestio inter Doctores maxime controversa, utrum praesentatio laici sub conditione futuri clericatus facta coram Episcopo valeat, nec ne. Eam porro validam dixere cum multis Passerinus (1). E contrario post Lambertiuum, Hoiedam, Guttierez, Lotterium, Aloysium Riccium, Pitonius (2), aliique plures rectius eamdem non valere censuerunt; sed vix resolvi in simplicem nominationem, si laicus proxime clericandus postulasset institutionem beneficii, praevia collatione clericalis ordinis concedendam. Et haec sententia maxime probatur modo laudata lege Concordatorum.

XIV. Nominatio laici sub conditione futuri clericatus utilitatem habet retrotractionis, assumptio enim clericatus, et dispensatio super defectu qualitatum intra quadrimestrem superveniens retro ad eumdem nominationis diem trahitur, tametsi talis conditio suspendit actum praesentationis, quae non rite fit, nisi post clericatum (3). Quamobrem si patronus promiserit non variaturum nominationem laici, nec etiam cumulative aliam personam praesentaturum, et clericum postea praesentaverit praedicta laici nominatio tunc potior erit. Secus dicendum, si post clausum iuris terminum clericatus, vel dispensatio supervenerit.

XV. Clericus vero praesentatus, aut etiam institutus ad ulteriores, ecclesiasticae hierarchiae ordines tam minores, quam sacros usque ad Sacerdotium promoveri non cogitur (4), nisi beneficio adepto adnexus sit ordo sacer, vel presbyteratus. Puta, si praebenda, vel capellania sit sacerdotalis cum onere per fundatorem adiecto celebrandi Missas *per seipsum* (5), aut si agatur de canonicatibus, personatibus, ac dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, vel de parochiis cum animarum cura, ad quos, quasve promoveri nemo potest, nisi vel constitutus in ordine ad id requisito, vel idoneus, qui tali ordine initietur intra annum, secundum regulas sacrorum canonum innovatas a Tridentino (6). Verumtamen Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum extra Cathedrales ad sacros ordines non cogit Synodus Tridentina, utpote quae tam *in cit. cap. XII. sess. XXIV.* quam *sess. XXII. cap. 4.* loquitur solummodo de canonicatibus, et beneficiis Cathedralium. Et Ius commune clericos etiam inferiores habet idoneos ad obtinenda, retinendaque beneficia quaelibet ecclesiastica (7).

(1) *Cap. 25. de elect. num. 339., et seqq.* Ventriglia, *in prax. par. 2. adnot. 7. num. 12.* Garzia *par. 7. cap. 1., et seqq.*, et Episcopus Car. Maranta *part. 5. resp. 85. num. 26.* — (2) *Alleg. 61. num. 15.*

(3) Rota *decis. 613. num. 10. par. 5. rec. tom. 2.* Rota in Volaterrana beneficii 7. Decemb. 1708. coram Crispo, Piton. *alleg. 1. sub num. 24.* Fargna *de iurep. tom. 1. can. 5. cas. 13. n. 26.* — (4) *Cap. super inordinata*, ibique Gl. *ver. pueri de praebendis.* — (5) Vide is tract. Auctoris *de beneficiis* cap. IX. n. 22. — (6) *Sess. 24. de reform. cap. 12.* — (7) *Cap. su-*

XVI. Ex dictis consequitur qualitates in personis praesentandis requisitas restringere patronis libertatem praesentandi, utpote qui coguntur inviti consanguineos non qualificatos posthabere, atque idoneos extranei sanguinis ad beneficia sua praesentare intra quadrimestre, vel derelinquere Ordinario collationem liberam.

XVII. Profecto si patroni personam incapacem scienter praesentaverint, inanis habebitur eorum praesentatio, eaque vice privantur iure postulandi institutionem talis personae sibi placitae. Hac tamen in re discrimen est inter patronatum ecclesiasticum, et laicalem. Nam ecclesiastici patroni praesentando scienter indignum, ipso iure privantur iure suo, nec alium poterunt etiam intra semestre praesentare, sed devolvitur ad Ordinarium collatorem provisio ex sanctione Lateranensis Concilii sub Alexandro III. (1), ibi: *Clerici sane, si contra formam istam quemquam elegerint, eligendi tunc potestate privatos noverint.* Cui consonat Innocentius III. (2), et Bonifacius III. (3). Nam patronis ecclesiasticis non datur facultas cumulandi, nec variandi. Laicos vero patronos scienter indignum praesentantes iure suo statim non privari, sed posse intra incoeptum quadrimestrem adhuc alterum praesentare, et nonnisi lapso quadrimestri ad Episcopum devolvi collationem, tenent multi DD. cum Glossa (4) ob hanc praecipuam rationem, quia Alexander III. in eodem textu *cap. cum vos* ob praesentationem incapacium a laico factam rescripsit Cantuariensi Archiepiscopo, quod Oeconomum dumtaxat in vacanti beneficio poneret, non quod iure devoluto beneficium conferret: aliter nil prodesset patronis laicis facultas cumulandi. Quos subiicere poenae a Concilio Lateranensi inflictae in ecclesiasticos eligentes, repugnat regula odiosae legis non extendendae de casu ad casum. Alii contra cum Innocentio, Hostiensi, et Baldo sentiunt in eamdem poenam ipso facto incidere laicos, aeque atque ecclesiasticos scienter indignum praesentantes (5). Horumque sententia probabilior est. Nam Iustinianus Imperator (6) perspicuis verbi remisit arbitrio Episcopi collationem, provisionemque patronalis Ecclesiae, si heredes fundatoris laici indignos nominaverint. *Si vero* (ait Imperator) *qui ab eis*, (puta laicis heredibus fundatoris) *eliguntur, tamquam indignos prohibent sacrae regulae ordinari, tunc sanctissimus Episcopus quoscumque putaverint meliores, ordinari procuret.* Praetereaque idem Imperator (7) licentiam dedit Episcopis praeficiendi rectores idoneos oratoriorum, locorumque priorum, amotis inutilibus, quos patroni deputassent, ibi: *et si invenerint non utiles existentes rectores, licentiam habentibus Episcopis sine damno alios pro eis op-*

per inordinata de praebend., ibique Gl. *ver. pueri*, Barbos. *de pot. Episc. alleg. 60. num. 72.* Piton. *alleg. 45. num. 2.*

(1) *In cap. cum in cunctis 7. §. ult. de elect.* — (2) *In cap. cum Wintoniensis 25. eod. tit.* — (3) *In cap. quamquam eod. tit. in VI.* — (4) *In cap. cum vos de offic. Ord.* — (5) Fagnan. *in d. cap. cum vos n. 39. de offic. Ordinarii.* — (6) *Nov. 123. cap. 18. si quis Oratorii domum.*
(7) *Nov. 131. cap. 10. si quis aedificationem.*

portunos efficere. His ita se habentibus falso asserit Hostiensis (1) non esse in iure scriptam poenam Concilii Lateranensis in patronos laicos, qui volentes, et scientes indignum praesentaverint, quam longe ante Patres Lateranensis induxerat lex civilis Iustinianaea. Et licet vim obligatoriam non habeat in re ecclesiastica lex civilis, ex rationibus perpensis a Fagnano (2), negari tamen non potest laudatas Imperatoris Novellas minime adversari, sed potius consentaneas esse sacris canonibus, praesertim laudati Concilii Lateranensis: eamque ob rem sicuti leges non dedignantur sacros canones imitari, et sequi in quaestionibus iure civili non definitis, ita vicissim sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur, et declarantur, ex Lucii III. axiomate (3). Praeterquam quod ad sententiam Imperialem firmandam accessit pontificia Pauli IV. constitutio XIV. incipiens: *postquam divina*, edita XIII. Kal. Aug. 1558, ubi cautum §. 7. *Si patroni alicuius beneficii ecclesiastici, sive sint laici, sive clerici, aliquem ex apostatis ad beneficium de eorum iurepatronatus existens tunc vacans praesentaverint, praesentationes huiusmodi sint eo ipso nullae, irritae, et inanes, ac viribus careant, et ipsi patroni iure praesentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice tantum privati existant.* Igitur nedum civili, verum canonico etiam iure privatio facultatis cumulandi praesentationem sancita est in laicos indignum scienter praesentantes.

XVIII. Si autem bona fide indignum, et incapacem praesentaverint sive laici, sive ecclesiastici compatroni, ad alterum idoneum intra quadrimestre, vel semestre praesentandum admittuntur (4): ubi Innocentius III. Cantuariensi Archiepiscopo rescribens irritam quidem habuit electionem indigni a Vigoriensi Capitulo factam, sed poenam antedicti Concilii non inflixit eidem Capitulo, quod *improvide* illegitimum hominem elegerat, sed immo indulsit facultatem postulandi.

XIX. Ad bonam fidem a mala secernendam par est indignos ab non idoneis distinguere cum Lambertino (5). Indigni habentur notorie criminosi, homicidae, falsarii, simoniaci, infames, apostatae, prolapsi in haeresim: itidem illegitimi, et pueri, et qui litteras omnino ignorant. Non idonei putantur imperiti, ceterique habentes occulta impedimenta, vel obnoxii criminibus in iudicium non delatis. In praesentatione non idoneorum bona fides praesumitur, secus in praesentatione indignorum.

XX. Dignos autem posthabitis dignioribus licito iure ad ecclesiastica beneficia praesentant patroni tam laici, quam ecclesiastici. Et quamvis parochiales Ecclesias, et curam animarum adnexam habentia beneficia dignioribus omnino, praevioque concursu conferre debeant Episcopi (6), si tamen de iurepatronatus *laicorum* fuerit Parochialis Ec-

(1) *In cap. fin. de iurepatr. num. 4.*, et cum eo Fagnanus *in dict. cap. cum vos num. 48.* — (2) *Loc. cit. n. 53.* — (3) *In cap. un. de novi operis nunciat.* — (4) *Cap. innotuit 20. de elect.*
(5) *Par. 1. lib. 2. qu. 10. princ. art. 4. num. 15.* — (6) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 18.*

clesia, debet qui a patrono praesentatus erit, sine aliorum concursu ab examinatoribus synodalibus examinari, sique idoneus fuerit renunciatus, institui ab Episcopo (1).

XXI. At in beneficiis curatis de iurepatronatus ecclesiastico dignior inter concurrentes rite examinatos, adprobatosque praesentandus est: Patres enim Tridentini *loc. cit.* ita caverunt: *Si vero iurispatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, et non alium pertineat, is, quem patronus* digniorem *inter probatos ab examinatoribus indicabit, Episcopo presentare* teneatur, *ut ab eo instituatur.* Ad rem hanc tria dubia proposuit Archiepiscopus Florentinus sapientissimo Papae D. N. Benedicto XIV. Primum, an patronus ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad beneficium curatum eum, qui inter adprobatos ab examinatoribus magis idoneus, et magis dignus est? II. an Episcopus ad quem spectat dare institutionem, debeat sequi iudicium patroni de magis idoneo, magisque digno, an potius inquirere, rectum ne sit patroni iudicium, an secus? III. Si appellaverit, qui se digniorem esse putat, et posthabitus est; an appellatio interposita locum habeat in devolutivo tantum, an potius etiam in suspensivo? Maximus autem Ecclesiae magister sciscitanti Archiepiscopo decretalem elegantia, doctrinaque insignem dedit die IX. Aprilis 1746. vulgatam (2). Eaque rescripsit super primo dubio *teneri*. Super secundo distinxit casum adquiescientiae concurrentium magis dignorum a casu eorum appellationis ab irrationabili iudicio patroni; docuitque in priori casu Episcopum sequi debere iudicium patroni, nemine concurrentium reclamante: in posteriori, secus, quum assumere tunc Episcopus debeat partes iudicis, inquisiturus, an erraverit in eligendo digniore patronus. Super tertio tandem dubio censuit appellationem posthabiti concurrentis locum habere in devolutivo tantum, si patroni iudicium Episcopus probaverit: si vero sententia Episcopi ab illa patroni discors fuerit, suspensivum quoque effectum appellatione produci usque ad exitum litis.

XXII. Seipsum patronus praesentare non potest, nec etiam per medium procuratoris ad praesentandum, ut vitetur *ambitus* vitium legibus quoque civilibus exosum, utque differat praesentatus a praesentante (3), ubi Innocentius III. respondit Rothomagensi Archiepiscopo: *quod nullus se potest* ad personatum *alicuius Ecclesiae praesentare, quantumcumque idoneus sit, et quibuscumque studiis, et meritis adiuvetur.* Cum inter dantem, et recipientem, inquit idem Pontifex (4) *debeot esse distinctio personarum. Et qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum* (5).

XXIII. Nihilo tamen minus in praxi admittuntur preces patroni pro seipso Ordinarium supplicantis, ut eum instituat, si unicus est in

(1) *Ex cit. cap. 18.* Trid., quod exposuit Auctor *in tractat. de benefic. cap. 10. num. XX., et seqq.*

(2) *In tom. 2. eius Bullarii const. 4.* — (3) *Cap. per nostras 26. de iurepatr.* — (4) *In cap. fin. de instit.* — (5) *Cap. qui facit 72. de reg. Iur. in VI.*

praesentando (1). Atque in concursu praesentantium in diversa vota scissorum is valet aliis ipsum praesentantibus adhaerere, adeout vox patroni pro seipso supplicantis connumeretur, et adscribatur ipsi patrono non aliter, quam si alius eum praesentasset.

XXIV. In patronatu autem passivo frequentior est praesentatio deprecatoria, qua vocatus vel mediate, vel immediate per fundatorem recte postulat sibimetipsi institutionem. Quod *in seq. cap.* XXI. *num.* VI., *et seqq.* opportunius enucleabitur.

XXV. Si quando patronus donaverit ius nominandi, ac praesentandi, haud frustra quaerunt DD., num donatarius valeat donantem nominare, ac praesentare? Quaestionem hanc dirimit distinctio communiter recepta. Nam ubi donatio iuris nominandi pro una tantum vice concepta est, tunc non poterit donatarius donantem praesentare, quia donatio aequipollet mandato ad praesentandum, ut supra dictum est *cap.* XIV. *num.* LIII., secus dicendum, si patronus totum nominandi ius in perpetuum alicui donaverit, sibi etiam retento patronatu: hoc enim casu valebit praesentatio patroni donantis (2).

CAP. XXI.

DE PASSIVO IURE PRAESENTANDI.

I. Necessariam praesentationem inducit iuspatronatus passivum.
II. Irrita enim fit praesentatio, aut institutio alterius, quam passive vocati.
III. Nullumque onus in fundatione non expressum is ferre cogitur invitus, et praesertim pensionem.
IV. Ius passivum vel directum, vel indirectum.
V. Directo iure vocati opus non habent activa praesentatione patronorum.
VI. Passive vocati seipsos praesentare solent per viam supplicationis.
VII. Eorumque si plures extiterint diversi gradus, proximior praefertur.
VIII. Indirecto, et obliquo iure vocatus praesentari debet ad activum patronatum habentibus.
IX. Qui possunt remotiorem quoque praeeligere.
X. Fundator passivo patronatu non ligatur.
XI. Passivum iuspatronatus ab Iure communi exorbitare opinantur ob imaginem successionis hereditariae.

(1) Abb. *in d. cap. per nostras*, Rota *dec.* 430. *par.* 9. *rec. n.* 39. coram Celso *dec.* 20. *num.* 3., *dec.* 141. *num.* 5. *par.* 14. *rec.*, et passim.
(2) Panormitan. *in cap. ex insinuatione causa* 7. *de iurep.* Ioannes Andreas, Butrius, aliique interpretes ibidem, Roch. de Curte *verb. ipse*, *vel is*, *num.* 37. Barbos. *par.* 3. *de pot. Episcopi alleg.* 72. *num.* 95. Corrad. *lib.* 4. *prax. benef. cap.* 21. *num.* 24.

XII. Quae tamen ratio non urget contra descendentes a sanguine fundatoris, quibus iura favent, sed contra extraneos.
XIII. Extraneis passive vocatis patronatus habetur odiosus, favorabilis vero pro consanguineis.
XIV. Verba facultatem sonantia sunt praeceptiva pro consanguineis, secus pro extraneis.
XV. Iure passivo deminuitur activum ius patronorum.
XVI. Passivum in dubio non praesumitur volitum, nisi illud expresse fundator demandaverit.
XVII. Nec extenditur de casu ad casum.
XVIII. Patronatus passivi qualitates in dubio conformes activo praesumuntur.
XIX. Qualitates per fundatorem volitae in passive vocatis requiruntur fere praesentationis tempore.
XX. Sed clericos si fundator directis verbis vocaverit, vacationis tempore clericatus requiritur.
XXI. Et ubi semel extiterint qualitates, non officiet post institutionem defectus earum.
XXII. Arctatos ad clericalem tonsuram facit iuspatronatus passivum.
XXIII. Arctatio passive vocatorum potior est, quam nominatorum iure solum activo.
XXIV. Laicus prioris lineae vocatae praeferri debet clerico posterioris lineae.
XXV. Si autem nulla fuerit gradatio linearum, clericus laico praeferendus.
XXVI. Nec laico indulgenda est dispensatio aetatis, aliusve impedimenti, ne clerico idoneo quaesitum ius tollatur.
XXVII. Alternativa inter passive vocatos licito iure constituitur.

I. Iuspatronatus passivum idem sonat, quod necessitas per fundatorem inducta praesentandi, vel instituendi personas certi generis, vel sanguinis, vel loci. Duplex proinde praesentatio est distinguenda, *voluntaria*, *et necessaria*. Dum patroni, et ius praesentandi habentes potiuntur omnimoda libertate praesentandi personas, quas ipsi maluerint, eorum praesentatio *voluntaria* tunc dicitur, de qua in praecedentibus capitulis usquemodo dissertum est. Quoties autem in fundationis instrumento cautum sit inter personas praesentandas, vel instituendas praeferri debere aliquam fundatori praedilectam, puta ex ipsius fundatoris, vel patronorum cognitione, aut gente, patriave ortam, praesentatio tunc dicitur *necessaria*, de qua dicendum superest.

II. Istiusmodi necessitas efficit, ut si patroni minime praesentaverint, quem fundator praesentandum iussisset, possit irrequisitis, spretisque patronis coram Ordinario is comparere postulando semetipsum institui,

tamquam praesentatum ab ipso fundatore: et Ordinarius iure compellatur ad eumdem in iure passivo vocatum instituendum, posthabitis, reiectisque iis, quos fortasse praesentaverint compatroni extra genus predilectum, et passive vocatum (1). Quamobrem personas a genere per fundatorem designato cogitur omnino praesentare patronus, et deserere filium quandoque suum, aliumve sibi sanguine coniunctum, quod perpendit citatus de Luca (2).

III. Istumque presentandum vi passivi iurispatronatus nequit patronus activus invitum gravare pensionis onere, aliove ultra fundationis legem, illum scilicet praesentando cum onere solvendae pensionis, si Papa assentietur: non enim mere voluntaria est talis praesentatio, sed necessaria, et coacta praecepto fundatoris in favorem dilecti sanguinis lato (3).

IV. Vim totam passivo patronatui dat sola voluntas fundatoris, exactissime adimplenda, quae multiformis est. In primis propterea advertendum est, utrum fundator *verbis directis*, puta sine medio, ac sine aliqua patronorum praesentatione, an verbis *obliquis*, atque *indirectis* ius passivum reservaverit. Namque diversos effectus producit ius *directum*, seu *immediatum* ab *indirecto*, seu *mediato*.

V. Quoties in fundatione cautum sit, ex. gr. personam illius stirpis, familiaeve admittendam esse ad beneficium, vel quod Episcopus conferre deberet beneficium tali personae; aliove simili sermone ad iudicem, non ad patronos active vocatos converso fundator demandaverit provisionem beneficii faciendam esso in favorem descendentium certae alicuius gentis, *directum*, seu *immediatum* ius passivum putatur: quod facit, ut clericus de genere vocato, tamquam ab ipso fundatore praesentatus in singulis vacationibus nullo medio patronorum, nullaque eorum praesentatione opus habeat ad beneficium obtinendum.

VI. Ex hactenus dictis patet, cur in patronatu passivo patronus saepissime praesentet semetipsum per viam supplicationis, de qua dictum est in praecedenti *cap.* xx. *num.* xxiv. Cuiusmodi praesentationi deprecativae acquivalet etiam oppositio, quam passive vocatus faciat contra praesentatos a patronis ius activum habentibus (4).

VII. Et isto casu, quo activa praesentatio non erit facienda, si plures eiusmodi personae disparis gradus, vel aetatis concurrerint simul, aliae scilicet fundatori, seu stipitibus praedilectis proximiores, aliae remotiores; proximus quisque primo loco videtur invitatus gradatim, iuxta iurisconsultorum responsa pro fideicommisso familiae relicto data (5).

(1) Abbas *in cap. cum in cunctis de elect.* §. *inferior num. 10., et seqq.*, Lambert. *lib. 2. par. 1. qu.* 8. *art. 4. num. 11.* Vivian. *par. 2. lib. 2. cap.* 9. Rota pluries laudata apud Card. de Luca *disc. 18. de iurep. num. 3.* Piton. *alleg. 82. num. 10.* — (2) *Discurs. 29. de iurepatr.* — (3) Piton. *alleg. 56. num. 8.*

(4) Rota coram Pamphilo *dec. 99. num. 1., et 2.*, et coram Buratto *dec. 737. num. 5.* Garzia, *de benefic. par. 4. cap. 3. num. 65.* Piton. *alleg. 85. num. 2.* — (5) *In l. peto 69. §. fratre, et l. cum ita 33.* §. ult. D. de leg., et fideicom. 2., et l. fin. C. de verb. sig. *ita 33. §. ult. D. de leg., et fideicomm. 2, et l. fin. Cod. de V. S.*

VIII. E contrario dum fundator iusserit, ut patroni praesentarent aliquem de certo genere, vocatio passiva tunc dicitur *mediata*, et *indirecta*: eoque casu passivum ius habentes sine mediis patronorum praesentationibus adipisci beneficium fere nequeunt. Fere inquam, quia si patroni personam extra genus passive vocatum praesentare attentaverint, nulla tunc ratio habebitur extraneae praesentationis: et passive vocatus verbis licet mediatis, et indirectis ad postulandam beneficii institutionem, et possessionem recte admittitur: ipso enim iure suppletur, et praesumitur impleta conditio praesentationis activae, ubi per eum non steterit, quominus impleatur, ex vulgato iurisconsultorum axiomate (1).

IX. Quo casu patronus habens activam praesentandi facultatem obligatur quidem ad nominandam personam de illo genere, cui ius passivum fuerit reservatum: sed utique poterit inter plures eiusdem generis personas unam praeligere etiam remotiorem, et iuniorem, posthabitis proximiuribus, secundum regulas a iure fideicommissorum mutuatas (2).

X. Fundator tamen, quoadusque superstes erit, numquam ligatur patronatu passivo, spretisque passive vocatis in limine fundationis poterit adbuc alios, quos maluerit, praesentare (3). Quo pertinent superius dicta *cap.* VI. *n.* XLVI. Si enim patrono laico permittitur unum, et alterum cumulative praesentare, cur non licebit superstiti fundatori alterum pro suo praesentare praeter illum, quem in limine fundationis vocatione passiva praeveniendo nominaverit? Tametsi post perfectam cum adsensu Dioecesani fundationem fundatori non licet amplius adimere patronatum passivum, nec tollere ius quaesitum personis passive vocatis (4).

XI. Utrum passivum iuspatronatus sit odiosum, et a iure exorbitans, necne, dubitant Doctores. Qui affirmativam tenent sententiam, duabus potissimum rationibus innituntur ad naturam exorbitantem, odiosamque patronatus passivi detegendam. Prima est imago successionis hereditariae, quam in beneficiis ecclesiasticis semper oderunt canones velut detestabilem (5): ubi Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi rescripsit, non esse tolerandam Ecclesiae concessionem tali tenore factam, quod post clericorum beneficiatorum obitum alii nominatim succederent: talemque concessionem iniquam, et sacris canonibus inimicam dixit. Et Innocentius III. (6) consentanee declaravit Sanctuarium Dei non debere iure hereditario possideri, nec semper institui clericos certae originis tantum, sed undecumque ortos, dummodo sint idonei. Quo in textu Panormitanus *num. 3.* infert *quod certum bene-*

(1) *In l. 6, 8, 14, 40. D. de condit., et demonstr. l. si ita heres 3. D. de condit. inst. cap. cum non stat 66. de reg iur. in* VI.

(2) *In l. unum ex familia 67., et l. filius familias 114. §. 15., et 17. D. de legatis, et fideicom.* 2. — (3) Card. de Luca *de iurepatr. disc. 90. num. 4* Piton. *tom. 1. discept. eccl. 19. num. 9.* — (4) Card. de Luca *disc. 16. de iurepatr. num* 2. Rota *decis. 37. par. 7. rec. decis. 118. num. 3., et decis. 220. num. 33. par. 11. rec.* — (5) *Cap. accepimus 5. de pactis.* — (6) *In cap. ad decorem 5. de institut.*

ficium non debet semper conferri hominibus alicuius cognationis, ne tale beneficium videatur debitum illi cognationi.

XII. Istamque rationem militare quidem adsentior in passiva vocatione extraneorum a sanguine, familiaque fundatoris non descendentium. Secus in vocatione agnatorum, cognatorumque fundatoris. Tali enim passivo patronatui maxime favent canones ob retributionem aequitate iuris debitam descendentibus de sanguine illorum, qui Ecclesias fundaverint, ac dotaverint. *Quia*, inquit Glossa (1), *potius sunt illi clerici instituendi, de quorum bonis fondata est Ecclesia.* Quam sententiam amplexa est Rota (2), ubi haec habentur verba: *Socri canones quemadmodum ad alliciendos Christi fideles largiti sunt laicis fundatoribus iuspotronatus in parte activa nominandi, ita multum inclinant ad proeferendum sanguinem, et descendentes ab eisdem fundatoribus in altera parte passiva.* Eam ob rem fundator cum consensu Ordinarii poterit extra limen fundationis addere patronatum passivum in favorem familiae, domusve suae, vel concivium, vel collegialium Ecclesiae, quia talem conditionem non Iuri contrariam, sed consonam, licitamque pronunciavit Rota (3). Huc pertinent quae dicta sunt supra *in cap.* VI. *num.* IV.

XIII. Consequens hinc etiam est passivi patronatus reservationem favore extraneorum, tamquam odiosam stricte intelligendam esse: at favore descendentium fundatoris ampliori significatione intelligendam. Quapropter diversam interpretationem sortiuntur verba facultativa, vel deprecatoria, qualia sunt si fundator dixerit: *Rogo, ut praesententur clerici illius familiae. Valeant*, vel *possint descendentes e sanguine meo nominari. Ploceat heredibus meis nominare, ac praesentare aliquem de familia. Volo, ut consanguinei nominentur, si velint heredes mei, etc.* (XIV.) Quandoquidem si agatur de favorabili vocatione consanguineorum fundatoris, verba, quae vel preces, aut simplex desiderium testatoris, vel arbitrariam facultatem heredis grammaticaliter sonant, resolvuntur in praeceptum (4). *Omne verbum* (ait ibi Iustinianus) *significans testatoris legitimam sententiam legare, vel fideicommittere volentis, utile, atque validum est, sive directis verbis, quale est iubeo*, sive precariis utatur, quale est *rogo* etc. Quod speciatim in re nostra censuit Rota (5). At respectu extraneorum passive vocatorum verba fundationis sonantia facultatem, et arbitrium patroni active praesentaturi non inducere necessitatem, ac praeceptum iudicantur: Pitonius *alleg. 8o. num.* 23., ubi pluribus Rotae decisionibus comprobat.

XV. Ratio altera, qua exorbitare passivum iuspatronatus tuentur, est deminutio patronatus activi, et iuris praesentandi, quod ad here-

(1) *In can. neminem dist. 70. ver. possessionis.* — (2) *Dec. 120. num. 10., et decis. 122. num. 11, et 12. par. 11. rec.*, et coram Ansaldo *in Aretina beneficii 21. Ian. 1701. §. quin etiam.* — (3) *Cit. dec. 120., et dec. 122. par.* 11. *rec.* — (4) *L. omne verbum 2. C. communia de legatis.*

(5) *Decis.* 68. *num. 4., et seq. par. 12. recent.* Card. de Luca *de iurepatr. disc. 29. num.* 11., *et disc. 50. num. 5.*

des, ac successores fundatorum quoslibet, etiam extraneos iure communi pertinet: quum passivum iuspatronatus reservari soloat personis certae familiae, vel domus qualitatem hereditariam non praeferentibus (1). Quandoquidem in rebus dubiis favorabilior est heredis caussa: non enim onerandus est heres ultra, quam expresserit testator, ex rescripto Pii Imperatoris ab Ulpiano laudati (2). Et heredibus succurrendum esse, ne cogerentur maiora onera subire, respondit Papinianus (3).

XVI. Merito hinc iure passivus patronatus in ambiguis quaestionibus odiosam, strictamque fert interpretationem. Numquam sane praesumitur a fundatore volitus, nisi perspicuis verbis certum genus personarum, vel suae, vel alienae familiae, aut gentis ipse vocaverit, et praenominaverit, vel praeferri voluerit ad beneficium obtinendum (4). Quare ab activi patronatus reservatione in favorem alicuius familiae, non praesumitur eidem reservatum ius passivum.

XVII. Eademque ratione passiva vocatio unius agnationis, familiae, domus, personae non extenditur ad aliam personam, domum, familiam, agnationem non expressam, neque de casu ad casum: sed tantam vim habebit, quantam patiuntur verba fundatoris non latiori quidem notione accipienda, sed communi, et propria (5). Tametsi vocabula familiae, descendentium, sanguinis, aliaque id genus complecti fere videantur quoscumque descendentes tam ex masculis, quam ex foeminis vocati generis, praesertim ad excludendos extraneos ex presumpta fundatorum mente, quae non censetur voluisse extraneum praeferre descendentibus sanguinis praedilecti. (6).

XVIII. Etsi natura patronatus activi, qui hereditarius fere est, discordet a passivo regulariter familiari, et gentilitio; quoties tamen certa sit existentia patronatus passivi, sed ambigua eiusdem qualitas, vel pertinentia, tunc verba fundatoris ita sunt fere interpretanda, ut, quoad fieri possit, passivus ab activo non discordet, et praesumatur fundator idem passivo tacite voluisse, quod in activo aperte mandaverit (7).

XIX. Qualitates tamen a fundatore praescriptas non possunt habentes tam passivum, quam activum iuspatronatus negligere tempore praesentationis regulariter, ob rationes expensas in superiori *cap.* XX. *num.* VIII.

XX. Si quando autem verbis directis a fundatore clerici passive vocati sint ad beneficii adeptionem tempore vacationis, tunc qualitas clericatus requisita praesumitur: secus, si verbis iodirectis, atque media-

(1) Card. de Luca *disc.* 29. *de iurepatr. num.* 7.— (2) *In l. fideicommissa* 11. §. *si quis alicui D. de legat.* 3. — (3) *In l. unum ex familia* 67. §. *si rem tuam* 8. *D. de leg.*, *et fid.* 2. — (4) Amostaz *ib.* 3. *de causs. piis cap.* 9. *num.* 37. Card. de Luca *dict. discurs.* 29. *de iurep. num.* 5., Piton. *alleg.* 83. *an.* 2.

(5) Rota in Aquilana Capellaniae coram Falconerio *tom.* 2. *tit.* 19. *decis.* 56. Piton. *alleg.* 75. *num.* 11., *et alleg.* 83. *n.* 2. — (6) Rota impressa post *alleg.* 75. Pitonii *num.* 26. — (7) Rota pluries apud Piton. *alleg.* 83. *num.* 10.

tis (1). (XXI.) Easdem qualitates sat est usque ad tempus institutionis perseverare. Si enim postea defecerint, non infirmabitur institutio irrevocabilis: quapropter qui ob proximitatem sanguinis, vel paupertatem a fundatore volitam institutus semel erit, nequibit amplius beneficio privari, etiamsi postea supervenerit alius proximior, aut defecerit paupertas instituti ad meliorem fortunam evecti (2). Nam *factum legitime retractari non debet*, *licet casus postea eveniat*, *a quo non potuit inchoari*, inquam cum Bonifacio VIII. (3).

XXII. Alius ex praecipuis effectibus patronatus passivi est arctatio ad Ordines ecclesiasticos, et praesertim ad primam clericalem tonsuram. Si enim quis laicus passive vocatus sit ad beneficium ecclesiasticum, cuius annui redditus medietatem patrimonii clericalis iuxta taxam synodalem saltem attingant, ei tamquam arctato Episcopus conferre cogitur primam tonsuram, etiamsi tres annos Ecclesiae minime inservierit, ne habitum detulerit clericalem (4).

XXIII. At laicus sine iure passivo a patronis nominatus, si triennale servitium Ecclesiae cum delatione vestis clericalis non perfecerit, minime arctatur ad clericalem characterem activis patronorum nominationibus ex recepta interpretatione praefati articuli Concordatorum: tametsi eiusmodi novissimae legis ambigua verba videantur inter arctatos complecti etiam nominatos a patronis, et passive non vocatos. Si tamen laicus expleto famulatus Ecclesiae triennio, gestoque interea clericali habitu, et nullo ad Ordines ecclesiasticos impedimento detentus nominetur ab omnibus compatronis, vel saltem a maiore parte illorum, ei quidem nequibit dioecesanus Episcopus Tonsuram clericalem citra iniuriam denegare velut arctato: licet libertas ceteroqui Episcopo sit admittendi ad militiam clericalem, ab eaque eliminandi quos sibi libuerit. Potior hinc, et efficacior esse intelligitur arctatio passive vocatorum, quam active nominatorum.

XXIV. Dum fundator iusserit praesentandos primum descendentes de sanguine unius lineae, iisque deficientibus, gradatim alios de alia linea: si nominetur laicus e priori linea descendens, eodemque tempore praesentetur clericus de posteriori linea in subsidium vocata: Episcopus institutor ante debet laicum clericali tonsura initiare, idoneumque facere ad praesentationem canonicam intra quatuor, vel sex menses rite perficiendam, posthabito clerico: nisi laico isti aliquod obstiterit canonicum impedimentum, cuius dispensationem intra eosdem menses neglexerit impetrare (5).

XXV. Ceterum ubi nulla sit volita praelatio linearum, clericus tempore vocationis existens de sanguine passive vocato, et natu maior praeferri debet laico, quamvis idoneo ad clericatum intra quadrimestre,

(1) Card. de Luca *disc. 45. de iurepatr. num. 7.*, *et* 8. Piton. *alleg. 85. n. 7.* — (2) Rota *decis. 717. n. 4.*, *et seq. par. 4. rec. tom. 3.* Pitonius *alleg. 1. sub n.* 20., *et alleg. 24. n. 3.* — (3) *In cap. factum 73. D. de reg. iur.*

(4) *Cap.* IV. *Concordatorum* an. 1741. *art.* V. — (5) Card. Ant. de Luca *de linea legali lib.* 1. *disc.* 22. Piton. *alleg. 68. num.* 26., *et* 27., ubi laudat Rotam *in Tridentina Capellaniae 5. Aprilis* 1715. *§. fin.* coram Cerro.

vel semestre assumendum, praesertim si fundator Sacerdotium habitualiter requisiverit in nominandis, et praesentandis (1). Aequitas quippe iuris non patitur differri institutionem clerici actu capacis, et idonei, ut expectetur alterius incapacis habilitas, vel dispensatio: et sufficit unum de genere vocato deligi, ubi plures iure promiscuo concurrant ex supradictis *num.* XI.

XXVI. Quinimmo dispensationem aetatis, aliusve qualitatis non esse indulgendam personis inhabilibus intra spatium quadrimestris in praeiudicium personae iam capacis, et idoneae, pluries definivit S. Congregatio Concilii, et Rota Romana apud Pitonium (2). Nam gratia nemini officere debet, nec ius alicui quaesitum tollere, aut deminuere. Porro Princeps non debet, neque in dubio intendit iuri alterius derogare, dum gratiam alicui largitur (3). Et sapientissimus Papa Benedictus XIV. vestigiis Praedecessorum suorum inhaerendo (4), *decrevit, et declaravit suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus, etiamsi motu proprio, et ex certa scientia, ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de eius mandato faciendas, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tollatur* (5).

XXVII. Ad eliminandas discordias inter plures passive vocatos in limite fundationis, poterunt ii inter sese constituere alternativam, sive turnariam provisionem, quemadmodum patronis in iure activo eam pacisci sine adsensu Ordinarii, indulsit Clementina *plures de iure patronatus*. Nil sane obstat, cur in passivo patronatu non liceat, quod in activo permissum est: et cur nequeant singuli passive vocati per concordiam alternativae sese a litigando abstinere, et institutionem beneficii dimittere uni ipsorum, quod sine tali concordia utique possunt, quoties casus vocationis obtigerit. Huic vero sententiae minime refragatur Rota (6): ubi definitum est dispositionem Clementinae *plures* quoad facultatem compatronis concessam dividendi amicabiliter pactione turni, seu alternativae exercitium iuris praesentandi, non extendi ad passivum patronatum; nec ideo alternativam in passivo valere sine adsensu Ordinarii. Nam istae rotales decisiones spectant specialem circumstantiam casus, quo patronatum passivum a fundatore non ordinatum patroni ius activum babentes constituerant sine auctoritate Ordinarii, et alternativam inter singulas eorumdem patronorum stirpes, quod sagaciter observavit Pitonius (7). Id enim non licere liquet ex supradictis *cap.* VI. *num.* XLVIII.

(1) Rota *decis.* 241. *num.* 2. *par.* 15. *rec.* Garz. *par.* 7. *cap.* 1. *num.* 73. Piton. *alleg.* 85. *num.* 13. — (2) *Dict. Alleg.* 85. *num.* 12.— (3) *Cap. super eo* 15. *de offic. deleg. cap. licet* 12. *de offic. ordin.* — (4) *in reg.* XVIII. *Cancell. de non tollendo ius quaesitum.* — (5) Io. Bapt. Rigant. *tom.* 2. *in eamd. reg.* — (6) Coram Duran. *decis.* 56. num. 3., et coram Omanna *in Salernitana iurispatr.* 23. *Iunii* 1704 §. *haud relevante.*

(7) *Alleg.* 100. *num.* 52, *et* 53.

CAP. XXII.

DE INSTITUTIONIBUS.

I. Pro libera collatione accipitur quandoque institutio.
II. Sed magis proprie usurpatur pro significanda concessione beneficii patronalis ad praesentationem patronorum.
III. Ordinationis vox olim pro institutione adhibebatur.
IV. Cuiacius institutionem pro missione in possessionem perperam sumit.
V. Quod ad Episcopum insitutio est necessaria, collatio autem arbitraria.
VI. Si alteri, quam a patronis praesentato, beneficium concesserit Episcopus, concessio irritanda est, sed non irrita ipso iure habetur.
VII. Institutio irrevocabilis est, postquam legitime facta sit, praevia edictorum affixione.
VIII. Sine auctoritate Episcopi in beneficiis etiam regiae praesentationis, vel sine praesentatione patronorum institutio non est legitima.
IX. Vicarii generales Episcoporum de iure possunt instituere praesentatos, non autem conferre beneficia libera.
X. Et in gradu appellationis etiam Metropolitani, et Rota Romana instituunt.
XI. At iudices delegati post latam sententiam in iudicio institutionis ad Ordinarium collatorem remittunt personam instituendam.
XII. Tam ad Episcopos, quam inferiores locorum Ordinarios pertinet facultas instituendi.
XIII. Etiamsi apud Sedem vacaverint beneficia iuris patronatus, ad Ordinarios, non ad Papam spectat institutio.
XIV. Quum nulla reservatio afficiat beneficia de iurepatronatus laicali.
XV. Secus de ecclesiastico patronatu, nisi aliter cautum sit in fundatione
XVI. In multis tamen casibus beneficia patronatus laicalis a Sede Apostolica conceduntur.
XVII. Caussae beneficiales tam inter praesentatos, quam inter patronos etiam laicos in foro ecclesiastico Dioecesani diiudicantur.
IXVIII. Praeterquam de patronatu regio, vel baronali, vel universitati bonorum adnexo.

XIX. Dissentientibus in praesentando patronis, praesentatus a maiori parte illorum debet institui, si fuerit idoneus.

XX. Si autem maior pars indignum scienter praesentaverint, praesentatus a minori tunc recte instituitur.

XXI. Ob ignoratam vero indignitatem praesentati, ad novam praesentationem expectantur patroni intra quatuor, vel ses menses.

XXII. Maior pars putatur, inspecto numero personarum.

XXIII. In electionibus canonicis non solum maior, sed sanior pars attenditur.

XXIV. In beneficiis non curatis maior pars praesumitur ipso iure sanior: secus in curatis.

XXV. In paritate vocum datur locus gratificationi.

XXVI. Gratificaturus autem Episcopus praeferat Compatronum, et consanguineum fundatoris extraneo.

XXVII. Neglecta consanguinitate praesentantium a fundatoris sanguine non descendentium.

XXVIII. Praeferat quoque praesentatum privative praesentato cumulative.

XXIX. Eumque, cui data sit vox pinguior.

XXX. Rigantii doctrina explicatur super pinguiore voce heredis pro maiore quota hereditatis.

XXXI. An praesentatus vero patrono praeferri debeat praesentato per quasi possessorem?

XXXII. Cives praeponantur exteris.

XXXIII. Servientes Ecclesiae.

XXXIV. Alumni etiam Seminariorum.

XXXV. Docti, et litterati.

XXXVI. Maiores in ordine, gradu, aetate.

XXXVII. Clerici laicis.

XXXVIII. Nobiles, et pauperes ignobilibus, et divitibus.

XXXIX. Qualitates eiusmodi recensentur in Reg. XVII. *regnantis Pontificis.*

XL. Melior inter praesentatos diiudicandus non simpliciter, sed ex circumstantiis.

XLI. Pensionem uni, et beneficium alteri contendentium praesentatorum potest Episcopus concedere.

XLII. Lite post quatuor, vel sex menses indecisa, Episcopus hodie conferre nequit.

XLIII. Ad instituendos praesentatos a patronis nullum spatium Episcopo praefixum est.

XLIV. Patronis autem negligentibus praesentare si Episcopi intra sex menses non conferant, devolvitur collatio ad Superiorem.

XLV. Episcopi non iure devoluto, sed ordinario conferunt ob negligentiam patronorum.
XLVI. Rex etiam possidet nonnulla beneficia regii patronatus per collationem, non per institutionem.

I. Generatim, et large si accipiatur vocabulum institutionis, eodem quaevis concessio beneficii sive liberae collationis, sive de iurepatronatus significabitur: quo sensu Bonifacius VIII. (1) *beneficium*, ait, *ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri. Sicque accipitur passim* (2).

II. Verum notione stricta significat peculiariter confirmationem, atque admissionem praesentati, vel electi ad beneficium iurispatronatus per canonicas bullas Episcopi, vel Summi Pontificis continentes mandatum capiendae possessionis. Hinc eleganter Bonifacius VIII. (3) collationem ab institutione distinxit, inquiens: *Etsi Capitulum Sede vacante, beneficia, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit: praesentatus tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quae fuerint praesentati: licet ad Episcopum, si superesset, admissio, et institutio huiusmodi pertineret.* Originem fortasse habuit in re nostra notio institutionis aevo Iustiniani Imperatoris, qui (4) ad Mennam Constantinopolitanum Archiepiscopum, et Patriarcham rescripsit aedificatoribus Ecclesiae, vel dotatoribus volentibus aliquos clericos in ea *statuere*, potestatem non esse quos volunt, *deducere* Archiepiscopo ad ordinandos, sed ad examinandum, qui opportuni, et Dei ministerio digni videbuntur. Olim Episcopus nominatum a fundatoribus *consecrare* manuum impositione, et *ordinare* dicebatur χειροτονεῖσθαι, in Novellis praesertim Iustinianaeis, quem nunc *instituere* dicitur. Nam Iure antiquo titulus Ecclesiae, et concessio praebendae una cum ecclesiasticis Ordinibus dabatur.

III. Itaque vox institutionis non continebit solum, ut Cuiacio visum est, missionem in possessionem: quem fortasse movit auctoritas Innocentii III. (5) rescribentis, quod *institutio corporalis tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus ad Archidiaconum ipsum debeat pertinere*, nimirum installatio, seu collocatio, et positio in sede, ut idem Pontifex expressit (6). Quod fieri quotidie conspicimus per altaris osculum, campanarum pulsationem, ianuae contactum, et aperturam, per deambulationem in Ecclesia, genuflexionem, et brevem orationem, per oculorum inspectionem, per acceptionem annuli, ceterasque similes functiones, quae in Ecclesia corporaliter fiunt vel per ipsum provisum principalem, vel per eius procuratorem specialem.

IV. Haec enim *corporalis* institutio maxime differt ab institutione *simplici*, et *canonica*, quae non possessionem facti, seu corporis in

(1) *In cap. 1. de reg. Iur. in VI.* — (2) *In tit. 7. lib. 3. decretalium de institutionibus.* — (3) *In cap. 1. de instit. in VI.*
(4) Nov. LVII. *cap. 2.* — (5) *In cap. ad haec 7. de off. Arch.* — (6) *In sequ. cap. ut nostrum 9. eod. tit.*

Ecclesia praesentati, sed ius quidem accipiendae possessionis in beneficio remoto tribuit: non aliter quam *investitura*, quo nomine appellata etiam est ab Innocentio III. (1) *Ipso vero die investiturae* (ait) *possessionem praebendae habuit, ita quod recipit stipendia, et in officio ministravit.* Itemque a Ioanne Papa (2), qui rescripsit: *ut amodo Ecclesiae monachis traditae per suos sacerdotes instituantur, divinae enim leges habent et saeculares, ut cuius est possessio, eius fiat institutio: et si in dando, quod maius est, facilis fuit charitas; sit facilior in concedendo, quod minus est sancta largitas. Maius enim fuit possessionem dare, quam sit investituram concedere. . . . deinceps omnibus monachis licentiam dedit suarum Ecclesiarum investitores fieri.*

V. Institutio igitur non ab Ordinarii collatoris voluntate, quemadmodum collatio pendet, sed necessario facienda e t ad favorem illius, qui praesentationem habuerit ab omnibus, vel maiori parte compatronorum, dummodo indignus, et incapax non sit obtinendi ecclesiastica beneficia ob aliquod canonicum impedimentum, ut expositum est supra *in cap. v. de nominat, et praesentat.*

VI. Quare si quis institutus sine praesentatione patronorum fuerit, eius secundum rigorem iuris est institutio irritanda, ut Alexander III. rescripsit Vintoniensi Episcopo (3). *Irritanda* quidem, *non irrita* ipso iure, quemadmodum placuerat olim Concilio Toletano IX. (4), ibi: quod sii spretis (vel superstitibus, ut legunt alii) *eisdem fundatoribus rectores praesumpserit Episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco* (quos iidem ipsi fundatores condiguos elegerint) *ordinari.* Quod ius mutatum in recentiori disciplina, propterea quod adsensus patroni subsequi potest post episcopalem Ecclesiae concessionem pro eadem sustinenda, quatenus posteriori praeferatur institutioni (5).

VII. Sane postquam legitime facta sit institutio, revocari amplius non potest (6), etiamsi ea novis patronis succedentibus, vel etiam Episcopis minime placuerit. Nam Alexandro III. absurdum omnino visum est *ut ad singulas patronorum secundum humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum ordinationes mutentur: et vicissitudines Ecclesiarum ab advocatis, vel aliis praesumantur* (7). Quod firmatur etiam ratione superius tradita *cap.* XXI. *num.* XXI. Legitima autem institutio requirit praeviam edictorum affixionem, qua citentur omnes interesse habentes (8). Qua expleta citatione, non poterunt absentes, aut negligentes patroni post lapsum terminum infirmare institutionem; secus

(1) *Lib. 2. ep. ad Abbatem S. Eucarii.*
(2) *In epist. ad Siracusanum Episcopum in can. visis litteris* XVI. *qu.* 2.
(3) *In cap. illud praetereundum 8. de iurepatr.* — (4) *In can. decernimus* 32. XVI. *qu.* 7. — (5) *Cap. suggestum* 20. *de iure patr.* Rigant. *ad reg.* 42. *Cancell. num.* 58. *tom.* 3. — (6) *Cap. Consultationibus cum concor. de iurepatr.*
(7) *Cap. querimoniam* 9. *de iurep.* — (8) Rot. post *alleg.* 40. Pitonii *de contr. patr. num.* 27., iuxta formam supra expositam cap. XVII. *num.* 22.

si eos citatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit institutio, nisi consenserint in eam ob bonum pacis (1).

VIII. Eorum itaque institutio stare debet ceu canonica, et irrevocabilis, qui auctoritate proprii Episcopi post legitimam praesentationem patronorum sint instituti: non enim licet laicis patronis clericos in Ecclesiis praesumptione propria ordinare (2). Neminique licet possessionem Ecclesiae, vel beneficii ingredi auctoritate propria vigore cuiusvis praesentationis, aut privilegii, sed eam auctoritate Episcopi accipiat: etiamsi ad regism pertineat nominationem, ex supradictis *cap.* III. *num.* XIII. Nec etiam viris religiosis, quibus a Sede Apostolica fuerit indultum, ut Ecclesias suas in proprios usus convertere possent, decedentibus earum personis, seu beneficiariis: nam rescripsit Alexander III: *quod nisi forte in indulgentia, puta privilegio Summi Pontificis id contineatur expressum, suo Episcopo inconsulto, in possessionem ipsarum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam huiusmodi episcopali iuri non credidit derogari* (3). Et qui monitus non dimiserit, vel resignaverit beneficium sine concessione Episcopali occupatum sola patronorum voluntate, ab officio simul, et beneficio removendus est (4). Quoties autem duae institutiones acciderint, prior, *si cum adsensu patroni, et auctoritate Dioecesani Episcopi facta est, posteriori concessioni praeferetur: alioquin illa debet praeferri, quamvis posterior, quae consensu patroni, et Episcopi auctoritate fulcitur* (5).

IX. Hinc sine consensu Episcopi Dioecesis, vel Officialium suorum (qui hoc de iure possunt) clerici beneficia recipere, et occupare non possunt (6). Officiales autem dicuntur Vicarii generales, quibus Episcopi committunt vices suas, qui possunt instituere vice Episcoporum, ut ibidem notat Glossa, et servatur in praxi: tametsi non possunt beneficia liberae collationis providere sine speciali mandato Episcopi sui. Eoque magis institutio fieri valet per Vicarium Capitularem Sede vacante (7).

X. Et ubi lis inter praesentatos de institutione contendentes ad Metropolitanum, vel Romanam Curiam, Rotamque speciatim devolveretur, institutio tam a iudice Metropolitano, quam a Rotae Auditorio fit, quae succedit in locum Ordinarii (8).

XI. Iudices tamen Commissarii, seu Delegati ad deficiendam inter praesentatos litem super institutione, haud possunt instituere, sed post latam sententiam, remittere debent ad Ordinarium instituturum eos, qui sunt instituendi (9).

XII. Quamvis vero in casu fundationis, aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reservari debet iuxta decretum

(1) *Cap. quod sicut* 28. *de elect.* — (2) *Cap. cum laici* 10. *eod.* 21.
(3) *Cap. pastoralis* 19. *de privilegiis.* — (4) *Cap. relatum tit. de iurep.*
(5) *Cap. suggestum* 20. *eod. tit.*
(6) *Cap. ex frequentibus* 3. *de instit.* — (7) *Ex cap.* 1. *de institutionibus in* VI. — (8) Clem. *Auditor de rescriptis*, Piton. *alleg.* 22. *num.* 34.
(9) *Cap. super eo de offic. delegat.* Mantic, *dec.* 211. *num.* 3.

Tridentinum (1): nihilo tamen minus ad inferiores etiam Praelatos eam pertinere posse compertum est ex eodem Tridentino (2). Quapropter in praxi Abbates, aliique Praelati ordinariam habentes iurisdictionem, beneficia ecclesiastica nedum per institutionem, sed per collationem quoque liberam provident. Eademque facultate instituendi potitur magnus Magister Militiae SS. Mauritii, et Lazari, vigore privilegiorum ei indultorum a S. Pio V., Gregorio VIII; Clemente VIII; et tandem a Benedicto XIV. (3).

XIII. Institutio quidem ad beneficia patronatus, tam laicalis simpliciter, quam mixti ex qualitatibus ecclesiastica, et laicali, etiamsi apud Sedem Apostolicam, et in Curia intra duas dietas, aut in mensibus Apostolicis vacaverint, per obitum eorum, quorum beneficia Sedi Apostolicae reservata sint, vel Iure communi, vel extravagantibus Constitutionibus, vel Regulis Cancellariae, eorum institutio non ad Papam utique, sed ad Ordinarios spectat, ex receptissima sententia, quam usu vigere tradit Rigant (4).

XIV. Sunt enim beneficia patronalia laicorum exempta a quibusvis reservationibus non modo Regularum Cancellariae, sed etiam clausis in Corpore Iuris (5).

XV. Beneficia tamen de iurepatronatus ecclesiastico maxime obnoxia sunt reservationibus apostolicis etiam Regularum Cancellariae, ut patebit ex infra dicendis *cap.* XXIII.: tametsi papali. Sede vacante patroni etiam ecclesiastici possunt praesentare, suoque patronatus iure uti in mensibus etiam apostolicis, non obstantibus Cancellariae regulis quod arguit Rigante (6): quia reservationes discontinuae cessant ob mortem Pontificis (7).

XVI. In multis tamen casibus beneficia patronatus laicalis a Sede Apostolica conferentur, de quibus in *seq. cap.* XXII. opportunius dicam.

XVII. Ex hactenus dictis facile intelligitur caussas beneficiales super institutione praesentatorum ad Ecclesias, et beneficia de iurepatronatus etiam laicali ad forum privative ecclesiasticum illius Dioecesani Episcopi, vel Ordinarii pertinere, cuius est potestas spiritualis instituendi, tam si praesentati solummodo contendant de institutione, quam si patroni etiam de pertinentia, aut existentia patronatus litigent. Exploratissima enim est regula Iuris, quod iudex competens in caussa principali omnes incidentes in ea quaestiones cognoscere, et definire de-

(1) *Sess.* 14. *de reform. cap.* 12. — (2) *Sess.* 25. *cap.* 9. *de refor.*
(3) Per litteras in forma Brevis datas x. Kal. Sept. 1744., et vulgatas *tom.* 1. *Bullarii constit.* 104.
(4) *Tom.* 1. *in reg. Cancell.* §. 1. *num.* 328., *et* 329., ubi citat. Coccinum. *dec.* 1343. *num.* 6., *et* 7. Lotter. *lib.* 2. *qu.* 8. *num.* 8. Pirhin. *in Ius Can. tit. de praeben. num.* 324., et Covarr. *pract. qu. cap.* 36. *num.* 5. — (5) Card. de Luca *de iurep. disc.* 55. *num.* 24. Molin. *tom.* 2. *dec.* 542. *num.* 20, Gl. *in cap.* 2. *de praeb. in* VI. *ver. collatio.* — (6) Ex *cap. si apostolicae* 36 *de praeb. in* VI. *Proem. ad comm. Reg. Cancell. tom.* 1. *num.* 68. — (7) *Tract. de beneficiis cap.* V. *num.* 38., *et* 39.

beat (1). Quaestionesque super iure praesentandi ita coniunctae sunt caussae institutionis ad beneficium ecclesiasticum mere spiritualis, quod nonnisi ecclesiastico iudicio debeant definiri (2).

XVIII. Scitissimum est iuspatronatus quidem non esse quid spirituale, quippe quod laici quasi possident, et exercent, donant, legant, ac transferunt in heredes, ac successores cum universitate bonorum, aliisque titulis tam inter vivos, quam caussa mortis. Sed canones, leges, et mores qua communes, qua municipales, ob connexionem patronatus temporalis cum institutione spirituali remiserunt ecclesiastico iudicio controversias quoque patronorum preambulas institutionibus beneficiariorum: exceptis solummodo caussis patronatuum regiorum, vel adnexorum feudis, et universitati bonorum (3).

XIX. Definiturus itaque loci Ordinarius quaestiones beneficiarias, quoties patronorum suffragia in pluribus, ac diversis personis praesentandis divisa cognoverit, instituere debet praesentatum a maiori parte compatronorum, iusta regulam Concilii Lateranensis sub Alexandro III. (4) commemoratam in superiori *cap.* XV. *num.* XXII. Igitur, ut cecinit Prudentius (5):

Servemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.

Nec interest, utrum duo solum praesententur, an plures: nec utrum maior pars praesentantium concordium respondeat uni tantum parti minori, an singulis minoribus partibus, quae minores simul iunctae unam maiorem excedant. Si enim ex decem compatronis non collegialiter, sed singulari praesentantibus quatuor primum, tres secundum reliqui tres tertium praesentaverint, primus erit instituendus, quoniam quatuor pro eodem vota ternis secundi, ac tertii praesentati suffragiis separatim maiora sunt, licet minora coniunctim (6). Secus tamen dicendum de praesentationibus plurimum collegialium. Gregorius enim IX. Capitulo Cumano rescribens (7), utramque electionem Archipresbyteri, et Archidiaconi in Episcopum Cumanum irritavit, propterea quod neutram comperiit ad maiorem totius Capituli partem pervenisse. Nam maior pars personarum totius Collegii spectanda est, contempta omnino parte minore: adeo ut, si rite congregato Collegio, decem collegiales interfuerint, sex eorum concordes constituant partem maiorem, et praesentationem expleant, etiamsi reliquorum sex collegialium quatuor alium praesentarent (8).

XX. Verum si Episcopus eum, cui maior patronorum numerus suffragatur, uti indignum respuerit, institutionem deberi praesentato a mi-

(1) *L. quoties* 3. *Cod. de iudic. l. ult. Cod. ubi., et apud quem cognitio.*
(2) *Cap quanto* 3. *de iudic. cap. praeterea de transact. et cap. de iure vero* 16. *de iurepatr.*
(3) Ex lege Concordatorum ann. 1741. *cap.* 6. *art.* 4. superius allegata *cap.* 2. *num.* 4., et 5. — (4) *In cap. quoniam de iurepatr.* — (5) *Lib.* 1. *contra Symmachum.* — (6) Gonzal. *in dict. cap. quoniam num.* 2., et Fagnan. *ibid. n.* 15. — (7) *In cap. Cumana Ecclesia* 50. *de elect.*
(8) Lambertin. *lib.* 2. *de iurepatr. par.* 3. *qu.* 4. *art.* 4. Gonzal., et Fagnan. *ibid.*

*

nori parte idoneo, generatim adfirmant Doctores, Quandoquidem Gregorius IX. (1) rescripsit Cantorem Niverneusis Ecclesiae electum Episcopum a minori parte Capituli confirmandum esse, dummodo repertus fuisset idoneus, excluso Decano per maiorem Capituli partem electo, utpote indigno. Idemquo mandavit Innocentius III. (2). Haec nihilominus sententia vix locum obtinebit, dum scienter indignum nominaverint patroni, quos eo casu excidere iure suo aequum est (3).

XXI. Quoties vero indignitatem presentati penitus ignoraverint patroni maiorem partem constituentes, admittere eos debet Episcopus ad alium idoneum praesentandum, praesertim si laici sunt (4). Nam fere sine scandalo sortiri nequit effectum suum institutio praesentati a parte minori: eamque ob rem Antistes Ecclesiam ordinabit, institutionemque faciet, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam, ex consilio laudatae Lateranensis Synodi sub Alexandro III. *in d. cap. quoniam*, hoc est patronorum novam expectabit praesentationem personae idoneae intra quatuor menses: et etiam post eosdem lapsos, ubi patroni protestationem praemiserint contra cursum temporis. Quin etiam ecclesiastici ad novam praesentationem admittentur, dummodo semestre non effluxerit (5): ubi ratam habuit constitutionem Synodi dioecesanae Pampilonensis definientem non praesentato quidem a minori parte patronorum institutionem dari, sed novam expectari praesentationem omnium patronorum, qui indignum nominaverint.

XXII. Ceterum in nominationibus, et praesentationibus beneficiorum ad Ecclesias etiam curatas, ubi maior pars patronorum laicorum praesentaverit idoneum, maior eiusmodi pars attenditur, inspecto dumtaxat numero personarum ex rationibus iam adductis (6). *Facilius namquee invenitur, quod a pluribus senioribus quaeritur* (7).

XXIII. In electionibus autem ecclesiasticis secundum canones copulative requiritur, et maior, et sanior pars eligentium, quatenus dignior praesentetur, etiamsi maior pars praesentantium non consenserit in eum, quae tunc inferior, et quae minor respectu iudicii putatur ex supra expositis *dict. cap. xv. num.* 24. Quemadmodum qui maior est in honore, iustior non est, sed qui iustior est, ex divo Chrysostomo (8): *Cum igitur in cunctis Ecclesiis, quod pluribus, et sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari*, Concilium Lateranense III, sub Alexandro III. (9) decrevit: *ut nisi a paucioribus, et inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit, et ostensum, appellatione remota, praevaleat semper, quod a maiori, et saniori*

(1) *In cap. congregato* 54. *de elect. Episcopo Silvanecten.*
(2) *Decretali ad Episcopum Praenestinum in cap. dudum* 22. *eod. tit.*
(3) Ex dictis in superiori *cap.* XX. *n.* XVII., *et seq.* — (4) Vallen. *ad tit. de iurep.* §. 5. Barbos. *in cap. cum autem n.* 5. *de iurep.*, et textus Inn. III. laudatus supra *in cap.* XX. *n.* XVIII. — (5) Pirhing. *ad tit. de iurepatr. num.* 104., et Bened. XVI. *lib.* 7. *de Syn. dioec. cap.* 70. *num.* 6. qui haec firmavit auctoritate Rotae Romanae *dec.* 125., *et* 1105. *coram Coccino.*
(6) *In cap. xv. num.* 22., 26., *et* 27. — (7) *Can. de quibus caussis dist.* 20. — (8) *In can. multi* 12 *dist.* 40. — (9) *In cap.* 1. *de his quae fiunt a maiori parte Capituli.*

parte Capituli fuerit constitutum. Pariter Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. praescribens formam canonicarum electionum mandavit, *ut is collatione habita eligatur e in quem omnes, vel maior, et sanior pars Capituli consentit. Itaque in ordinatione Praepositi ille constituatur, quem sibi omnes concors Congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars Congregationis (quamvis parva) saniori consilio elegerit* (1). Quem canonem Paleae inscriptum, atque in vetustioribus Gratiani codicibus desideratum, Romani Correctores notant esse desumptum *ex cap.* LXIV. *regulae divi Benedicti.*

XXIV. Quoniam vero lex ista praeponendi saniorem, licet minorem Collegii partem in electionibus quotidiana dissidia caussabatur, ut liquet ex voluminibus decretalium *sub tit. de electionibus, ob publicationem* suffragiorum coram tribus scrutatoribus, et collationem meriti ad meritum inter electos, et zeli ad zelum inter electores fieri solitum temporibus Concilii Lateranensis, ut censet Gonzalez (2), usus deinde invaluit emittendi suffragia secreta per schedulas; praesertim post Tridentinum Concilium, quod districte praecipit electiones per vota fieri debere, ita ut eligentium nomina numqnam publicarentur (3). Exinde factum est, ut exoleta publicatione suffragiorum, et collatione meriti, atque zeli, sanior ipso iure praesumatur hodie pars numero maior tam eligentium, quam praesentantium ecclesiasticorum, ubi persona idonea eligatur, vel praesentetur ad beneficium sine cura animarum, nullusque reclamandi locus detur minori parti eligentium patronorum, etiamsi digniorem praesentaverint. Quidquid aliter sit de beneficiis patronalibus cum animarum cura, ad quae digniorem praeeligere debent patroni ecclesiastici, ex supradictis *cap.* XX. *num.* 21.

XXV. Singuli praesentatorum si aequalia patronorum vota sortiantur, datur Episcopo facultas gratificandi, puta instituendi ex pluribus praesentantis aeque idoneis eum, quem ipse maluerit. *Nam illud durum est dicere, si, quum duobus beneficium conferre non possit Episcopus, eligit alteri conferre, electione iniuriam alteri intulisse :* quemadmodum Ulpianus censuit nullum crimen electione servum contraxisse, qui uni dominorum auxilio fuit, quum ambobus in vitae discrimine positis auxilium ferre non potuit (4). Qua ex lege regulam Iuris deduxere Doctores, *in re pari locum esse gratificationi.* Eodemque iure si duos patronus laicus praesentando cumulaverit, quis eorum alteri praeferatur, *iudicio* Episcopi credidit relinquendum Lucius III. (5). Quia in paritate vocum neuter praesentatorum ius quaesitum habet ad institutionem (6).

XXVI. Aequitatem Iuris nihilominus sequi debet in gratificando Episcopus, suoque arbitrio uti, non abuti, tamquam aequus, et bonus vir. Ut enim S. Leo ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scripsit : *si forte vota eligentium in duas se diviserint partes, Metropolitani*

(1) *Ex can.* 14. *dist.* 16. — (2) *In cap.* 57. *de elect. num.* 7.
(3) *Sess.* 25. *de regular. cap.* 6. — (4) *L. si quis in gravi* 3. §. *si cum omnes* 4. *D. Silanianum. ad* — (5) *In cap. cum autem* 24. *de iurepatr.*
(6) Piton. *alleg.* 52. *num.* 15. le Roye *ad cap.* 24. *de iurep.*

iudicio, is alteri praeferetur, qui maioribus et studiis iuvatur, et meritis (1). Proinde *grave nimis est, et absurdum, quod quidam Ecclesiarum Praelati, quum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur,* ex sanctione Concilii Lateranensis sub Innocentio III (2). Qua de re merito conquestus est divus Hieronymus Praelatum Ecclesiae aliquando constitui non consilio Dei, sed secundum pravum cor nostrum (3). Et S. Gregorius Nazianzenus, vulgo Theologus in apologetico: *heri sacrorum direptores* (ait), *hodie Sacerdotes: heri a sacris alieni, hodie sacrorum Principes: veterani militia, tyrones pietate, beneficio humanae gratiae, non spiritus.*

Compatronum, et consanguineum fundatoris proinde praeferat extraneo Episcopus gratificaturus, (4) ob remunerationem sanguini eorum, qui fundaverint Ecclesias, debitam, expositamque supra (5). Atque inter plures consanguineos proximiorem anteponat remotiori, ex auctoritatibus adductis (6). Itemque coniunctum ex utroque latere paterno, et materno unius lateris consanguineo (7).

XXVII. At vero consanguineus patroni praesentantis titulo officii, aut dignitatis, non iure familiae, vel hereditatis, aut descendentiae fundatoris nullum ius habet ad postulandam gratificationem (8). Quemadmodum nec aliquis compatronorum de Universitate, ad quam medietas patronatus pertineat, sine qualitate praedilecti sanguinis fundatorum (9). Quam exceptionem firmasse videtur Innocentius III. (10) dum suspectam habere dixit petitionem laicorum, si consanguinitate, vel affinitate coniungeretur personae instituendae. Atque divus Hieronymus (exemplo Moysis, qui propriam dignitatem filiis, et posteris suis non reliquit, sed extraneum de alia tribu elegit, ut sciremus non sanguini deferendum esse, sed vitae) conqueritur non eos ad ecclesiasticas dignitates promoveri *quos plus conoscant Ecclesiae prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogaverit.*

XXVIII. Praesentatus etiam privative ab uno patrono, qui alios non cumulaturum iuraverit, praeferri debet praesentato cumulative: quia privativa praesentatio pinguiorem habet vocem, quam cumulativa (11).

XXIX. Eademque ratione vocis pinguioris praesentatum ab eo, qui fundavit simul, ac dotavit beneficium, anteponendum esse praesentato per constructorem: itemque praesentatum ab herede in maiori parte hereditatis instituto, advertit ibidem Rigantius *num.* 205., *et* 206.

.XXX. Haec tamen Rigantii doctrina vix locum habebit in patronatu mere familiari, aut gentilitio, in quo in capita praesentant patroni:

(1) *Can. si forte ult. dist. 63.*

(2) *In cap. grave nimis 29. de praeb.* — (3) *Can. audacter* 18. C. VIII. *qu.* 1. — (4) DD. apud Piton. *Alleg.* 52. *num* 13. — (5) *In cap.* 21. *num.* 12. — (6) *Cap.* 2. *num.* 7. — (7) Rigant. *Tom.* 2. *in reg.* XVII. *Cancellar. num* 214. — (8) Rigant. *Ibid. num.* 216. — (9) *Id. num.* 210. — (10) *In cap. tuam* 10. *de aetat., et qualit.* — (11) Rigant. *loc. cit. num.* 207.

ideoque voces duorum fundatoris heredum inaequaliter institutorum aequales habentur de rigore Iuris, tametsi altera pinguior respectu maioris quotae hereditariae locum dare possit gratificationi. Secus autem se res habet in patronatu hereditario, vel mixto, in quo patronorum vota computari in stirpes secundum quotas hereditatis, iam ostendi superius (1), adeo ut heres maiorem quotam sortitus, praesentando det non equalem coheredi quotae minoris vocem, sed maiorem, quae gratificationem excludit, et necessitatem Episcopo infert instituendi praesentatum ab illo.

XXXI. Ubi ad institutionem postulandam duo concurrerint, alter a patrono vero, alter a putativo, et quasi possessore patronatus, uter eorum esset praeferendus, opportune dictum est supra (2).

XXXII. Ceteras qualitates personales in paritate vocum gratificationem moderantes persequi nunc operae pretium est. Rationabili aequitati, et sacrorum canonum institutis consentaneum est, ut cives exteris, et indigenae alienigenis in beneficiorum collatione praeferantur. Curent igitur Episcopi, ut quoad vitae testimonium, et meritorum ratio patitur, semper ad beneficia eiusdem Civitatis, aut Dioecesis respective clerici assumantur, ex decreto Synodi Provincialis Neapolitanae ab Cardinali Cantelmo celebratae (3).

XXXIII. Itidem inservientes Ecclesiae anteferri debent aliis, qui nullum in ea famulatum praestiterint ob debitam laboris remunerationem (4). Quum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes (5). *Habeat*, iuxta epistolam divi Gregorii M. (6), *unusquisque fructum suae militiae in Ecclesia, in qua suam transegit aetatem: in aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter sibi vindicare audeat mercedem*. Tametsi institutionem, et gratificationem extranei tunc non esse irritam animadvertit Glossa (7).

XXXIV. Educatos in Seminario, qui morum, studiorumque laude commendentur, ceteris paribus, praeferendos esse ad beneficia, officia, et dignitates, constitutum est in Synodo Neapolitana Cardinalis Pignatelli (8). Hos enim pueros in Collegio a teneris annis ad pietatem, et Religionem informatos, ex Tridentini Concili decreto (9), Episcopi iuxta eorum aetatem, et progressum in disciplina Ecclesiastica, partim Ecclesiarum ministerio addicere debent, partim collegio erudiendos retinere, ut collegium hoc Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit.

XXXV. Viros itidem literatos ob utilitatem Ecclesiae universalis extollendos esse ad praebendas, canonicatus, dignitates, cautum est sacris canonibus. Nam Concilium generale sub Innocentio III. damnat Ecclesiae Praelatos, qui *ad ecclesiastica beneficia promovent illos*,

(1) *In cap.* x. *num.* 4., *et cap.* xv. *num.* 35. — (2) *In cap.* xix. *num.* 37., *et seq.* — (3) Ann. 1699. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 35.

(4) *Can. miramur* 5. *dist.* 61, Lara *de anniversar.*, *et Capellan. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 19. Garz. *de benefic. par.* 7. *cap.* 9. *num.* 8. — (5) *Cap. fin. de magistris.* — (6) *In can. nullus invitis* 13. *dist.* 61. — (7) Ibidem *Ver. Civitatis*, *et in cap. ne pro defectu* 41. *de elect. ver. ipsius.*

(8) *Tit. de Seminario* §. 13. — (9) *Sess.* 22. *cap.* 18.

quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur (1). Praetereaque sublimes, et litteratas personas maioribus esse beneficiis honorandas statuit (2). *Insuper cum docti in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellae in perpetuas aeternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire: quibus proprii proventus ecclesiastici non sufficiunt, ad necessaria subministranda Praelatos teneri* rescripsit Honorius III. (3).

XXXVI. Constitutos etiam in maiori Ordine, vel clericalis militiae gradu potiores inferioribus in adeptione beneficiorum, et praebendarum, puta presbyterum diacono, hunc subdiacono, et sic deinceps fore habendos rescripsit Gregorius IX. (4). Ut is gradu ceteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire, quemadmodum de ordine militiae saecularis servando iusserunt Imperatores Valentinus, Theodosius, et Arcadius (5). Qua ratione seniorem iuniori praeferendum, scripsit Fargna (6).

XXXVII. Quemadmodum et clericum laico ceterisque opus habentibus dispensatione ad clericatum, vel beneficium obtinendum (7).

XXXVIII. Nobilem ignobili (8). Pauperem, et inopem, eoque magis nobilem depauperatum diviti. Nam *grandis culpa, si sciente et fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, aerumnam perpeti, qui praesertim egere erubescat*, inquit divus Ambrosius (9).

XXXIX. Has, ceterasque id genus qualitates dignum gratificatione ceteris paribus indicantes recenset sapientissimus Papa D. N. Benedictus XIV. (10).

XL. Multum nihilominus praevalet hac in re iudicium Episcopi prudentis, qui personae meliori non simpliciter, sed inspectis circumstantiis gratificationem dispensabit. Nam iuxta monitum divi Ambrosii (11): *perfecta liberalitas fide, caussa, loco, tempore commendatur*. Et S. Thomas (12): *Contingit quandoque* (ait) *aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat: quia aliquis forte potest Ecclesiam magis iuvare vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc. Non enim potest esse, quod Episcopus unum praeferat alteri, nisi propter aliquam caussam. Quae si quidem pertineat ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae, iam quantum ad hoc ille est melior: si autem illa caussa*

(1) *Cap. grave nimis* 29. *de praebendis.* — (2) *In cap. de multa* 28. *eod. tit.* — (3) *In cap. super specula* 5. *de magistris.*

(4) *In cap. statuimus* 15. *de maioritate, et obed.* — (5) *In l. nemo agentium* 2. *Cod. de officio magistri officior.* — (6) *Par.* 2. *can.* 9, *et seq. cap.* 12. — (7) *Vivian. par.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 29. — (8) Lambertin. *par.* 3. *lib.* 2. *qu.* 3. *art.* 2. — (9) *Lib.* 1. *de officiis in can. non satis* 14. *dist.* 86. — (10) *In sua Cancellariae Reg.* XVII. — (11) *In cit. can. non satis dist.* 86.

(12) *Quodlib.* 6. *qu.* 5. *art.* 3.

ad hoc non pertinet, erit acceptio personarum, quae tanto est gravior, quanto in rebus divinis committitur.

XLI. Quandoque pro bono pacis inter plures praesentatos conciliandae potest Episcopus auctoritate ordinaria beneficium alteri concedere, alteri pensionem annuam reservare persolvendam a beneficiario instituto, quoadusque vixerit, non a successoribus beneficiariis (1). Ubi Alexander III. adprobavit, quod iudices commissarii ex arbitraria ipsorum potestate, non ex pactione partium confirmassent unum ex duobus electis ad Prioratum cum obligatione quotannis solvendi viginti libras de redditibus, et quadraginta de proventibus Prioratus in beneficium alterius electi, hoc solum adbibito moderamine, ut non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneret ad eam praestationem onerata, et Priore defuncto, successor ipsius ad eamdem nullatenus teneretur. Hoc excepto casu non potest Episcopus beneficiarium instituende pensione onerare, ex regula rubricae Decretalium, *ut beneficia sine deminutione conferantur.* Sed solum Romani Pontifices reservant pensiones.

XLII. Ceterum lite pendente inter praesentatos, tam si adhaeserint, nec ne praesentantes, quae ultra quadrimestre perduraverit, non permittitur Episcopo beneficium libere conferre (2). Ubi laudatur Synodus Oxoniensis (3), quae cavit, ut, lite indecisa post quatuor menses, *Episcopus nulli Ecclesiam illam conferat pro hac vice, nisi de utriusque patroni consensu, ne saltem aliquod praeiudicium alteri patronorum videatur generari, si postmodum evicerit iuspatronatus.* Idque optimo iure nititur: lis enim protracta impedit, quominus alterum cumulando praesentent patroni, quibus propterea impeditis currere non debet terminus ad praesentandum, ex supradictis (4). Hinc intelligere licet in desuetudinem abiisse, vel contraria consuetudine abrogatas constitutiones Alexandri III. (5), quibus Episcopo data erat facultas ordinandi personam idoneam in Ecclesia, si quaestio patronatus intra quatuor, vel sex menses non definita fuisset. Ad horum textuum explicationem videantur, quae dixi (6). Consuetudinem istam probasse videtur novissima Concordata *an.* 1741. *cap.* IV. *art.* 6. Nam inibi cautum legitur tam praesentatos clericos, quam laicos simpliciter nominatos intra quadrimestre sese coram Ordinario sistere debere: idque satis esse laico nominato ad litem prosequendam super institutione, nonnisi post finitam caussam concedenda victori. Quando autem tempore lis definienda foret, nihil dictum in Concordatis.

XLIII. E re nata si quaeres, an Ordinariis praescriptum sit spatium temporis ad instituendos praesentatos sub poena devolutionis? Respondeo negative iuxta receptam conclusionem Abbatis (7). Quoties enim

(1) *Cap. non essent* 21. *de praebendis.*
(2) Wan-Espen. *par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 5. *num.* 46. — (3) Ann. 1222. *can.* 5. — (4) *Cap.* XVII. *num.* 13., *et seq.* — (5) *In cap. quoniam,* 3., *et cap. eam te decet* 22. *de iurepatr.*
(6) *In cit. cap.* XVII. *num.* 3., *et seq.*
(7) *In cap.* 2. *de concess. praeb., et cons.* 28. *num.* 2. *part.* 2.

patroni intra legitima tempora rite presentaverint, Episcopus, et quilibet Ordinarius collator nullo iure arctatur ad explendam institutionem intra aliquot menses, eamque si distulerit diutissime ultra sex etiam menses, non devolvitur ad Metropolitanum, neque ad Papam facultas instituendi (1). Praesentatus enim non debet ob alienam negligentiam sine culpa sua privari iure quaestio ad obtinendam episcopalem institutionem, nec subire onus adeundi Sedem Apostolicam cum dispendio haud modico.

XLIV. Dum vero patroni praesentare intra tempus iure praefixum neglexerint, Episcopus liberam beneficii collationem faciet intra sex menses ex decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III. (2). Quibus elapsis, facultas conferendi ipso iúre devolvitur ad Metropolitanum, et gradatim ad Papam (3).

XLV. Ob negligentiam itaque patronorum intra legitima tempora non praesentantium Episcopus confert *non iure* quidem *devoluto*, sed *ordinario* : dici enim non potest ad Episcopum devolvi a patronis negligentibus facultatem instituendi, vel conferendi, quam ii non habebant umquam : sed solummodo eximitur a servitute, vinculoque praesentationis provisio Episcopi ordinaria (4). Ab inferiore autem Collature ad Superiorem recte datur gradalis devolutio, de qua *in seq. cap.* XXVI.

XLVI. Collationi beneficiorum de iurepatronatus privatorum locum dat sola negligentia patronorum, sed in patronatibus regiis sine aliqua Principum negligentia saepe usuvenit collatio pro institutione. Plura enim beneficia, quae ad regiam pertinet collationem, Rex D. N. iure plenario confert, vel ex privilegio Sedis Apostolicae, vel ex immemorabili consuetudine, quemadmodum et aliorum Regnorum Principes. De quo plura dicta sunt *in tract. de beneficiis cap. VII. num.* V, *et seq.*, atque in hocce *tract. cap. III. num.* XIII. Talia beneficia regiae collationis profana potius, et saecularia, quam spiritualia, et ecclesiastica esse putavit Molinaeus (5). Sed illum iure merito refellit Ludovicus Thomassinus (6), et Wan-Espenius (7). Qui rectius opinantur eadem patronatuum regiorum beneficia primitus fuisse temporalia officia, et ministeria in Oratoriis Principum arbitrio ipsorum sine auctoritate episcopali fundata, et clericis ad nutum amovibilibus plerumque concessa : sed labente tempore sensim transivisse in bene-

(1) Rot. *dec.* 316. *num* 9. coram Ubaldo, *et dec.* 365. *num.* 10. coram Lancetta, Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 191. Piton. *alleg* 87. *num.* 14., et Rigant. *ad reg.* 42. *Cancell. nu.* 12. *tom.* 3. — (2) *In cap. nulla* 2. §. *cum vero de concess. praeb. cap.* 41., *et ult. de elect.*, *et cap. quamquam de elect. in* VI. — (3) *Cap. licet* 3. *de supplen. neglig. Praelator.* *et cap. quia diversitatem de concess. praeb.* Quod expositum fuit *in tract. de beneficiis cap.* VIII. *num. VII.*

(4) Le Roye *in prolegomenis cap.* 28., et Wan Espen. *par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 5. *num.* 25, quidquid aliter scripserit Rigantius *ad reg.* 42. *Cancellar. num.* 13. *tom.* 3. — (5) *Ad reg. de infirm. resignant. nu.* 186. — (6) *Par.* 4. *lib.* 2. *cap.* 22. *nu.* 12. — (7) *Par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 9. *num.* 11.

ficia vere ecclesiastica, et perpetua, salvo iisdem Principibus primaevo iure collationis liberae.

CAP. XXIII.

DE DEROGATIONIBUS PATRONATUS ET PROVISIONIBUS PONTIFICIIS.

I. Derogari patronatui idem significat, quod deminuere iuri patronorum.
II. Derogatio aut specialis, aut generalis est.
III. Derogationem quamlibet vetuit Synodus Tridentina.
IV. Ob id Episcopi omnino destituuntur facultate derogandi.
V. At Summus Pontifex tam generali constitutione, quam speciali provisione potest iuribus patronorum derogare.
VI. Pontificiae derogationes, et reservationes in ecclesiasticis patronatibus usuveniunt.
VII. Nisi aliter in fundatione cautum sit.
VIII. Laicorum vero patronatus Sedis Apostolicae derogationibus, ut plurimum non subiacent.
IX. Idem dicendum est de patronatu mixto, aut ex privilegio oneroso.
X. Medietati patronorum Papa passim derogat.
XI. Et haec derogatio non subiacet Regulae de verisimili notitia.
XII. Quia huius derogationis gratiam obtinuerit, debet intra quatuor, vel sex menses exhibere nominationes medietatis patronorum.
XIII. Eorum scilicet, qui fuerint in quasi possessione praesentandi, sine respectu ad litigantes super pertinentia patronatus.
XIV. Effluxo tempore ad praesentandum, Papa etiam confert beneficia patronalia.
XV. Quandoque item derogat maiori parti compatronorum favore compatroni.
XVI. Pariter vacantia apud S. Sedem, vel in Curia per obitum libere confert.
XVII. Aut per promotionem ad Episcopatum.
XVIII. Aut per decretum cum clausula irritanti in provisione beneficii incompatibilis.
XIX. Solus enim Papa indulget retentionem beneficiorum incompatibilium.
XX. Litigiosa quoque beneficia conferuntur a Summo Pontifice cum derogatione patronatus.
XXI. Ab eoque solum adprobantur resignationes in favorem certae personae cum consensu patronorum.
XXII. Aut cum reservatione pensionis.
XXIII. Etiamsi resignentur beneficia regii patronatus.
XXIV. Quid si ea permutentur?
XXV. Collationes pontificiae beneficiorum cum derogatione patronatus consentientibus patronis exequutioni demandantur.

XXVI. Pariter derogationes qualitatibus Sacerdotii, aliisque a fundatore volitis.
XXVII. Pontificiae constitutiones quae solummodo res spirituales, vel personas beneficiariorum tangunt, maxime observantur.

I. *Derogatio* legis apud Iureconsultos idem plerumque sonat, quod aliquam legis partem detrahere, vel minuere: *abrogatio* vero totam legem tollere, et enervare. Id ex illis Tullii verbis (1) intelligimus: *indignum est* (ait) *de lege aliquid derogari, vel legem abrogari.* Similiter in re beneficiaria derogatio patronatus nil aliud est, nisi per pontificiam constitutionem generalem, vel provisionem particularem iura patronorum deminuere, et infringere.

II. Quae duplex est, *specialis* nimirum, et *generalis*. Derogatione *speciali* confertur beneficium de iurepatronatus sine patronorum vel omnium, vel partis eorum consensu pro illa vice dumtaxat, facultatem nominandi, et praesentandi eis pro futuris vacationibus reservatur, vel etiam alicui destituto qualitatibus, aut ordinibus per fundatorem in persona beneficiarii requisitis. *Generalis* autem derogatio dicitur, et continetur in extravagantibus constitutionibus pontificiis, et decretis, et regulis Cancellariae, quae iuribus patronorum adversantur contra Iuris communis, vel consuetudinarii regulas.

III. *Siculi legitima patronorum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum constitutione violare non est aequum*, iuxta Tridentinum (2), *sic ratio postulat, ut quando ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates, aliaque requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur; sed id quidem observetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus, nihil in nulla provisione detrahatur, et aliter facta provisio subreptitia censeatur*, ex eodem Trideutino (3).

IV. Ordinariis locorum idcirco nulla omnino potestas derogandi competit iuri praesentandi, aliisque in fundatione constitutis legibus, vel qualitatibus, nec tollendi umquam ius alicui quaesitum. Quod enim Iure publico statutum est, privatorum arbitrio derogari minime potest (4), nec generalem canonum constitutionem valet inferiorum auctoritas immutare (5). Collationes ideo, et provisiones Episcoporum, aliorumque Prelatorum, spretis patronis, per Superiorem revocandae sunt (6). Nisi factae sint iure devoluto ob lapsum temporis, vel ob incapacitatem indigni praesentati, vel ob deficientem existentiae, vel pertinentiae patronatus probationem.

V. De Summo tamen Pontifice secus dicendum, qui absolutam, supremamque potestatem habens dispensandi sacris disciplinae canonibus,

(1) *Lib. 2. de Inventione.* — (2) *Sess. 25. de reform. cap. 9.* — (3) *Dict. sess. 25. cap. 5. de reform.*
(4) *Cap. si diligenti 12. de for. competenti.* — (5). *Cap. requisiti 15. de testamentis.* — (6) *Cap. decernimus XVI. qu. 7., et cap. ex insinuatione 14. de iurepatronatus.*

etiam Conciliorum generalium, potest profecto iuribus tam titulo gratuito, quam oneroso quaesitis fundatorum, et patronorum, sive illi ecclesiastici sint, sive laici derogare, iuxta sententiam in Romana Curia receptam: quin ea etiam abrogare, et prorsus revocare in totum; qua potestate usos fuisse in veteri disciplina per modum legis communis Gelasium I; et divum Gregorium M. compertum est ex superius di ctis (1). Tum in nova disciplina plures patronatuum concessiones etiam generales revocarunt Bonifacius IX, aliique tempore schismatis Pontifices, post Innocentius VIII., et Hadrianus VI., et Tridentinum (2), ut supra commemoratum est (3). Tandem singuli Summorum Pontificum in suis Cancellariae Regulis eadem derogandi facultate generali maxime utuntur. Praetereaque speciatim, invitis etiam, spretisque patronis beneficia de iurepatronatus, quoties vacaverint, libere conferri posse ab Sede Apostolica, fatentur Doctores.

VI. In praxi tamen conclusio ista plures accipit limitationes, ex nostris praesertim moribus, legibus, rebusque iudicatis. Vix enim in patronatu *ecclesiastico* ea locum obtinet generatim. Nam ecclesiasticum iuspatronatus apostolicis reservationibus, et affectionibus subiacens non modo clausis in Corpore Iuris, verum etiam inductis per regulas Cancellariae, derogationes pontificias passim patitur tam expressas, quam tacitas, atque implicitas; adeo ut per collationem, in qua Papa nullam faciat patronatus mentionem, censeatur implicite, ac simpliciter ei derogatum (4). Quoniam Pontifex tamquam supremus dominus, et administrator bonorum, et iurium ecclesiasticorum nemini facere iniuriam, nec ius quaesitum tollere videtur praeveniendo, et supplendo vices patronorum ecclesiasticorum sibi subditorum illis in rebus, quas e munificentia, et benignitate Sanctae Sedis obtinuerint. Quas ob res Innocentius III. probavit reservationem Ecclesiae de iurepatronatus ecclesiastico factam a Legato Sedis Apostolicae, cuius iurisdictioni laicos patronos non subesse innuit (5).

VII. Verum si fundator in limine fundationis exemptum a reservationibus, et affectionibus apostolicis maluerit expresse patronatum ecclesiasticum: tam si ab initio cum qualitate ecclesiastica reservatus sit, quam si primum cum qualitate laicali personis quibusdam laicis reservatus, deinde in casu deficientium laicorum ad iuspatronatus vocatorum ad ecclesiasticos transferri iusserit: tunc voluntas fundatoris procul dubio servanda est ad excludendas reservationes, et affectiones, ut Rota definivit (6), idemque Pitonius pluribus comprobavit (7). Qui

(1) *Cap.* 1. *num.* 15., *et* 19.—(2) *Sess.* 25. *de reform. cap.* 9.—(3) *Cap.* VIII. *num.* XIII., *et seqq.*

(4) Rota coram Cavalerio *dec.* 268., *et* 547., Gregorio *dec.* 48., Buratto *dec.* 103. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell.*, *Glossa* 18. *num.* 6., *et* 7. de Luca *disc.* 65. *de iurepatr. num.* 18. *et disc.* 69. *nu.* 9. Wan-Espen *par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 2. *num.* 25. — (5) *In cap. cum dilectus* 28. *de iurepatr. et cap. dilectus* 4. *de offic. legat.*— (6) *In Parmens. beneficii coram Scotto* impressa apud Piton. *discept. eccl.* 25. *num.* 47. *et seq.*— (7) *Ead. discept. num.* 21., *et seq.*, *et alleg.* 69. *num.* 3., *et* 4

nihilominus rectissime subdit expressa tantum voluntate fundatoris, non autem tacita id constitui posse. Ideoque si patronatu laicali primum reservato hac lege, ut patroni in omnibus, et singulis vacationibus, vel toties, quoties beneficium vacare contigerit, nominare deberent, ac praesentare, postquam extincta patronorum laicorum linea ad ecclesiasticos devolvatur ius praesentandi, assumpta qualitate ecclesiastica; exclusio reservationum locum amplius non habebit, neque extendenda ad patronatum ecclesiasticum, quia praesumitur fundator sese conformasse regulis Iuris communis, patronatum laicalem efficientis ecclesiasticum ob transitum illius ad ecclesiasticos, ex pluribus Rotae decisionibus laudatis (1).

VIII. At iuspatronatus laicale, quod ex fundatione, vel dotatione, et Iure communi competat, ab omnibus Apostolicae Sedis reservationibus eximitur clausis etiam in Corpore Iuris (2): eoque vel maxime regulis Cancellariae (3). Quamobrem prudentissimi Pontifices antedicta potestate derogandi patronatibus laicorum uti non consueverunt, nisi urgens necessitas, et ratio aliter suasisset. Exploratum porro est usque ab aevo Geegorii IX. praxim viguisse in Curia Romana, et usquemodo vigere non conferendi ibidem beneficia de iurepatronatus laicorum sine consensu, et praesentatione patronorum (4).

IX. Itaque ad *speciales* quod attinet derogationes, patronatui laicali neque in *totum*, neque *maiori* patronorum praesentantium *parti* in praxi derogatur.

X. De mixto patronatu idem dicendum est, quod de laicali simpliciter. Patronatui mixto ex qualitate ecclesiastica, et laicali in totum derogari, scribit Pitonius (5). Qui tamen subdit (6), abstinere nihilominus Papam a totali derogatione patronatus mixti. Sane quod ad derogationem odiosam, et Iuri communi adversantem praevalere debet in mixto patronatu qualitas laicalis, tamquam favorabilior, ex superius traditis *cap.* III. *num.* X., etiamsi maiori ex parte ad ecclesiasticos, minori ad ecclesiasticos pertineat, et etiamsi patroni laici consenserint, derogari non posse patronatum mixtum tenent Cabassutius, et Rigantius (7). Et haec ratio exteuditur ad patronatum quaesitum etiam ex privilegio indulto ob caussam onerosam praepollentem, qui tunc aequiparatur patronatui iustitiae, ex supradictis *cap.* VIII. *num.* VIII. ideoque exemptus habetur a reservationibus, et derogationibus Pontificiis (8).

XI. Frequentissima tamen est, et quotidie in Regno exequutioni mandatur cum placito regio derogatio *medietati vocum* patronorum,

(1) *In dict. alleg.* 62. *num.* 14. — (2) Glossa *in cap.* 2. *de praebendis in* VI. Rota *decis.* 268. *par.* 10. *rec.* Lapus *alleg.* 76.

(3) Videsis *tractat. de beneficiis tit. de reservat; et affection.*

(4) Rigant. *tom.* 3. *pag.* 267. *num.* 54. *in reg.* 42. *Cancellar.*

(5) *Discept.* 3. *num.* 3. — (6) *Ibid. num.* 8.

(7) *In Reg.* 42. *Cancell. num.* 301. *ad* 304. — (8) Rot. *dec.* 29. *nu.* 12. *par.* 6. *rec. dec.* 492. *num.* 6., *et* 7. *par.* 13., *et alibi*, Card. de Luc. *de iurepatr. disc.* 5. *num.* 8., *et disc.* 10 *num.* 3., *et* 4.

quae praeseferre videtur pontificiam gratificationem alterutri ex compraesentatis, quotiescumque in diversa vota praesentantes abeunt. Etenim plures inter nominatos aequale ius habentes, quis eorum alteri praeferatur, iudicio Episcopi relictum a sacris canonibus est (1). Et quoties dubitatur quis eorumdem potior sit in iure ad institutionem obtinendam, locus datur gratificationi episcopali, de qua iam dixi in praecedenti *cap.* XXII. *num.* XXV.; consequens est id eo magis Pontifici tamquam Ordinariorum Ordinario licere. Dum vero ad Universitatem pertinet patronatus, gratiam medietati derogatoriam non concedit Sedes Apostolica, nec suffragari solet de stylo Curiae, si obtenta fuerit (2) ea ratione, quia una vox Collegii unius, quorum collegiales, ut universi, non ut singuli praesentant, scindi non potest duas in partes: et praesentatus a sola medietate collegialium, quae actum Collegii non explet, a nemine praesentatus putatur.

XII. Isthaec autem derogatio medietati vocum usque adeo favorabilis est, ut nequaquaquam irritetur per Regulam Cancellariae *de verosimili notitia*: rata enim erit collatio Sedis Apostolicae cum tali derogatione, etiamsi ante verosimilem vacationis notitiam, dummodo post obitum beneficiati reapse sequutum, concessa fuerit; quum cuivis postulanti detur, nullo habito respectu ad maiora, vel minora merita (3).

XIII. Provisus tamen apostolicus cum gratia derogationis debet intra spatium temporis patronis concessum exhibere coram Ordinario nominationes, et consensus medietatis patronorum (4), vel saltem penes acta Camerae Apostolicae (5). Nam in parte assertiva Bullarum de stylo adponitur clausula *asserenti te intra legitima tempora praesentatum a maiori parte, vel saltem medietate compatronorum.*

XIV. Atque ad iustificandam eiusmodi gratiam derogationis medietati compatronorum attenditur sola quasi possessio praesentandi iuxta ultimum statum, quatenus in computandis suffragiis vox veri etiam patroni non existentis in quasi possessione neutiquam computetur, ut passim Rota definivit (6).

Nec debebit lis super pertinentia patronatus augere, vel minuere numerum patronorum: quoniam post expeditas derogationis litteras apostolicas res non est integra, sed censetur iam *perfecta institutio*, non obstante conditione verificandi exposita, praesertim vero medietatem vocum. Cuiusmodi conditio suspendit quidem gratiae exequutionem, quoadusque verificantur exposita coram exequutore apostolico seu *mero*, qualis est, ubi nemine interesse habentium comparente, procedatur iudicio exequutivo ad bullas exequendas: seu *mixto*, qualis est dum

(1) *Cap. cum. autem 24. de iurepatr.*

(2) Rigant. *tom.* 3. *in dict. reg.* 42. *nu.* 168. *cum Parisio, Rosa, Pitonio, et Rota ibid. citatis.* — (3) Card. de Luca *disc.* 71. *de iurepatr.* Rigant. *in reg.* 30. *Cancell. num.* 43., *et* 46: quam regulam paucis exposuit Auctor *in tract. de benefic. nu.* 8. — (4) Piton. *alleg.* 74. *num.* 11.

(5) Rota *dec.* 352. *num.* 15. *par.* 16. *rec.*

(6) Corans Ludovisio *dec.* 77. *dec.* 293. *par.* 10. *rec. num.* 7. Rosa *de execut. litterar. apostol. cap.* 4 *num.* 131.

legitimus adsit contradictor ad impediendum proviso apostolico exequutionem gratiae, quae nonnisi caussa rite cognita post rem iudicatam sortitur effectum, ex traditis, *in tract. de beneficiis in cap.* XIV. *nu.* IV. *et seqq.* Post factam vero talem verificationem eadem gratia retrotrahitur ad diem concessioni, ut *in eod. tract. de benefic. cap.* X. *num.* IX. dictum est, ideoque potior erit posterioribus collationibus, vel institutionibus, atque irrevocabilis secundum naturam institutionis expositam in superiori *cap.* XXII. *num.* VII.

XV. In casu devolutionis ob negligentiam patronorum intra legitima tempora non praesentantium, Papa libere confert, iuxta *Reg.* XLII. *Cancellariae*, his verbis conceptam a regnante Summo Pontifice apud Rigautium *tom.* 3. *Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de iurepatronatus laicorum non expediantur litterae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod eius collatio apud Sedem Apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a Iure praefixum lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat adsensus. Et si per ipsum iuripatronatus huiusmodi derogari contigerit, iurispatronatus huiusmodi mentio dispositive, ac specifice, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.* Gratia proinde collationis beneficii de iurepatronatus tamquam devoluti non suffragatur, nisi probato lapsu quadrimestris a die cognitae vacationis (1).

XVI. Æquitati consentanea videtur itidem esse derogatio ad *compatroni* fovorem maiori etiam parti compatronorum, qui eo posthabito, extraneum praesentare voluerint. Quum enim facultate praesentandi ferme tunc abuti putantur, qui non concurrunt suffragiis suis ad compatronum praeeligendum, iure merito Pontifex eorum vocibus pro illa vice solet facile derogationis bullas largiri, ut idoneus patronus, licet coaequales voces, vel aequipollentia iura non habeat, beneficium adipiscatur (2).

XVII. Consuevit etiam in beneficiis vacantibus per obitum apud S. Sedem Papa derogare in totum patronatui laicorum: secus in vacantibus ibidem aliter, quam per obitum, tradit Stapilaeus (3). Verum beneficia, quae in Curia de iurepatronatus Regis Hispaniarum vacant per promotionem beneficiati ad Ecclesias Episcopales, et Abbatiales vigore Extravagantis *ad regimen de praebendis*, et primae Regulae Cancellariae regnantis Pontificis Benedicti XIV., solet Papa conferre personis per Regem nominatis, licet in litteris apostolicis nulla regiae nominationis mentio fiat, et illae expediantur cum simplici narrativa

(1) Piton. *alleg.* 69. *num.* (2) Paris. *de resignat. lib.* 2. *qu.* 4. *num.* 57. Card. de Luca *dict. disc.* 65. *num.* 36. Rigant. *tom.* 3. *pag.* 290. *num.* 292.
(3) *In tract. de litt. gratiae tit. de modo, et forma impetrandi cap. sequitur circa fin.*

vacationis in Curia per promotionem (1). Rigantius subdit (2) (XVIII.) extra regna Hispaniarum conferri ad liberam Pontificis dispensationem beneficia patronalia apud Sedem vacantia, praesertim vero per promotionem ad Episcopatum ex stylo antiquissimo Romanae Curiae cum derogatione iurispatronatus pro illa vice tantum.

Et ubi contigerit provisionem beneficii patronalis ad Sedem Apostolicam pertinere, vel in casibus resignationum ad favorem, vel affectionum Sedi Apostolicae, vel praeventionis, vel vigore decreti in litteris apostolicis adpositi: Papa non confert, nisi patronorum accedat adsensus, vel omnium, vel saltem medietatis eorum (3).

XIX. Decretum quoque solitum adponi in pontificiis provisionibus beneficii incompatibilis cum altero iurispatronatus, *quod nemo alius praeter Pontificem de eo disponere possit*: reservat quidem Apostolicae Sedi expeditionem bullarum, dempta Ordinariis facultate instituendi, sed minime tollit patronis facultatem praesentandi coram Pontifice futurum beneficiarium per epistolam, aliudve instrumentum in Dataria exhibendum, quorum consensus omnino requiritur in tali collatione pontificia exequenda, tametsi praecedere illam, et subsequi potest, quod cum Parisio, Lambertino, aliisque tradit Rigantius (4).

XX. Dispensatio autem retinendi plura beneficia incompatibilia a solo Romano Pontifice indulgetur (5). Quorum si quod iurispatronatus fuerit, novus patronorum consensus non requiritur (6) quoad septimam reservationem (7), ubi derogari solitum ait idem Rigantius patronatui retentione beneficiorum indulta promotis ad Episcopatum. Istaque dispensatio specialem patronatus expressionem praeseferre debet; alias decretum retentionis concessae promoto ad Episcopatum, aliasve dignitates incompatibiles tacite non complecteretur beneficia patronalia iuxta sententiam in Curia Romae vigentem (8).

XXI. Litigiosa item beneficia solet Summus Pontifex conferre cum derogatione patronatus pro ea vice (9). Dummodo alteri collitigantium non fuerit ius quaesitum, ut praenotavi (10), et isto casu receptam in pluribus Italiae regnis derogationem pontificiam ostendunt Cassadorus (11), Crescentius (12), Verallus (13). Et exempla pro hoc speciatim regno Neapolitano commemorat Rigantius (14).

XXII. Resignationes conditionales beneficiorum patronalium favore certarum personarum, nonnisi apud Sedem Apostolicam fieri possunt cum consensu patronorum necessario ad validitatem gratiae (15).

(1) Barbosa *lib.* 2. *vot. decis.* 38., *et* 43. *num.* 21., Fras. *de iurep. Indiar. cap.* 30. *num.* 8. Rigant., *in eamdem Reg.* 1. §. 7. *num.* 106.—(2) *Ibidem, et in* §. 1. *eiusdem Reg.* 1. *num.* 332.

(3) Rigant. *in Reg.* 42. *num.* 71. *tom.* 3. — (4) *In dict. reg.* 42. *num.* 64., *et seqq.* — (5) *Ex traditis in tract. de beneficiis cap.* 22. *de pluralitate, et incompatibilitate num.* 16. — (6) Rigantius *in reg.* 1. *Cancell.*

(7) *num.* 39. *tom.* 1., et Paris. *lib.* 2. *qu.* 4. *num.* 58.

(8) *ibid. num.* 182. — (9) *in cit. reg.* 42. *num.* 169. — (10) *in cap.* XVII. huiusce tractatus *num. XXXVI.*, *et seq.*—(11) Dec. 3.—(12) De iurep. dec. 8.

(13) Dec. 125. par. 2. — (14) Ibid. n. 219.

(15) Rota *in Firmana canonicatus* 24. Martii 1710. coram Priolo, et Rigant. *ibid. num.* 141., de quibus *in tract. de beneficiis cap.* 20. *num.* 10.

XXIII. Simplices item renunciationes beneficiorum, si fiant in manibus compatronorum cum reservatione pensionis, vel in vacantibus quomodocumque beneficiis de iurepatronatus, voluerint patroni futurum beneficiarium onere pensionis gravare; provisio tunc non Ordinarii, sed tantum Sedis Apostolicae auctoritate fieri potest, ex rationibus expensis in superiori *cap.* XXII. *num.* XLI.

XXIV. Idque locum obtinet in patronatibus, nedum privatorum, sed etiam regiis, seu ad praesentationem regiam pertinentibus. Nam exempla Bullarum Sedis Apostolicae expeditarum pro beneficiis regiis in favorem resignatis cum regio placito extant in archivio regiae Iurisdictionis apud B. Chioccarell (1).

XXV. Permutationes pariter beneficiorum de iurepatronatus, nonnisi cum consensu patronorum fieri possunt (2). Exolevit sane antiqua praxis derogandi patronatui laicorum in permutationibus, et resignationibus beneficiorum usque a temporibus Clementis X. (3).

Si quando tamen Sedes Apostolica beneficia de iurepatronatus contulerit cum gratia derogationis ultra medietatem vocum, ob supremam, absolutamque illius potestatem, validae quidem sunt litterae apostolicae ex supradictis *num.* V.

XXVI. Qualitatibus praesentandorum a fundatore praescriptis passim quoque derogat Sedes Apostolica, accedente consensu compatronorum; et citra praeiudicum iuris alicui quaesiti: utpote quae potestatem babet dispensandi decreto Synodi Tridentinae (4) prohibentis derogationem eiusmodi qualitatum. Praesertim vero Sacerdotii qualitati in beneficiario solet Dataria derogare (5). Ideoque vocatum in iure passivo, qui praevia Pontificis dispensatione fieri valeat faciliter capax obtinendi beneficii sacerdotalis in gradu inferiori clericatus, repellere nequit Episcopus a prima clericali tonsura absque rationabili caussa (6). Nec solet Dataria expectare, quod compareat qualificatus, et actu idoneus ad postulandum beneficium sacerdotale, sed sine mora petendi dispensationem indulget, quum vigilantibus iura subveniant. Atque ubi non qualificato Papa contulerit beneficium, praesumitur, vel non existere qualificatum, vel eum, si existat, iure suo uti nolle (7).

XXVII. Hactenus de *speciali* derogatione dictum est: ordo nunc postulat, ut de *generali* etiam pauca disserantur. Extant enim plures constitutiones Pontificum, et Conciliorum decreta recentiora, quae vim obligatoriam habent super beneficiis nedum liberae collationis, sed patronatus etiam laicalis: puta quae non laicos patronos, nec fructus beneficiorum temporales a laicis fundatoribus obvenientas percutiunt: sed solummodo spectant personas ecclesiasticas beneficiariorum, aut res be-

(1) *Tom.* 6. *num.* 113.—(2) Videsis. *tract. de benefic. cap. XXI. de permutat. num. XI.* — (3) Piton. *discep.* 29, *num.* 5, et Rigant. *loc. cit. num.* 279., et *seq.* — (4) *Sess.* 25. *de reform. cap.* 5.

(5) Rebuff *in prax. benefic. par.* 3 *signat. ver. necnon iurepatr. num.* 72. Piton. *alleg.* 17. *num.* 15.

(6) Lotter. *lib.* 1. *qu.* 40. *num.* 167. — (7) Piton. *alleg.* 100. *num.* 44, *et* 45.

neficii spirituales, nullamque iniuriam, vel praeiudicium patronis laicis, aut bonis temporalibus Ecclesiarum irrogent. Tale est decretum Tridentini (1) praescribens aetatem quatuordecim annorum iis, qui beneficia simplicia obtinere velint. Pariter constitutio Iulii III. prohibens, ne quis absque litteris pontificiis capiat possessionem beneficii a S. Sede collati. Insuper constitutio Ioannis XXII. (2) vetans retentionem plurium beneficiorum incompatibilium, puta residentialium, et curatorum. Sanctiones itidem, quae poenam privationis beneficiorum infligunt in criminosos (3). Ceterae id genus, quae indistincte in praxi observantur quoad beneficia etiam patronalia laicorum (4).

CAP. XXIV.

QUEMADMODUM PATRONATUS AMITTATUR.

I. Ob crimen, aut culpam, et sine crimine amittitur patronatus.
II. Sine crimine iacturam innoxiam patronatus praescriptio causatur.
III. Qui transfertur quandoque de una in aliam personam, vel familiam.
IV. Extinctio item linearum, et deficientia heredum.
V. Mutatio Ecclesiae simplicis in Cathedralem, vel Monasterium.
VI. Unio quoque beneficiorum, quae sine consensu patronorum fieri nequit.
VII. Destructio Ecclesiae, et amissio dotis.
VIII. Dummodo fructus beneficiales non suppetant ad Ecclesiam reaedificandam.
IX. Ex privilegio quaesitum ius patronatus tollitur auctoritate pontificia, secus ex oneroso titulo ortum.
X. Criminosam patronatus iacturam infert simonia.
XI. Intrusio item in perceptione, vel administratione fructuum Ecclesiae.
XII. Usurpatio bonorum, aut iurium beneficii.
XIII. Occisio, vel mutilatio beneficiarii, aut Episcopi
XIV. Heraesis, et schisma.
XV. Proditio patriae.
XVI. Laesa maiestas.
XVII. Crimen quodlibet confiscatione coercendum.

(1) *Sess. 23. de reform. cap. 6.*—(2) *In Extrav. execrabilis un. de praebendis.* — (3) *In tract. de benefic. cap. ult.*
(4) Card. de Luca *disc. 65. de iurepatr. num. 31.*

XVIII. Ob crimen ecclesiasticum patrono damnato Ecclesia fit libera, nisi alii adsint innoxii compatroni.

XIX. Ob crimen profanum publicatis bonis laici patroni filius ad patronatum succedit.

I. Quoniam res omnes principium, statum, et finem sortiuntur, atque hactenus de initio adquirendi patronatus, deque statu exercendi, et quasi possidendi dictum est, superest, ut de illius amissione pauca dicamus. Patronatus quidem amittitur vel ob *crimen*, vel sine *crimine*.

II. *Sine crimine* in primis amittitur iuspatronatus praescriptione quadragenaria scientibus, et patientibus patronis inducta cum omnibus requisitis, quae per leges ad rite praescribendum exiguntur. Eoque magis per centenariam, et immemorabilem, qua titulus de mundo melior adquiritur (1). Tametsi contra negligentes tantum compatronos gentilitios, vel familiares, et etiam contra heredes admittatur fere praescriptio; non autem contra successores iure proprio venientes. Nam explorati est iuris praescriptionem non currere illi, qui agere non valet (2): Heic loci repetantur, quae supra exposuimus (3): nam unus dum adquirit praescribendo, alter vicissim amittit non utendo: servitus quippe realis Iure civili extinguitur remissione tam expressa, quam tacita (4), et quilibet quum rei suae sit moderator, et arbiter, potest utique ius suum remittere servitutis sive integrum, sive pro parte (5).

III. Pertinentia quoque patronatus amittitur toties, quoties de una in aliam personam transfertur vel titulo universali, vel particulari (6), quemadmodum in superiori *cap.* IX (7) expositum est. Isthaec vero amissionis species ad libertatem Ecclesiae nihil conducit, perdurante patronatus existentia in succedentibus, et novis patronis.

IV. Ob extinctionem linearum, et descendentium fundatoris compatronorum gentilitios, et familiares patronatus cum taxativa clausula reservatos, aut ex privilegio gratioso quaesitos, extingui, iam superius dictum est (8). Sed deficientibus omnino heredibus patroni cum hereditate universa ad Fiscum devoluta, patronatum hereditarium quoque devolvi, dictum supra (9).

V. Mutatione status Ecclesiae in Cathedralem, vel Monasterium, quae fiat cum consensu patroni, amittitur ius patronatus quoad praesentationem Praelati, quae sine speciali Apostolicae Sedis concessione in Conventuali Ecclesia competere non potest (10). Sed salvum remanet quoad iura honorifica, et praerogativas: et insuper quoad ius praesentandi Canonicos, et beneficiatos, vel praebendarios, quibus antiqui redditus Ecclesiae patronalis addicantur cum solo Episcopi adsensu,

(1) Card. de Luca *discur. 56. de iurepatron. num. 21., et seq.*
(2) *L. fin. Cod. de annali praescript.* — (3) Cap. III. *de adquirendo patronatu per praescriptum.*—(4) *L. 8. D. quemad. servit. amitt.*
(5) *L. 34. D. de servit. rustic. praed.* — (6) *Cap. un. de iurep. in* IV.
(7) *De successione patronor., et seqq. cap.*—(8). *Cap.* XI. *num. 23., et 33.*
(9) *In cap.* X. *num 22.* — (10) *Cap. nobis fuit 25. de iurepatr.*

et reservatione (1). Si Ecclesia de iurepatronatus laicorum erigatur in Collegiatam, patronum ius praesentandi ad primam dignitatem amittere, licet illud retineat pro aliis beneficiis Collegii, docet Rigantius (2).

VI. Idemque dicendum, si patronus Ecclesiam suam uniri alteri Ecclesiae liberae collationis sine aliqua patronatus reservatione consenserit, cum Lambertino scribit Vivianus (3). Quapropter necessarius est patronorum consensus in unionibus beneficiorum, etiamsi fiant favore Seminarii. Praeterea Synodus Tridentina (4) commisit Episcopis liberam facultatem incorporandi, et applicandi Seminariis adolescentium fructus beneficiorum etiam de iurepatronatus laicorum.

VII. Per desolationem fabricae, et iacturam omnimodam dotis, quoties patronus collapsam Ecclesiam, vel indotatam noluerit reficere, vel redotare, amittitur iuspatronatus ex rationibus supra iam allegatis (5). Nam perempta caussa patronatus perimi effectum, arguunt Paulus de Cittadinis (6), Lambertinus (7), ceterique DD. communiter. Ecclesia enim a fundamentis diruta cum omnimoda destructione altaris, vel cum enormi fractura mensae altaris principalis tantum, execrata indiget nova consecratione, ut Vigilius Papa rescripsit ad Eleutherium (8), quam epistolam superius interpretatus sum (9). Innocentius III (10). Eamque ob rem qui patronatum quaesiverit aedificatione Ecclesiae, illum amittit aedificio destructo, iuxta sententiam Bernardi, Hostiensis, Ioannis Andreae, et ceterorum, quam sequutus est Fagnanus (11), et Vivianus (12), Rota coram Ludovisio, qui fuit Gregorius XV (13). Huic tamen sententiae officit tam ratio individui patronatus inter dotatorem una et aedificatorem, areaeque dominum, superius expensa *cap.* v. huiusce tractatus *num.* XXXIV., quam obligatio beneficiariorum ad impendendos fructus beneficii in refectionem Ecclesiae.

VIII. Rectores enim regulariter tenentur ad Ecclesiae etiam parochialis refectionem, si fructus suppetant (14). Et generatim quoslibet beneficia obtinentes ad Ecclesias restaurandas, et emendandas quoque teneri sanxit Concilium Moguntinum (15). Ea praesertim ratione, quia partem fabricae ipsimet accipiunt (16). Igitur iacturam patronatus, destructa Ecclesia, vix faciet patronus, quum fructus ipsius Ecclesiae non suppetant ad reaedificationem, et ipse requisitus noluerit expensas novi aedificii contribuere. Qui vero dotatione patronatum quaesiverit, ob destructionem aedificii, eum non amittere ius suum, docuit Fagnanus (17).

(1) Card. de Luca in *sum. iurispatr: num.* 136.
(2) *Ad reg.* 4. *cancell.* §. 2. *num.* 30, argum. *cap. nobis* 25. *de iurep.*
(3) *Cit. cap.* 1. *num.* 13. — (4) *Sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.*
(5) *In cap.* 2. *num.* 11. — (6) *Par.* 3. *in prima caussa adquir. qu.* 16.
(7) *Lib.* 3. *qu.* 7. *art.* 1.—(8) *In can. de fabrica* 24. *de consecr. dist.* 1.
(9) *In cap.* 5. *num.* 42. — (10) *in cap. ligneis* 6. *de consecr. eccl. vel alt.* — (11) *In cap. quoniam* 3. *de iurepatr. num.* 56.
(12) *Par.* 3. *lib.* 15. *cap.* 1. *num.* 2. — (13) *Dec.* 405. *num.* 1.
(14) *Cap. de his* 4. *de Eccles. aedificandis.*—(15) *In cap.* 1 *de Ecclesiis aedificandis, vel reparand.* — (16) *Can unio nostrae* 3. *caus.* 1. *qu.* 3.
(17) *Ibid. num.* 60.

IX. Pontificia suppressione, vel revocatione totali patronatum extingui, utpote provenientem ex gratia, et liberalitate Ecclesiae, cum Lambertino, et Felino tenet Vivianus (1). At horum sententia minime tuta est ex novae disciplinae axiomatibus. Laici enim, si semel titulo fundationis, vel dotationis, vel praescriptionis patronatum quaesiverint, illum titulo iustitiae, non gratiae ad sese pertinere contendunt (2). Quidquid aliter sit de patronatu ex privilegio mere gratioso, ex rationibus expensis supra (3).

X. Criminosam amissionem in primis causatur simonia. Qui enim advocatias Ecclesiarum, seu patronatum comparant pretio temporali, vel quocumque modo illicito adquirunt, eosdem appellatione postposita spoliandos patronatu rescripsit Alexander III. (4). Nam ceu spirituali adnexus vendi nequit (5), nec ullimode per contractus alienari, nisi adnexus fuerit alicui fundo, vel hereditati, et universitati bonorum, ut supra dixi (6). *Iuspatronatus igitur nec venditioni, nec alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant patroni: si enim secus fecerint, excommunicationis, et interdicti poenis subiiciantur; et dicto iurepatronatus ipso iure privati existant ex decreto Tridentini* (7). Et merito, quia in quo aliquis delinquit, in eo feriri debet ex Nicolai Papae sententia (8), de quo superius dictum est (9). *Nullo itaque prece, aut pretio interveniente, nec ullius muneris etiam sponte oblati intuitu ecclesiastica beneficia distribuantur, sed electio, praesentatio, institutio, et quidquid ad eorumdem collationem, resignationem, cessionem pertinet iuxta sacros canones gratis fiat, exceptis ministrorum emolumentis, iuxta taxam Innocentianam, et non amplius tribuendis* (10).

XI. *Patroni beneficiorum cuiuscumque ordinis, et dignitatis, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quaecumque clericorum, vel laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de iurepatronatus ipsorum ex fundatione, vel dotatione essent, nullatenus se ingerant, sed illos libere Rectori, seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant sub eisdem poenis a Tridentino inflictis ibidem.* Quod ante caverat Concilium Toletanum IV. (11) supra laudatum (12), et Concilium generale Lateranense IV. sub Innocentio III. (13). Limitatur nihilominus ista regula, ubi fundator curam exigendi, vel administrandi bona temporalia, et fructus a se collatos in dotationem beneficii commiserit sibi, et successoribus patronis, aut etiam extraneis: quod licere iam dixi (14).

(1) *Cit. cap.* 1. *lib.* 15. *num.* 7.—(2) Ex supra dictis *cap. V. num. V.*
(3) *In cap.* 8. *num.* 35., *et* 36. — (4) *In cap. quia clerici* 6. *de iurepatr.*
(5) *Cap. de iure* 16. *eod tit.* — (6) *In cap.* 14. *de alien. ac translat patronatus num.* 7.
(7) *Sess.* 25. *de reformat. cap.* 9. — (8) *In can. de viro* 17. XII. *qu.* 2.
(9) *Cap.* XV. *num.* 6.— (10) Synod. Card. Cantelm. ann. 1699. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 2.—(11) *In can. noverint* X. *qu.* 1. — (12) *In cap.* 1. *huius tract. num.* 25.—(13) *In cap. quibusdam* 12. *de poenis.* — (14) *In cap.* 11. *n.* 13.

XII. Qui alicuius Ecclesiae, locive pii iurisdictiones, bona, census, ac iure etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, si eiusdem Ecclesiae patronus fuerit, ultra censuram anathematis Summo Pontifici reservatam, etiam iurepatronatus eo ipso privatus existit ex Tridentino (1).

XIII. Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. (2) iurepatronatus patronos spoliavit, qui beneficiarios interemissent, vel mutilassent (3). Eadem poena extenditur ad interfectores Episcoporum (4), qui speciatim inibi privantur feudis, et beneficiis.

XIV. Haereticos, eorumque fautores, et schismaticos ipso facto amittere patronatum definivit textus (5).

XV. Itidem patriae proditores (6).

XVI. Pariter reos laesae maestatis (7).

XVII. Ceteros item reos criminum, in quibus infligenda est poena publicationis bonorum: nam amissioni bonorum omnium adnecti iacturam patronatus tenet Abbas (8).

XVIII. Sed cui adplicabitur perpetuo amissum iuspatronatus? e re nata quaeres. Glossa (9) duplicem obtrudit sententiam: primo scilicet Ecclesiam fieri liberam, eidemque Ecclesiae adiudicari debere patronatum, cui facta est per crimen iniuria (10). Et secundo patronatum remanere penes venditorem licet simoniacum, propterea quod Alexander Pontifex emptorem solummodo spoliandum rescripserit. Usu tamen receptum est patronatum hereditarium extingui, et Ecclesiam pertinere ad liberam Episcopi collationem, dummodo unicus fuerit patronus hereditarius, qui simoniam patraverit, vel bona Ecclesiae, aut administrationem usurpaverit, ex auctoritatibus adductis supra (11). Quemadmodum Iure civili amittitur servitus realis confusione dominii, si dominium praedii servientis consolidatur, et pertineat ad dominium praedii dominantis: quoniam res sua nemini servit (12). Secus vero, si alii adsint compatroni hereditarii, qui participes minime fuerint in crimine: vel si iuspatronatus non hereditarium, sed familiare, aut gentilitium fuerit: tunc enim delinquens a iure suo cadit, minime vero innocentes compatroni, quibus per ius non decrescendi totum consolidatur iuspatronatus Porro *non debet alteri per alterum iniqua condi-*

(1) *Sess.* 22. *de reform. cap.* 11.—(2) Ann. 1215. *can.* 14. —(3) *Cap. in quibusdam* 12. *de poenis.*—(4) Arg. *cap. ad aures* 10. *eod tit.* —(5) *In Cap. cum secundum de haereticis in* VI. — (6) In Clem. *ne in agro* §. *quia vero de stat. monacor.* —(7) *Abbas in cap. cum laici de iurepatr.* —(8) *In cap. quia diligenti de iurepatr.*— (9) *In dicto cap. quia clerici* 6. *de iurepatr.. ver. spoliando.* (10) Arg. *cap. de hoc autem de simonia, et can. si quis in atrio* XVII. *qu.* 4.—(11) In cap. X. *n.* 24. —(12) *L.* 1., *et* 15. *D. quemadmodum servit. amitt.*

tio inferri, ait Papianianus (1). Nec debere alienam culpam alicui esse detrimento, pluribus estendi supra *cap.* XVII. *num.* XVI.

XIX. Ceterum si ob alia crimina profana laici publicatione bonorum omnium, et confiscatione coerceantur patroni, regulariter Ecclesia non fit libera, sed cum iure sanguinis ad filium patroni sic damnati transit patronatus iuxta sententiam, quam sequuta est Rota Romana superius laudata (2).

Hactenus fuit, quod de patronatu tradere volui e sacris canonibus moribusque nostris excerptum, et praxi huius Regni accomodatum sub censura S. Sedis Apostolicae, cui me ipsum, omnesque meas qualescumque sententias obsequentissimo animo submitto.

(1) *In l. non debet* 74. *D. de reg. Iur.* — (2) *Dict. cap.* 10. *n.* 23.. *et* 24.

FINIS.

INDEX

CAPITUM

Prezzo gr. 80.

Trovasi vendibile presso il Sacerdote D. Gennaro Ruggiero Vico Bisi al Corpo di Napoli n. 27.

Domenico Liguori strada S. Biagio dei librai n. 121.

Sono vendibili presso i medesimi le *istituzioni canoniche* dello stesso Gagliardi colle addizioni di Monsignor Romano in 4 vol., prezzo ducati 3,60 : i trattati *de beneficiis* in 3 vol., prezzo duc. 1,20 : le *istituzioni canoniche* di Selvaggi in 2. vol., prezzo duc. 1,20: le *istituzioni di Teol. morale* di Fulco in 4 vol., prezzo duc. 2,00.